HISTORIA NIGRAE SILVAE ORDINIS SANCTI BENEDICTI COLONIAE

Martin Gerbert

Digitized by Google

<36604523510011

Gerbert

HISTORIA NIGRÆ SILVÆ

ORDINIS SANCTI BENEDICTI COLONIÆ

A Sec. XIII. ad præſens uſque tempus.

TOMUS II.

TYPIS SAN-BLASIANIS 1788.


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.



HISTORIA NIGRÆ SILVÆ

LIBER VIII.

Nigra Silva ſeculo Chriſti XIII. Ordinis S. Benedicti VIII.

I.

Seculi XIII. potiore parte ex colliſione ſacerdotii & imperii perinde turbatus fuit eccleſiæ ſtatus, ac proxime antecedentibus temporibus pontificum electionibus mora iniecta, & obſtacula Conciliis, quorum non pauca œcumenica fuerunt celebrata, veluti Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. an. 1215. in quo, quod monachos attinet ſub regula S. Benedicti militantes, cauſa celebris Ioachimi Abbatis ex ordine Ciſtercienſi acta eſt, damnatusque eiusdem libellus contra Petrum Lombardum. Concilium poſtea œcumenicum indixit an. 1240. Gregorius IX. ſed prælati certatim ex regionibus Genuam advecti, dum anno ſequenti Genuenſium claſſe Romam properant, ab Entio Friderici notho intercepti, plures aqua ſubmerſi perierunt. Acceleravit ea res mortem Greg. IX. eodemque anno, quo teſte Pariſio, *poſt multas diſceptiones & diverſa Schiſmata* Cœleſtinus IV. fuit electus, mortuus eſt, antequam in pontificem conſecraretur. Friderico Imperatore captivos detinente Cardinales, tandem poſt

SECULUM XIII.

Status Eccleſiæ Romanæ.

SECULUM XIII.

diuturnam sedis vacationem electus Innocentius IV. pro celebrando Concilio Lugdunensi Generali primo in Gallias profectus congressum celebrem cum Sancto Ludovico Galliarum rege habuit in monasterio Cluniacensi anno sequenti 1246. ut Pagius annotavit in Breviario Rom. Pont. quidquid alii de altero eorumdem Conventu Lugduni statuant apud Raynaldum. Pagius ex Msc. bibl. Vallicellanæ chronico Cluniacensi frequentiam huius congressus describit, cui etiam Imperator Cpolitanus adfuerit cum copiosa regis familia, magnoque prælatorum numero, clericorum item ac religiosorum, ac militum; nec tamen propterea monachos dimisisse dormitorium suum, aut refectorium, aut monasterium, aut capitulum, aut infirmariam, aut cellariam, aut coquinam, aut aliquam de officinis deputatis conventui. Innocentii IV. Successor Alexander IV. multis sese argumentis propitium imprimis ordinibus religiosis exhibuit. Quem quidem Paulus Langius Benedictinum asserit in Chron. Cizicensi, tacente tamen vel ipso Trithemio.

Urbanus IV. qui fuerat Archidiaconus Leodiensis, dum ibi instinctu divino B. Iulianæ Corneliensis ac Evæ ad S. Martini Ecclesiam inclusæ solemnitas SS. Corp. Christi celebrari cœperat, postea pontifex factus ad ritum universæ ecclesiæ hanc solemnitatem transtulit an. 1264. De quo in ordine operis Dei Msc. San-Blas. sec. XIV. hæc leguntur: *Feria V. proxima post octavam Pentecostes celebratur festum commemorationis Corporis & Sanguinis Domini iuxta institutionem Domini Urbani IV. P.P. urbis Romæ &c. Ad mensam legitur privilegium Domini Urbani P.P. de institutione huius festi.*

Repullulare tunc alicubi videbantur errores de Eucharistia. De Hæresi Berengarii sibi imputata purgat se apud Clementem IV. magister quidam Parisiensis, ac si contenderet, Corpus Christi non esse vere in altari, sed sicut signatum sub signo, ut legere est apud Bulæum sec. V. Univers. *T. III. p. 373.* Paris. & apud Raynaldum ad an. 1267. ubi ex cod. Msc. Vallicellano affert epistolam obiurgatoriam pontificis ad Archiepiscopum Bremensem, quod Thidericum Bavarum Canonicum Hamburgensem virus eiuscemodi spargentem inerter ferat.

Idem Raynaldus ad eumdem annum n. 82. notat, Clementem IV. in viros religiosos beneficum monasterio Cassinensi, cuius Abbatem Bernardum Aiglerium Cardinalem creavit, omnes prærogativas & privilegia a Paschali II. collatas corroborasse: quæ postea aucta a Pontifiicibus passim cum monasteriis etiam nostræ plagæ sunt communicata.

Post

Post mortem Clementis IV. anno 1268. vacavit sedes Romana usque ad annum 1271. quo a Cardinalibus conclavi, custode Rayerio Gatto, inclusis electus est Gregorius X. in Palæstina absens, sub quo unio facta est cum ecclesia Orientali in numerosissimo Concilio generali Lugdunensi II. misso ad firmandam unionem in Orientem abbate Cassinensi: modus item positus ordinibus regularibus identidem novis exsurgentibus: confirmataque electio Rudolphi I. Habsburgici Romanorum regis, qui, ut videbimus, pacem ecclesiæ reddidit, qua Gregorii etiam successores gavisi sunt usque ad simultates truculentas Philippi Galliarum regis cum Bonifacio VIII.

Hic S. Cælestino V. novi Ordinis sub regula S. Benedicti institutori successit, auspicatusque sequens sec. an. 1300. Iubilæum deinceps, quoties recurrerit, celebrandum instituit, ut tamen in institutionis bulla prodat, se primum institutorem non esse.

II. Nihil vero ardentius, nihil studiosius actum est sec. XIII. a Romanis Pontificibus, quam Cruciatæ in terram sanctam. Quod ad negotium præcipuum præconem & antesignanum in Germania habuit vicinia nostra Abbatem *cuiusdam Cœnobii de Ordine Cistercienſi, quod in Episcopio Basileensi positum, ipsumque Parisus appellatur*, ut loquitur Guntherus monachus eius monasterii, qui ex ore Martini Abbatis sui scripsit historiam Constantinopolitanam; ipse enim in hac expeditione adfuit, ad urbem illam restituendam Alexio iuniori Isaaci depositi filio, qui se ad Philippum Suevum contulit, cui soror Alexii nupta erat, ab eoque impense commendatus Cruce signatis, quos ex Germania deduxerat Martinus conductos suis sermonibus ex terris his nostris. *Habuit itaque*, ut Guntherus narrat, *sermonem ad Clerum populumque in civitate sua, quæ Græco vocabulo* Basilea id est *regalis dicta est, in-celebri Ecclesia Beatæ Virginis Mariæ, ubi magna utriusque sexus novis excitata rumoribus convenerat multitudo. Audierant quippe iam dudum alias circumquaque provincias ad hanc Christi militiam celebribus prædicationibus excitari, in partibus autem illis nullus adhuc eiusdem rei fecerat mentionem.* Narrat deinde frequentem profectionem, legationem item Martini Abbatis, ac Suessionensis episcopi ad Innocentium ob excommunicationem, qua percussi erant signati ob captam in Dalmatia Iaziram seu Iaderam: aliam item legationem pro auxilio *in Castra peregrinorum*, ut vocat, *quos in Græcia versari acceperant*, quamque suscepit *cum alio quodam viro, Conrado scilicet Advocato de Swarzenberg*, denique post expugnatam urbem reditum in patriam cum Sanctorum Reliquiis Basileam primum, ubi actis in templo B. M. V. Deo gratiis Episcopo *eiusdem urbis Lutoldo & aliis quibusdam*

Cruciatæ in terram Sanctam.

Apud Canisium ed. Basnag. T. IV.

Ibid. p. 6.

p. 11.

pag. 20.

SECULUM XIII.

personis & ecclesiis eiusdem loci donaria sua satis liberaliter erogavit. Mansit autem in loco paucis diebus donec ei fratres sui, qui iam reditum eius acceperant, reverenter, ut dignum erat, occurrerent, cum quibus ipse, assumtis quoque aliis de civitate quam pluribus, qui eum gratissime prosequebantur, ad Parisiense monasterium egregie quidem, sed cum multa devotionis humilitate se contulit, ubi etiam toto fratrum Conventu tam ei, quam sacris, quas afferebat, reliquiis ad portam humiliter recurrente, in Nativit. S. Ioannis Baptistæ ante horam tertiarum triumphales illas sacræ prædæ manubias, gaudentibus cunctis & Deum corde & voce laudantibus, in ipsam invexit ecclesiam, & in ipso altari maiori, qua potuit, reverentia collocavit. Recensitis sacris reliquiis additur, factum actumque esse *hoc anno Domini 1205. Dominicæ Incarnationis. Regnante Philippo Rom. R. præsidente Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Innocentio summo Pontifice: sub Episcopis Lutholdo Basiliensi, & Heinrico Argentinensi.* Innocentius III. is est, qui pro subsidio potissimum terræ sanctæ Concilium Lateranense IV. generale postea indixit an. 1213. celebratum an. 1215. Eius successor vero Honorius nihil non eam in rem egit apud principes, datis, quas Raynaldus refert, litteris, apud Fridericum II. Imp. imprimis tum epistolis, cum etiam coram colloquiis, missisque in Germaniam nuntiis. Ad an. 1226. refert in chron. Hirsaug. Trithemius Honorium misisse Conradum Portuensem pro cruciata in Germaniam, *qui per Sueviam descensurus ad Coloniam, præsens monasterium Hirsaugiense in propria persona visitavit, quem abbas Eberhardus honorifice suscipiens humanissime per biduum curare studuit, & postea usque Spiram comitatus est.* De Conrado hoc Nigra-Silvano, ex comitibus de Urach oriundo, deinceps nobis recurret dicendi occasio.

Eousque autem negotium hoc expeditionis sacræ provexit Gregorius IX., ut Fridericum votum expeditionis sacræ recusantem exsequi, etiam excommunicaverit. Cætera silentio prætereo, quæ eidem, dum postea in Syriam navigavit an. 1228. acciderunt post inducias anno sequenti cum Soldano initas. In Msc. Chron. rerum Argentorat. de quo mox plura, an. 1251. memoratur crux prædicata contra Tartaros, & an. 1248. contra ipsum Fridericum Imperatorem, & eius fautores.

Status Imperii Germanici.

III. Fridericum II. equidem adhuc pupillum fovit Romana sedes contra Ottonem Guelphum iura ecclesiæ Romanæ invadentem, vix adepta Romæ corona imperii post Philippum Friderici patruum ab Ottone de Witelspach occisum. Fuit hæc factio Guelphica Gibellinæ Hohenstaufiorum Sueviæ ducum opposita, uti superiori seculo Friderico I. ita hoc deci-

decimo tertio Friderico II. contra Romanam ſedem exſurgenti; atque in Italia præprimis, ubi potens erat Eſtenſis Guelphica gens, maximarum turbarum fuerat cauſa. Apud nos vero Gibellina ducum Sueviæ ab exordio ſtatim prævaluit. *Unde factum eſt*, inquit Conradus de Fabaria c. 7. de caſibus monaſterii S. Galli in Alemannia, *ut maiori pro parte principes Sueviæ Philippum ſibi regem, ac ſi tutorem fratruelis Friderici adhuc infra annos degentis eligerent, in Sicilia ſub tutoribus conſtituti. Cumque principum quorumdam mens in facto tali opponere ſe vellet conamini, cum nec filium Henrici* (Fridericum) *vidiſſe ſe dixerint, monitu Dietbelmi de Crenkingen Conſtantienſis Epiſcopi & Augienſis Abbatis, Philippus animatus regnum ſibi uſurpare aggreſſus, quos prius habuit dubios Sueviæ Barones, principes & comites, fidiſſimos invenit & ſtabiles. Inter quos piæ memoriæ venerabilis Pater noſter Heinricus, dum decertaſſet uſque ad finem, Uodalricum tam regiminis loci huius, quam factionis erga Ottonis alterius partis electum reliquit. Qui poſt ſyrtes ſcopuloſque proceloſos bellorum velis ſecundis, dato remige fortibus antennis, iunctis ſibi principibus regi fidiſſimis, ultra fines Albæ fluvii Ottonem propulerunt.*

Goldaſt. Aleman. rer. T. I. P. I. p. 79.

Conradus Urſpergenſis rem articulatim perſequitur a ſeculi duodecimi fine, quo Philippus regnum accepit, ac ſuper Moſellam quidem æmulum fugavit, *cæterum ſedem regni non obtinuit. Anno Domini* 1200. *Pihilippus Alſatiam vaſtavit, & quasdam munitiones expugnavit. Anno Domini* 1201. *Philippus Argentinam obſedit, & eam in poteſtatem acce-it &c.* quæ ſunt in vicinia Nigræ Silvæ geſta.

Miſerat Innocentius III. in Germaniam ad conciliandos Philippum &)ttonem legatos, dum interim occiditur Philippus an. 1208. *incredibile ſtu*, ſunt verba laudati Conradi de Fabaria c. 8. de Caſ. monaſt. S. alli, *quanta perturbatio, quam ingens luctus cunctis regni principibus uerit, omnia confuſa, omnis ordo perturbatus principum, Comitum, & ronum, cum de ſe quiſque diffideret.* Otto ut ſibi miniſteriales Phi-pi conciliaret, duxit filiam Philippi uxorem, peragratiſque partibus eni, advenit in Sueviam teſte Urſpergenſi, *cœpit autem prædonibus facinoroſis terrorem incutere & iudicia ſuper eos exercere potius indi-us ſuper eos per ſuperbiam, quam amans iuſtitiam.* Narrat porro re- ad annum 1210. prima Friderici electione in imperatorem in Ger-ia anno 1211. quum ipſe eſſet Romæ, vidiſſe ſe ibidem virum reli-im abbatem de Morimunt, qui a feſto S. Michaelis, ſicut ipſe aſſe-, uſque ad quadrageſimam, quinque vicibus tranſierat a Roma ad am iuſſu Domini papæ, quatenus pacem reformaret inter papam & ratorem Fridericum.

 Huic

SECULUM XIII.

Huic anno ſequenti, conſentiente pontifice, iterum in imperatorem electo, anno proximo 1213. imperium adituro ex Italia in Germaniam advenienti Conſtantiam uſque occurrit Otto in vicino oppido Uberlingen conſiſtens, ſed a multis derelictus, non auſus eſt conſerere prælium. Iuxta Chronicon monaſterii S. Georgii ad an. 1212. *Otto Imperator deponitur a papa Innocentio, & expellitur a Briſach. Fridericus Rex Siciliæ occulte veniens in Teutoniam eligitur a principibus in regem, & coronatur Moguntiæ & pacem faciens multos fecit decapitari.* Otto tamen adhuc, ut Trithemius ad an. 1213. loquitur, fiduciam habens in ſolo duce de Zaringen Bertholdo, deſcendit cum paucis ad imperiale oppidum Briſach, eventum rei præſtolaturus. Fridericus autem, teſte Urſpergenſi, auxilio comitis de Quiburg ſeu Kiburg, & aliorum, quibus ipſe prædia imperii & paterna large diſtribuit, & obligavit, uſque Baſileam pervenit: ubi tunc Henricus de Veringen Argentinenſis epiſcopus cum quingentis militibus ei occurrit: quorum & aliorum auxilio fretus per partes Rheni deſcendit, & civitates, ac terras, exceptis quibusdam caſtris paucis, in poteſtatem accepit: a Conſtantia nempe Moguntiam uſque, ubi aliquamdiu conſedit, magnumque principum conventum in feſtivitate S. Andreæ Apoſtoli celebravit, in quo præter Sifridum Moguntinum, Trevirorum quoque Archiepiſcopus, teſte Trithemio, ſimul & Argentinenſis, Baſileenſis, Conſtantienſis, Spirenſis & Herbipolenſis epiſcopi, rex Bohemiæ, Landgravius Thuringiæ, comesque Palatinus Rheni homagium Friderico præſtiterunt.

Trithemius anno 1219. alii ſequente Fridericum corona imperii Romæ redimitum dicunt: abhincque ſimultates cum Romana ſede, ingentia utriusque reipublicæ damna ac turbæ natæ, accuſationum monſtra, varia pontificum ſtudia, mitia pacis ſubinde, alias ſevera etiam cenſurarum in Fridericum, a quibus tamen ante mortem abſolutus ab Archiepiſcopo Panormitano, ubi pœnitens & *contritus*, inquit Matthæus Pariſ. ad an. 1251. *pro peccatis ſuis confeſſionem fecit pleniſſimam cum lacrymarum ubertate ſe Deo commendans & Ordini Ciſtercienſi, unde habitum Ciſtercienſium ante mortem, ut nobis ſuorum fidelium patefecit certa relatio, humiliter ac devote ſuſcepit.*

Succeſſorem reliquit Conradum filium regem Romanorum iam an. 1237. ſalutatum, paullatim tamen ab optimatibus imperii in noſtris etiam derelictum terris. Innocentius IV. gratulatur in epiſtola ad Augienſem abbatem in noſtra vicinia, quod captata opportuna occaſione a Conradi partibus deſciverit, ut ad an. 1248. refert Raynaldus n. 16. Hortatus etiam fuerat pontifex poſt Concilium Lugdunenſe an. 1245. ubi Fridericus depoſitus fuit, electores imperii, ut Henricum Landgravium Haſſiæ

Tom. XIII. pag. 584.

impe-

imperatorem eligerent. Studiose imprimis cavebant tunc temporis pontifices, ne imperium cum regno Siciliæ coniungeretur, ad Carolum Andegavensem delato post mortem Manfredi an. 1266. dumque Conradi IV. filius Conradinus in suam perniciem occurrit, ut paternum Siciliæ regnum recuperaret, captus an. 1268. cum Friderico Badensi Austriæ duce, & decollatus est Neapoli ultimus Hohenstauficæ in Suevia stirpis.

In Ladislai Sunthemii monasteriologia Franconiæ apud Oefelium extat Conradi huius seu Conradini charta primæ impignorationis oppidi & castri Werd ad Danubium in Suevia factæ an. 1266. ubi inter testes primus legitur Fridericus dux Austriæ, is ipse, qui postea Neapoli fuit capite plexus matre Austriaca Gertrude uxore Hermanni VI. marchionis Badensis rectoris ducatus Austriæ, cuius mortem ad an. 1250. reponit Schœpflinus in hist. Zaringo-Badensi; alius ergo est Hartmannus seu Hermannus de Baden, qui mox secundo loco inter testes occurrit in memorata Conradini charta post Fridericum, cum quo interiit senior Badensis domus stirps Hermannidum, sexto nimirum eius nominis ab Hermanno I. Bertholdi I. ducis Zaringiæ filio, qui antequam Cluniacum concederet, ibidem an. 1074. mortuus & sepultus, Hermannum II. genuit ex Iuditha ex comitibus de Calw fundatoribus monasterii Hirsaugiensis, in Nigra Silva familia prædiviti: unde forte ditio quædam illic terrarum Badensibus iam tunc accessit, veluti postea Hermanni V. temporibus uxorio iure ad Marchiones Badenses devolutum fuit oppidum Pforzheim, nec multo antea an. 1218. ex hæreditate Zaringensium, Bertoldo ultimo illius stemmatis defuncto sine prole, Brisgoia, quæ sese protendit in Nigram Silvam. Quidquid vero præterea Zaringiæ duces in Nigra Silva possidebant, Egeno seu Egino de Urach accepit Agneti sorori Bertoldi V. matrimonio iunctus.

Scriptor rer. Boic. T. II. p. 610.

V. Ad alteram Bertoldi V. sororem Annam, Ulrico Comiti de Kiburg nuptam, post mortem fratris devenerunt Zaringica Helvetiæ bona, ex reliquiis atu regni Burgundici. Ex matrimonio Ulrici Kiburgi comitis cum Anna Zaringica nata est Heilwigis mater Rudolphi Habsburgici, qui comitatu etiam Kyburgico fuit auctus cum tot aliis, quibus gentem suam Habsburgo-Austriacam cumulavit terris, strenuissimus heros primum in Brisgovia nostra prope monasterium S. Blasii aggressus iuvenis adhuc iuvenem Hugonem de Tuffenstein, post hæc patruum Gottfridum de Laufenburg apud Rauracos, ditionum suarum ampliandarum ibi terrarum tanto cupidior, quod interiecta esset ditionibus, quas amplas in Alsatia tenebat, Basilea urbs imprimis ceu media, cui prætextu etiam partium Frideri-

Tranquillitas Rudolphi Habsburgici electione in imperatorem restituta.

dericianarum, ut prodit breve Innocentii IV. P. an. 1254. variis insidiabatur artibus, uti latius omnia in fastis Rudolphinis umus prosecquuti, indicatis bellorum causis cum abbate etiam S. Galli, quem postea in suas partes contra Henricum de Novo castro episc. Basileensem traxit.

Quod vero ibi p. XXXIV. sumus coniectati, illum Kyburgicam ditionem non facile adeo in suam redegisse potestatem, iam plenius, confusius tamen nonnihil, ediscimus ex chronico coævo sub nomine Magni Ellenhardi civis Argentinensis editum Pragæ an. 1777. quod eum ducem militiæ civitatis Argentinensis celebrat p. 16. *secutum vestigia patris in tantum etiam, quod ipse solus timebatur per totam Alsatiam & Sueviam, favente tamen sibi civitate Argentinensi: prævaluit enim contra Petrum de Sauoi, qui divitiis & militia pollebat, expugnando castra sua Baden scilicet & Morsberg, castrum Kyburg & oppidum Winterdur, & comitatum de Kyburg sibi subiugando, ac comitem prædictum ad propria fugando &c.* Tum commemoratis aliis bellis cum comitibus de Tockenburg dominis etiam de Regensberg, de Griesberg, & de Clingen, quos sub iugo suo posuerit, mox (præteritis silentio bellis cum San-Gallensi abbate & episcopo Basileensi, quam urbem imprimis, ut diximus, investasse, affectasseque visus
a est ad coniungendas ditiones Nigro-Silvanas apud Rauracos, & Alsaticas, a) quamve obsidens Imperator fuit renunciatus) diem coronationis perperam ad IX. Kal. Novembris refert, id est primo mense suæ electionis factæ ab Archiepiscopo Coloniensi, Engelberto scilicet, qui ipse in relatione facta ad Gregorium X. P. diem apostolorum, Simonis nimirum & Iudæ, designat. Extant chartæ Werneri Moguntini & Henrici Trevirensis Archiep. quibus de expensis in electione & coronatione Rudolphi factis cavent, Rudolpho Imperatori ob sumtus bellorum, necdum confecto Basileensi, instantibusque aliis, de quibus mox post coronationem instauratis pergit chronista Argentinensis: *post hæc reversus ad terram Alsatiæ, & post modicum tempus collecto exercitu expugnavit, arridente sibi fortuna, fortissima castra, & oppida Mullenberg, Crezingen, & Durlach ac totam terram Sueviæ ex alia parte Rheni, quæ erat marchionis de Baden, & orta fuit pax magna per Germaniam a montibus Italiæ usque ad lacum Anglicani maris.*

Hæc ille antequam res Rudolphi contra Ottocarum regem Bohemiæ imperii æmulum prosequeretur, apud Romanam sedem ob bella contra in-

a) Coniecimus in Fast. Rud. p. *VIII.* Rudolphum ideo Cononi de Bergheim vendidisse arcem Limper, ubi natus fuit Rudolphus, quod esset ad extremam oram superioris Alsatiæ, in qua provincia idem Cuno postea fuit Rudolphi nomine Satrapa seu Advocatus (Landvogt), ut palam fit ex instrumentis a Lud. Car. de Berckeim huius familiæ mecum communicatis, quæ etiam Schœpflinus citat *Tom. II.* Alf. illustr. *pag.* 560. 699.

infideles suscepta gratiosum. Nihilominus Lugduni in consistorio Cardinalium sub ipsum Concilii generalis tempus, ad quod Othonem praepositum S. Guidonis Spirae legatum miserat, rati habuit Gregorius X. P. electionem Rudolphi, missis iam prius ad Alphonsum Castellae regem, ut Mariana refert, nunciis, atque etiam Lausannae ipse colloquium habuit cum Rudolpho, dum frustra conciliare omni conatu eidem studuisset pontifex Ottocarum Regem Bohemiae: quo devicto maximam sibi gentique suae Habsburgicae gloriam est adeptus, ut Fast. Rudolph. sumus prosequuti, atque etiam consequenter pacem & tranquillitatem suam utrique reipublicae restituit iam a seculis concussam. In iisdem Fastis Rudolphinis narravimus, quae res Rudolpho fuerit contra personatum Fridericum, qui nempe se finxit Fridericum II. Imp. quem an. 1250. disparuisse nonnulli chronistae, atque inter hos etiam Petermann Etterlin in chron. Helvet. ad an. 1250. asseruerunt. In Msc. cod. ex quo editum est chron. Argentinens. sub nomine Magni Ellenhardi, eo nempe curante conscriptum, nomen personati Friderici II. exprimitur, de quo retulimus ibidem, quod fuerit a Rudolpho *exustus Theodoricus Holzschuoe, qui finxit se Caesarem. Et idem rex Rudolphus regnavit XVIII. annis & obiit in divisione Apostolorum.* Ad mortem usque Rudolphi coronationis Romanae solemnitas fuit agitata: quam in rem edimus Honorii IV. P. an. 1286. ad principes ipsumque Rudolphum litteras, aliasque indigitat Raynaldus etiam Nicolai IV. an. 1289. sed Rudolphus antecessorum periculis cautus, non cunctari quidem videbatur; nec tamen, dum vixit, Germaniae tantam securitatem reddere potuit, ut in tuto positis rebus imperii Germanici, Italicis ipse suscepto itinere pro dignitate prospicere posset: vel hoc ipso de patria eo amplius meritus, pacis publicae stator.

SECULUM XIII.

Rer. Hispan. Lib. XIII. c. 22.

Cap. V. p. 78. & seqq.

p. 144. &c.

Etsi vero, quod promeruerat, obtinere haud potuerit, ut Alberto filio, quem ducem Austriae caeterarumque Ottocaro extortarum provinciarum constituerat, statim post mortem imperium deferretur: id tamen hoc adhuc sec. XIII. cuius anno nonagesimo primo obierat Rudolphus, est consequutus, superato Adolpho: qui, ut laudatum perhibet Ellenhardi chron. ad 1295. *suscitavit Barones & nobiles Austriae contra dominum Albertum ducem Austriae, ut attraheret sibi ducatum Austriae.* Mox ad an. 1296. ab eo constitutos in vicinia nostra perhibet *Adolphum Thebaldum Comitem Pferretarum Alsatiae, Hermannum de Geroltzeke trans Rhenum Advocatos, qui postmodum unacum domino Bercheim seniore in odium domini Conradi Argentinensis episcopi & civitatis Argentinensis totam terram Alsatiae citra & trans Rhenum multis affecerunt damnis & iacturis: hoc videntes,*

SECULUM XIII.

pergit, *dominus Conradus Argentinensis episcopus & cives Argentinenses, Domini de Lichtenburg, & de Obsenstein, Landgravi Alsatiæ, Comites de Friburgo, de Liningen, Geminipontis, videntes etiam fatuitatem domini regis, ac oppressi insolentiis suorum advocatorum, & præcipue causam dabat dapifer de Rinberg, Advocatus imperii in Spirgauwe, conspirarunt cum domino Moguntino Archiepiscopo adversus regem & suos: qui quidem dominus Archiepiscopus de consensu principum electorum imperii, dominorum videlicet Bohemorum regis, ducis Saxoniæ, & marchionis de Brandenburg, dominum Albertum ducem Austriæ ad certum vocavit terminum, ut certa die in Moguntina civitate compareret, exigentibus delictis domini Adolphi regis ipsum electurus in regem Romanorum.*

Narrat porro, ad præstitutum terminum adfuisse principes præter Trevirensem archiepiscopum & ducem Bavariæ Palatinum, vocatumque etiam Adolphum; Albertum vero cum exercitu disposita Austriæ provincia processisse usque ad fluvium Rhenum in civitatem Waldshut Alpegoviæ nostræ, Adolphum vero venisse Brisacum, quum adhuc Albertus apud Waldeshut fuisset, volentem ei præcludere viam, ne veniret Argentinam. Ex adverso Conradum Argentinensem episcopum cum decem millibus pugnatorum tam equitum quam peditum Alberto obviam adfuisse usque Friburgum, cui Adolphus exercitu in Alsatia collecto occurrerit usque Kenzingen, declinasse tamen pugnam, dum Albertus cum episcopo Argentinensi Friburgo ad dictum oppidum Kenzingen processisset, consistens ex adversa parte fluvii qui dicitur Elzahe: adveniente vero termino electionis iter Moguntiam instituisse. Ubi nempe an. 1298. in vigilia B. Ioannis Albertus electus est Romanorum rex, deposito Adolpho ac postea in prælio prope Wormatiam occumbente.

Notavit Schannatus in præfatione collect. II. Vindemiarum liter. ex chron. Dietheri de Helmestat, qui sui temporis eventus præcipuos annotavit, post victoriam Gerardum II. Archiepiscopum Moguntinum & suos fautores in Alzeia oppido non super scutum, ut teste Phil. Cluverio mos erat antiquis Germanis, *sed super dolium levantes in regem* sublimasse Albertum. Perhibet Ellenhardus noster, Adolphum in animo habuisse, si Albertum vicisset bello, *quod ipsum primo & principaliter, deinde dominum Conradum (Argentinensem) & dominum Henricum Constantiensem episcopum voluit, ut igne cremaretur.*

pag. 61.

Dynastæ Nigræ Silvæ præcipui.

V. Sunt hi præcipui, ut subinde notavimus, Nigræ Silvæ hierarchæ; comitum vero de Friburgo, quos idem Ellenhardus eadem occasione cum Conrado ep. Argent. & aliis Alberto addictissimos commemorat,

nos

nos iam ſuperiore libro maternam ſtirpem prodidimus comitum de Urach, ex quibus Friburgenſes & Furſtenbergenſes ſunt prognati, præcipui ſec. XIII. Nigræ Silvæ dynaſtæ, rebus aucti ex hæreditate Zaringica an. 1218. relictis duobus Bertoldi V. generis Ulrico comite de Kiburg, & Egenone de Urach.

SECULUM XIII.

Paſſim in monumentis ſeculi XIII. occurrunt Egon, Egeno, Egino comites de Urach pater & filius, ſenior & iunior, nequaquam confundendi cum Egenonibus comitibus de Urach, de quibus libris proxime antecedentibus in hiſtoria ſec. XI. & XII. locuti ſumus; ut tamen Egino ſenior, de quo nunc agimus, nuptiis, forte dimidiam partem comitatus Uracenſis in Wirtembergia obtinuerit, quam poſtea iterum annis 1254. & 1265. Ulrico comiti de Wirtemberg vendidit Henricus comes de Urach, Dominus in Fürſtenberg, qui proximior eſt ſator comitum de Furſtenberg, Egenones autem avus & pater, quorum ille an. 1235. hic an. 1236. obiit, primi, de quibus conſtet, gentis Furſtenbergicæ progenitores, qui ſimul iuncti iam occurrunt an. 1206. ut Oſwaldus Gabelkover Archiater ducis Wirtembergici in opere Mſc. de Familiis Germaniæ illuſtribus ab an. 1091. — 1603. annotavit. Unde facile coniicitur, quem idem reperit Egenonem a Friderico I. Imp. an. 1181. & ab Henrico VI. Imp. 1196. alibique nominatum Egenonem comitem de Urach, ſeniorem illum fuiſſe iunioris patrem vulgo Barbatum dictum.

Hic, quem diximus obtinuiſſe dimidiam partem comitatus Uracenſis in Wirtembergia nuptiis forte per uxorem primam Uracenſem, in Necrologio tamen Amtenhuſano iam an. 1186. cum Agnete Zaringica matrimonio iunctus dicitur; eius filius vero dominus in Freiburg an. 1215. uxorem habuit Adelheidem de Neüffen. Extant ad eum apud P. Herrgott Conradi II. ep. Conſtant. literæ an. 1229. cui ſententiam ſuam inter monaſterium S. Blaſii & dominum de Gephingen ob eccleſiam in Uttenwiler approbandam transmiſit, uti palam fit ex litteris eiusdem Eginonis comitis de Urach & domini in Friburg, ut ſe nominat ad eundem epiſcop. anni 1225. quas edimus, chartam item incerti anni in qua inter teſtes occurrit Rudolphus de Urach Eginonis frater monachus in Bebenhuſen. Aliam chartam laudatus Gabelkoverus notavit anni 1228. qua Egeno ſenior cum conſenſu filiorum Egenonis, Rudolphi, & Berchtoldi eidem monaſterio Cimberbuch donavit.

Cod. probat. Geneal. Habs. p. 237.

Iam tunc mortuus erat anno proxime antecedenti 1227. Conradus epiſcopus Portuenſis Cardinalis S. R. E. de quo infra, & Bertoldus abbas Tennenbacenſis non confundendus cum Bertoldo, qui in diplomate laudato

SECULUM XIII.

dato memoratur, fuitque frater Laicus ordinis Prædicatorum in Efslingen, ad cuius monasterii fundationem an. 1220. portionem suam dedit mortuus an. 1240. Rudolphus vero itidem memoratus in instrumento Bebenhusano, ubi monachus fuit, Conrado fratri fundum donavit pro monasterio Stein infra Urach, quod ipse demum consummavit, præsens etiam tractatibus cum comite de Wirtemberg super Urach & Wittlingen annis 1228. 1245. 1254. Quæ an. 1254. transacta fuerunt inter Henricum de Furstenberg & Ulricum de Wirtemberg, iis consensum præbuit Bertoldus comes de Urach ultimus familæ comitum de Urach, cuius meminimus libris proximis, euiusque ditiones post mortem an. 1260. ad comites de Wirtemberg devenerunt. An. 1236. cum uxore Agatha curiam in Raitwang donavit monasterio Bebenhausen, in sigillo insidet equo galeatus, ante se habet scutum Uracense inscriptum *sigillum Bertoldi in Urach.*

Notat Gabelkover ad memoratum instrumentum Bebenhusanum anni 1228. chartæ illi insignia seu scutum comitum de Urach unum idemque omnium appendi, sed non exprimit quale illud sit, an Leo saliens, quale antiquum chronicum Spirense ad annum 1105. exhibet in insigniis Gebhardi comitis de Urach episcopi Spirensis, ut me docet Cl. Car. I. F. Dœpserus Archivarius Furstenbergicus, an aquila Furstenbergica, qualis in Mausolæo Egenonis iunioris Tennenbaci comparet, constanterque in omnibus monumentis Furstenbergicis eodem teste maxime idoneo archivista Furstenbergico. Is ipse inde, quod insignia comitum Uracensium, nempe Leo saltans, & Furstenbergensium, aquila alis expansis, omnino diversa sint, manifestum facit, materno tantum Sanguine hos ex illis descendere: etsi ea etiam in sententia sit, comites de Furstenberg titulum de Urach communem habuisse ex castro eius nominis in Wirtembergia cum familia comitum de Urach, ex qua postremus Bertholdus defunctus est an. 1260. quo ipso Richardus R.R. Ulrico comiti de Wirtemberg feuda ex morte Bertoldi relicta concessit. Agnoscit nihilominus laudatus Dœpserus, comites hos de Urach etiam in Nigra Silva habuisse possessiones, & quidem haud procul a turri, quæ etiamnum Alturach vocatur prope Lenzkyrch in dynastia huius nominis, propingua valli Uracensi, cui nomen dat rivulus cognominis; quæ vero longius dissita est nequaquam confundenda cum castro in Wirtembergia ad Alpes Sueviæ, Ura seu Urach appellato, de quo gentilitio comitum de Urach superioribus libris sumus locuti: quod colligitur ex transactione, quam edimus, inter Eberhardum de Lupfen & Egenonem III. de Friburg an. 1296. facta, in qua limites emtarum tertiæ partis possessionum a Bertoldo de Ura iidem designa-

ſignantur, qui poſtea in inſtrumento emptionis an. 1365. dynaſtiæ Lenzkirch ac turris *Ura* occurrunt. Poſſeſſiones vero comitum de Urach in Wirtembergia probat ex iam memorato inſtrumento an. 1236. quo idem Bertoldus monaſterio Bebenhuſano donat curiam, quam habuit in prædio ſuo, quod *Reidewant* ſeu Raitwang nominatur; item ex inſtrumento permutationis Ulricum comitem de Wirtemberg inter & Henricum de Furſtenberg an. 1254. in quo viduæ Bertoldi vitalitium ex monte Tettingen prope Urach in Wirtembergia conſtituitur. Inſtrumentum hoc ex commentariis ſæpe citati Oſwaldi Gebelkoveri archiatri Wirtembergici mecum communicavit laudatus Dœpſerus, quo Henricus de Furſtenberg, accepto in cambium caſtro Wettlingen ſito in Alpibus ſupra Urach, Ulrico comiti de Wirtemberg donat *caſtrum Urach dimidium, vaſallos, parte dimidia tantummodo ſibi reſervata, & inſuper ei donavit dimidiam partem omnium, quæ habet inter clivum, qui vulgariter vocatur Slatterſteige, & caſtrum Urach, & comititiam, quam habet ex hæreditate materna, dimidiam dedit.* Quæ omnia in Wirtenbergia ſunt, firmantque paſſim a nobis dicta de aſſumto titulo comitis de Urach a caſtro Wirtembergico.

Paullatim res ſuas ampliarunt ſec. XIII. comites de Wirtemberg caputque extulerunt. A fine ſec. XII. in chartis notatur Ludovicus & Hartmannus, idem forte, ut Sattlerus in hiſtoria topograph. Wirtembergiæ coniicit, qui in dipl. Friderici II. an. 1216. Hermannus ſcribitur, citatque ex Duellii hiſt. ord. Teut. Hartmannum in charta an. 1214. item an. 1227. iamque etiam apud Lunig. occurrit an. 1209. in Italia cum Ottone IV. Ludovicus eius frater apud laudatum Sattlerum notatur an. 1208. ex cuius filiis Henricus medio ſec. XIII. epiſcopus Aiſtetenſis fuit; Hartmannum vero ſeniorem & iuniorem idem Sattlerus hoc ſec. XIII. diſtinguit, atque in ſcenam producit etiam Conradum ſecundum, cuius nepotes rerum potiti ſunt ex ſorore filia Hartmanni ſenioris, Ulricus *cum pollice* appellatus & Hartmannus iunior, qui in comitatu Chroningano reſedit, teſte Trithemio in chr. Hirſ. ad an. 1280. Ulricus vero in Wirtembergia cognominem filium habuit Ulricum & Eberhardum, qui illuſtris ſalutatus bellicoſus a Rudolpho R. R. iterato Studgardii obſeſſus in ordinem eſt redactus. Sattlerus Ulricum iuniorem & ſeniorem non diſtinguit, dum iam memoratam a nobis commutationem dimidii comitatus Uracenſis inter Henricum de Furſtenberg & Ulricum de Wirtenberg factam commemorat; ita ut reliqua pars eiusdem comitatus an. 1265. eidem Ulrico emtione acceſſerit. Retinuit nihilominus Henricus

pag. 33.

Spicil. eccleſ. T. III. p. 848.

pag. 34.

pag. 147.

SECULUM XIII. titulum continetque eum adhuc sigillum appensum in diplomate Horbensis oppidi, quod in auctario diplom. cod. epistol. Rudolphi I. R. R. edimus anni 1270. his verbis in alia quoque eiusdem anni charta expressis *Sigillum comitis Hainrici de Urach, domini in Furstenberg*, postquam iam dudum ex divisione ditionum Zaringicarum post mortem Bertoldi V. an. 1218. huic illustrissimæ familiæ accessisset Friburgum Brisgoiæ, Villingen cum multis dynastiis, & quidem in Nigra Silva, Haslach, Dornstetten, Oberkyrch, Hausen in valle Kinzingana. Divisionem hanc breviter Matthias Neoburgensis ab Urstisio sub nomine Alberti Argentinensis editus explicat his verbis: *Mortuo autem tempore Friderici Berchtoldo duce Zaringiæ an.* 1218. *Calendis Maii uni sororis de Kiburg cessit illud dominum in Burgunden: alteri Egenoni cum Barba comiti de Urach cessit inferius dominium: quo mortuo, cum reliquisset duos filios, scilicet Chunradum seniorem, cui cessit dominium in Brisgaugia, & Egenonem, cui cessit dominium in Suevia, a quo comites de Furstenberg processerunt. Chunradus vero comes Friburgensis moriens reliquit duos filios Egenonem seniorem, cui cessit dominium Friburgense, & Henricum, cui cessit Neuwenburg, & Badenwiler.* Congruit charta divisionis paternæ & maternæ inter Egenonem & Heinricum fratres an. 1272. apud
Cod. probat. Histor. Zaringo-Bad. T. V. p. 253. Schœpflinum subscribunt *Grave Ruo von Habeschburg, Grave H. von Furstenberg, und C. der Senger von Lichtenberg, Grave C. von Friburg, Tumberre ze Kostenze, und die vier und zwanzig von Friburg.*

Henricus conditor comitum de Furstenberg, ea in arce sedem fixit, auctus a Rudolpho I. an. 1283. Landgraviatu Barensi, quam cum cæteris Nigræ Silvæ possessionibus, præterquam quas Conradus Henrici frater Friburgi persistens, a quo comites de Friburg descendunt, retinuit in divisione bonorum. Henricum Rudolphi I. R. R. vicarium Romandiolæ in
p. 94. &c. Fastis Rudolphinis sistimus, epistolas Rudolphi eam in rem in Cod. epist.
p. 110. &c. obiit an. 1284. Egenonis nomen perseveravit per secula in utraque Uracensi illustri familia comitum de Friburg & Furstenberg. De his mox plura, ubi de Friburg & Villingen agemus.

Memoratu digna est conventio, quam vulgamus anni 1296. inter comitem Egenonem de Friburg & Eberhardum de Lupfen circa terras Bertoldi de Ura ab Egenone emtas, quarum fines articulatim recensentur. Nobiles de Lupfen a castro Sueviæ supra Thalam dicti Hohenlupfen in pago Bara seculo XIII. inter præcipuos dynastas Nigræ Silvæ
pag. 342. numerantur. Ineunte secul. XIII. apud laudatum Sattlerum Bertoldus

de Lupfen momoratur cum filiis Ulrico canonico Augustano, Bertoldo, Eberhardo, Henrico & Hugone. Edimus præstantissimum Theotiscum an. 1251. instrumentum infeodationis factæ Heinrico de Lupfen super castro Stuhlingen in Alpegovia Nigræ Silvæ nostræ meridionali. Eodem an. 1251. Bertoldum & Eberhardum de Lupfen fundasse cœnobium monialium Gnadenzell apud Offenhusam P. Sulger testatur, passimque in chartis apud P. Herrgott post medium secul. XIII. leguntur ex hac familia illustres viri. Nobili viro Eberhardo de Lupfen an. 1259. cum permissione Bertoldi abb. S. Galli Henricus de Gruemben feuda San-Gallensia tradidit: quod iterum an. 1271. inter eosdem firmatum est. An. 1277. arbitris Hugone de Almenshofen & Colmano de Friburg inter Eberhardum de Lupfen, Henricum, Albertum, & Iacobum de Falkenstein sic componitur, ut bona in Seckau, Mulman, & Balzhusen Eberhardo de Lupfen cesserint pro 15 marcis argenti & remissione nexus feudalis. An. 1294. Henricus de Lupfen vendidit cognato suo Eherhardo de Lupfen partem suam oppidi, castri & comitatus Stuelingensis in Alpegovia nostra, partem item iuris feudalis super Lupfen, ac ius hereditarium in Almuth, Aichheim & Lottstetten &c. quæ sunt in pago partim Alpegoviæ, partim Cleggoviæ dynastiæ Tiengensis, quæ successu temporis ad comites de Sulz pertigit dynastas Nigræ Silvæ ad Nicrum Fluvium.

SECULUM XIII.

Annal. Zwifald. P. I. p. 205.
Cod. probat. Geneal. Habs.

Mentio paullo post occurret Walteri inter episcopos Argentoratenses, qui fuit filius Walteri de Geroldseck, qui inter alia dominium in Sulz post mortem, quam oppetiit an. 1277. Henrico filio reliquit, comiti Valdentiæ in divisione tunc cum filiis Hermanni, qui in prælio apud Argentoratum pro fratre Waltero ep. Argentorat. an. 1262. occubuerat. Obtigit autem Henrico memorato simul cum ditione Sulz Hohen-Geroldseck in Ortenavia & advocatia monasteriorum Ettenheimmünster & Schuttern in Brisgoia &c. Moriens is an. 1298. inter filios reliquit Walterum conditorem lineæ Sulzensis familiæ comitum de Sulz iam collabentibus rebus. In historia Pragmatica huius familiæ an. 1766. ed. præter recensita alia etiam dominia in Nigra Silva recensentur, inter instrumenta vero ad an. 1275. filius & nepotes Walteri I. notantur.

pag. 9.
pag. 36.

In memorata charta an. 1272. divisionis paternæ hæreditatis inter Egenonem & Henricum comites Friburgenses legitur *Her. Eb. von Lupfen, Grave H. von Sulz*, iam an. 1141. Alewicus comes de Sulzo testis adscribitur in Conradi III. charta transactionis inter ecclesiam Basileensem & monasterium S. Blasii apud P. Herrgott ad an. 1267. occurrit Hermannus Dei gratia comes de Sulze, E. de Sulz archidiaconus Argentinensis

Cod. probat. Geneal. Habs. num. 220.

SECULUM XIII.

Besold. Docum. rediv. P. I. p. 150. 255. 459.

nensis patruus suus. An. 1278. Hermannus comes de Sulze villam Hopfsow monasterio Alperspacensi vendidit, quod haud procul abest ab oppido Sulz ad Nicrum. Apud sæpe citatum Sattlerum inter alia p. 409. notatur an. 1284. Henricus de Geroldsek a Rudolpho primo obtinuisse privilegium civitatis in Sulz.

Ibi terrarum comites de Hohenberg potissimum dominabantur, seculo hoc XIII. imprimis illustres connubio Annæ de Hohenberg, & Haigerloch cum Rudolpho Habsburg. R. R. de qua in Fastis Rudolph. & libro singulari *de translatis Habsburgo - Austriacorum principum Cadaveribus in monasterio S. Blasii* an. 1770. ex Helvetia, Kœnigsfelda & Basilea, ubi Anna præcipuum novæ San-Blasianæ cryptæ Habsburgo - Austriacæ decus cum filio Carolo sepulta fuit, numerosæ illius prolis, quæ brevi tempore imperii Germanici electorum toros, thronumque Cæsareum a fine seculi XIII. ad nostra usque tempora ornavit, mater. Gertrudis dicitur adhuc in diplomate, quod edimus, Germanico, Aquisgrani vigesimo quinto Octobris, post tres dies in festo apostolorum Simonis & Iudæ cum Rudolpho ibidem coronata, mutato scilicet, quod solemne fuit, nomine, ut citatis ostendimus locis. Illud etiam indubium iam est ex chartis monasterii seu Cellæ B. M. V. in Nigra Silva an. 1271. Gertrudem hanc ex prosapia comitum de Hohenberg fuisse oriundam, nempe sororem Alberti, Burchardi & Ulrici, qui in chartis illis nominantur, atque in priori, quam ex archivo Bad-Durlacensi edidimus, ut testes subscribunt post Conradum de Friburg, & Henricum de Furstenberg, quos avunculos suos vocat Rudolphus. Burchardum patrem Annæ in Fastis Rudolph. prodidimus alium a cognomine apud P. Herrgott & Besoldum, qui an. 1201. obiisse dicitur. Rudolphus, Hugo, Henricus comites de Hohenberg occurrunt in chartis an. 1291. & iterum 1330. An. 1253. Bertoldus comes de Hohenberg ictus fulmine periisse dicitur, frater Alberti, qui an. 1271. reædificavit oppidum Rotenburg, ut appellare voluit, quod an. 1112. terræ motu & aquarum inundatione perierat Landort, seu Landscron prius dictum, ad Nicrum in comitatu Hohenbergensi inferiori. Comitatus hic & familia nomen habet a castro Hohenberg, cuius rudera hodieque conspicua sunt haud procul a Rottweil in comitatu superiore Hohenbergico. Cum præcipuis Nigræ Silvæ dynastis comit. de Habsburg & Baden in charta Rudolphi R. R. an. 1281. apud Martenium Burchardus de Hohenberg & Henricus de Furstenberg cum aliis pluribus subscribunt. In instrumento pacis Rudolphum R. R. inter & Eberhardum comitem de Wirtemberg anni 1286. quod edimus, occurrit Burchardus de Honberch, seu Hohenberg, quem alium a cognomine patre Annæ uxoris

Thes. Anecd. T. I. p. 1168.

Rudol-

Rudolphi notavimus in auctuario diplomat. cod. epist. Rudolphi I. R. R. itemque in Fastis Rudolphinis occasione diplomatis oppidi Horbæ, quod fuit comitibus de Tubingen sec. XIII. oppignoratum. a)

a) pag. 225.

Notatur in chronico Fr. Christiani Tubingi apud Sattlerum b) an. 1284. Hugo Palatinus Tubingensis cum filiis suis Othone & Ludovico in Horwa, ad Nigram Silvam paucis ab oppido Calwe leucis, unde comites fundatores monasterii Hirsaugienses sunt appellati, & ipsi inter primores Nigræ Silvæ dynastas connumerandi. Ex his ineunte sec. XIII. Henricus Augiensis abb. de S. Pirminio scripsisse apud Mabillonium notatur. c) In charta Egenonis comitis de Furstenberg an. 1290. quæ Francofordi edita est, an. 1721. in vernacula *notitia nobilitatis*, plures nobiles Nigræ Silvæ familiæ occurrunt inter novem, quos iuratos promissorum urbi Villingen factorum adducit: *dis sint der vorgenanter niene Namen, min Bruder Grave Friderich von Furstenberg, mine Obeime Friderich Brune von Hornberg, Hainrich und Cunrat von Bluemnegge, Hug von Schultegge, und Iohannes sin Sun, Brune von Kiurnegge, und Iohannes sin Vetter v. Kiurnegge.*

b) Cap. II. n. 9. pag. 14. *Historie von Wirtemberg.* P. IV. p. 391.

c) *In Act. Ord. S. Bened. sec. III. P. II.* pag. 136.

Distinctæ sunt familiæ de Hornberg, & Horneck in Nigra Silva. Nobiles de Hornberg, ex quibus apud Besoldum d) Arnoldus de Hornberg ad an. 1191. notatur, præter mox memoratum instrumentum in monumentis nostris sec. XIII. nuspiam reperi, deinceps vero in vicina Helvetia & Brisgoia. Henricus de Hornberg commendatori S. Ioannis in Luggeren ad Arolam fluvium haud procul a Confluentia in Rhenum prope Waldshut, dedit feminam ligiam an. 1322. An. 1359. Ioannes de Hornberg in monasterio Oberriedensi Ord. S. Guilielmi vitam monasticam duxit. An. 1370. Henricus de Horneck in transactione inter Hugonem de Furstenberg & Walterum von der Dicke ex una parte, & Henricum ac Georgium ex altera, circa munitiones castrorum Hohengeroldseck & Schiltach vadem se præstitit pro Henrico de Geroldseck, eodemque anno pro eodem de Geroldseck dicto de Tubingen Hammann de Horneck. An. 1376. Volmarus de Horneck dominus, an. 1398. Ioannes, & Bruno de Horneck condomini in Horneck notantur. Quomodo sec. XV. castrum cum oppido & dynastia Hornberg ad comites de Wirtemberg devenerint, libro superiore notavimus. Fridericus & Matthias de Hornberg fratres quum dissiderent cum quibusdam nobilibus Turicensibus, eorum prope Nigram Silvam bona Schafhusenses sunt depopulati, pace reddita an. 1403. Henricus de Hornberg in Conc. Constantiensi an. 1416. loco Friderici de Zollern depositi suffectus est abbas Augiensis, nec tamen nisi mortuo Friderico abbatia potitus est, post mensem ipse defunctus. Fridericus

d) *In Monum. rediv. ed. nov.* T. I. p. 219.

SECULUM XIII.

de Wartenberg ad insulam Augiensem ex monasterio S. Blasii evocatus an. 1428. Fridericum etiam de Hornberg ad professionem admisit cum aliis; uti & Eberhardum de Kyrnegg. Ioannes vero de Kyrnegge testis comparet in charta, qua Bertoldo de Gressekon prædium in Wettelbrun Brisgoiæ vendiderunt Dietricus & Ludewicus de Berne an. 1289. Frequenter admodum nobilissima familia de Blumenegg in documentis San-Blasianis occurrit inde a fine sec. XIII. quo Chunradus de Bluomenegge miles ab abbate S. Blasii quorumdam bonorum advocatus electus, ea pro viribus suis defensurum adpromisit in castro suo Thannegge an. 1294. & 1295. Idem forte Conradus mediatorem se exhibuit inter Diethelmum abbatem Augiensem & Henricum comitem de Furstenberg an. 1320. obside dato Lutoldo de Krenckingen cum Nicolao de Kenzingen canonico Constantiensi, & Ioanne eius fratre. Occurrit eodem tempore Diethelmus de Krenckingen in charta, quam mihi significavit L. B. de Zurlauben servari in arce Nobilium de Heideck in superiore Argovia, vicina castro Liel, unde nobilis familia perinde nomen habet, simulque in charta Rudolphi senioris de Habsburg an. 1243. Henricus de Heidecko, & Walterus de Liela testes notantur. Henricus de Heidecko habetur quoque inter testes iam 1210. in charta Rudolphi comitis de Habsburg, apud Tschudium. a) Deinceps autem Heideckii in Nigram Silvam commigrarunt, vicini dominis de Blumeck & Krenckingen.

a) *Chr. Helv. T. I. p.* 110.

Ex familia hac de Blumeneck, cum nobilissimis de Sulz, Lupfen &c. sanguine iuncta, Rudolphus uxorem habuit Sophiam filiam Lutoldi de Krenkingen an. 1364. Quæ familia iam sec. XII. in monumentis San-Blasianis frequens occurrit, ineunte seculo XIII. tam ampla & potens, ut in charta San-Blasiana an. 1202. Burchardus miles Lutoldi de Krenkingen ministerialis notetur. Transactioni quoque inter Rudolphum comitem de Habisburc & abbatissam Seconiensem ob castra & oppidum Loufenberg astitit Cunradus de Chrenchingen an. 1207. Idipsum an. 1262. Henricus de Krenckingen ab Ottone episc. Const. in feudum accepit, quod an. 1413. Dietric de Krenckingen iterum domino suo directo vendidit, situm in finibus Alpegoviæ nostræ Kleggoviam versus, ubi castrum Wisenburg eiusdem familiæ ramo nomen dedit, ut habetur in charta apud P. Herrgott. b)

b) *Gen. Habs. T. II. P. pag.* 210.

Eadem poro sunt insignia nobilium de Krenckingen & de Wisenburg monasterii Rhenaugiensis advocatorum. Unde Diethelmus in sigillo de Krenckingen scribitur, qui, uti & Fridericus frater, in charta an. 1295. de Wisenburg domini in Roggenbach appellantur; ita vero, ut divisa familia, ii qui castrum Krenckingen inhabitarunt, se de Krenckingen appellarint,

rint, qui vero castrum Roggenbach, sese dominos de Wisenburg scripserint. Diethelmus an. 1332. se dominum de Krenckingen dictum de Wisenburg adpellat. De Diethelmo episcopo Constantiensi ex eadem familia inferius mentio occurret. Seculo XIV. castrum Roggenbach nobiles Schafhusenses de Rothe, quibus eadem insignia fuerunt ac nobilibus scultetis de Schafhusa & Roth de Randenburg seu Nellenburg, tenuerunt, dicti etiam ob bona in Alpegovia nostra oppidoque eius nominis *de Grafenhusen;* occurritque passim in chartis sec. XIII. *vir nobilis* Egbertus, dictus Rot miles, an. 1279. in testem vocatus a Conrado de Krenckingen. Floruit secul. XIII. Scafhusii etiam antiquior familia nobilis Im Thurn, secul. XIV. variis aucta possessionibus in Landgraviatu Stulingano & ultra in Alpegovia meridionali. Ex quibus an. 1370. Rudigerus & Eberhardus Im Thurn cum aliis nobilibus Scaffhusensibus castrum Ewattingen oppugnarunt, confregeruntque. Wilhelmum Im Thurn ab an. 1408. in archivi San-Blasiani chartis reperimus usque ad annum 1412. quo feuda ibidem recognovit feria IV. post festum S. Agnetis: quo eodem anno Eberhardum militem Im Thurn abbas S. Blasii evocavit ad defendenda monasterii iura. An. 1418. Margaretha Im Thurn priorissam, an. 1464. vero Clara Im Thurn magistram Parthenonis nostri Beroviensis egit. Claræ successit in magistræ officio Anna Im Thurn an. 1474. Passim etiam in chartis sec. XIII. occurrit nobilis Scafhusensis familia de Slaite, Keller de Schlaitheim in confinio Nigræ Silvæ Sueviam versus, ubi illustris cumprimis fuit eodem seculo gens de Zimmern.

In prodromo monumentorum Guelphic. P. Gerardi Hess cum Mechilde ducissa Bavariæ, Agnete ducissa Saxoniæ, Guta regina Siciliæ, Cleinta, seu Clementia regina Ungariæ, Catharina & Halewige Rudolphi regis filiabus, earumque fratre Rudolpho, memoratur. Elizabeth filia comitis de Zimbarn ab auctore synchrono in comitatu Rudolphi R.R., dum anno primo regiminis ad monasterium Weingartense divertisset. Attamen in veteri Msc. monasterii S. Georgii, quod ad nobilem familiam de Zimmern pertinuit, sequentia legi annotata: *Anno Domini* 1539. *hat Kaiser Carolus der Fünft mein Geschlecht der Freyen Herren vom Zimbarn zuo dem Graffenstand erhöchet.* In eodem Msc. porro notatur Cuno liber dominus a Zimbarn testis testamenti pro monasterio S. Georgii *per Dominum de Hornberg: Wernerus item & Eberhardus de Zimbern, mater eorum Adelhaidis comitissa de Zaringen, testis unius testamenti fratrum monasterii S. Georii in Nigra Silva, per unum de Grüningen prope Villingam, qui dicebatur liber homo anno* 1224. Notantur ibidem, sine anno, obiisse Conradus de Zimbern sepultus in monasterio S. Georgii: iterum Conradus de Zimbern sepultus p. 88.

SECULUM XIII.

in Meſſekyrch, Magnoaldus & Wernerus de Zimbern fratres, Gotfridus de Zimbern liber dominus ſepultus in monaſterio Alperſpach unacum Eliſabetha duciſſa de Teck, quorum libro ſuperiore meminimus. Paſſim vero Cruſius a) poſt Munſterum & Stumpfium meminit nobilium huius familiæ, quos etiam iam ſec. XIII. comites ac regulos vocat, ubi tamen duos confundit Werneros, b) Wernerum patrem nuptum Annæ de Falckenſtein relicto filio Wernhero poſthumo, cuius uxor prima fuit Anna dapifera de Rohrdorf nupta an. 1319. mortua an. 1350. improlis; & Brigitta de Gundelfingen, ex qua ſuſcepit filium Ioannem dictum der Lapp.

a) *Annal. Suevic. P. III.*
b) *P. III. lib. I. cap. 3. & lib. III. c. 8.*

Cruſius c) memorat Wernerum Ioannis de Zimmern filium, qui an. 1222. vixerit, Adelheidi de Abenſperg matrimonio iunctum. Is & Albertus filius nuptus Agneti de Hachberg relicta dynaſtia ad Conradum filium abbatem Augiæ divitis (qui in charta an. 1206. monachus & ſcholaſticus Augiæ divitis teſtis legitur) conceſſerunt, ibidem ſepulti. Conradus iſte in charta an. 1206. teſtis legitur ceu monachus & ſcholaſticus Augiæ divitis, illique abbatiæ iuxta Galliam Chriſtianam ab anno 1237. uſque 1255. præfuit. d) Fuerunt etiam duo canonici eccleſiæ cathedral. Argentoratenſis ex hac familia, Fridericus nimirum ſub Henrico de Haſenburg epiſc. ab an. 1180. uſque 1190. frater Werneri, (is ipſe forte, qui in charta Henrici II. epiſc. Argent. an. 1211. inter teſtes legitur Fridericus cantor, apud P. Herrgott e) & Rudolphus filius, parochus etiam in Waldmeſſingen defunctus an. 1252. eius ſoror Adelhaidis uxor fuit Eberhardi de Lupfen.

c) *Ann. Suev. P. II. lib. IX. c. 17.*
d) *T. V. pag. 989. L. c. p. 800.*
e) *Gen. Habsburg. T. II. P. I. p. 214.*

Porro Wernerus memorati Alberti filius, mortuus an. 1289. uxorem habuit Annam de Falckenſtein, filiam Bertoldi de Falckenſtein, & Eliſabethæ de Furſtenberg nuptam 1288. Diverſas familias comitum & nobilum de Valckenſtein, diverſaque per Nigram Silvam caſtra Valckenſtein ſeu Falckenſtein iam prioribus libris memoravimus, a quibus hoc & ſequenti ſeculo plerumque ſe nominare ſolent nobiles milites de Valckenſtein, ex quibus in charta conventionis inter comitem de Montfort, & abbatem S. Ioannis in Thuræ-valle, apud Ægid. Tſchudium f) ad annum 1209. inter miniſteriales ceu teſtes ſubſcribunt *Egilolfus & Henricus fratres carnales de Valckenſtein.* His Pater Herrgott etiam acc enſet Waltherum, g) qui in charta 422. an. 1258. inter nobiles teſtes notatur; itemque in alia 456. an. 1262. Philippus de Valckenſtein cum Conrado comite de Uriburc. Ex his quoque Henricus ſigillum ſuum addidit chartæ an. 1280. unacum Egenone & Henrico comitibus de Friburg: ubi præterea Hermannum de Falckenſtein dictum de Kapelle invenimus. An. 1272. Walterus de Nuwen Valckenſtein nobilis Commendatori

f) *Chr. Helv. T. I. p. 108.*
g) *Gen. Habsburg. T. II. P. II. Ibid. P. I. p. 343. Ibid. p. 377.*

tori domus hospitalis Friburgensis ius patronatus ecclesiæ Capellensis venumdedit. Mox memoratus Henricus in suo sigillo falconem arcui insidentem præfert, insigne Falckensteiniis de Buckenrütti in Brisgoia commune. Idem vetus sigillum familliæ de Valckenstein in Nigra Silva exhibet Stumpfius in chron. Helvetico, a) ubi simul novum addit plane a priore diversum, perinde ac Urstisius chron. Basil. b) scutum coloribus distinctum, notatque castra vetus & novum eius nominis in Helvetica Burgundia cis-Iurana. Notatur quoque ex hac familia Bertholdus abbas S. Galli ab an. 1244. usque ad an. 1272. Rhenaugiæ item.

a) *L. VII c. 34. p. 237.*
b) *L. I. c. 14.*

Friburg. Brisgoiæ, ac comites inde dicti.

VI. Passim iam meminimus divisionis factæ terrarum Zaringicarum post mortem Bertoldi V. ducis an. 1218. Friburgi Brisgoiæ sepulti, ubi hodieque superest eius statua in navi insignis Basilicæ a Conrado fratre Bertoldi III., qui eam urbem adolescente sec. XII. condiderat, exstructæ, una cum turre præstantissimi operis cancellati ex lapidibus quadris. Urbs hæc sita est ad collimitia Nigræ Silvæ, cuius ibi montes utrinque sese veluti cornua quædam protendunt. Limitem Nigræ Silvæ hodieque in ipsa urbe ad portam Suevicam tilia designat. Comites de Urach, quibus in portione hereditatis ob Agnetem sororem Bertoldi ea regio obtigit, primum se dominos, deinceps etiam comites de Friburg appellarunt. Schœpflinus b) ad an. 1234. affert excerpta ex Henrici regis Rom. sententia contra Hermannum marchionem de Baden pro ecclesia Basileensi & Eginone comite Friburg. de Argentifodinis & custodia Silvarum per Brisgoiam. Flumina in Nigra Silva orta aut decurrentia, eiusdem Henrici eiusdemque anni diplomate huic ipsi Egenoni in feudum conferuntur. Sunt autem cum valle *Renchental*, *Wissen*, *Brigen*, *Kinzechen usque Gengenbach*, *& nominatim Milenbach*, *Elzach*, *Treysonia*, *Brega a Danubio usque Ymmendingen.*

b) *Cod. probat. hist. Zaringo-Badens. T. V. pag. 189.*

Idem Egeno an. 1236. quo & obiit, arcem supra Friburgum in parte inferiore montis, qui Nigram Silvam claudit, ea ex parte construxit, litium inter comites & cives seminarium. Filius eius Conradus an. 1237. edidit instrumentum, quod in citato cod. probat. c) legitur, de Capella in suburbio castri Friburgi extructa. Eodem anno facta est divisio ditionum inter Henricum & Conradum fratres, Egenonis iunioris ex Adelhaide de Niffen filios, dimissoque titulo de Urach Conradus sator comitum de Friburg extitit. Eidem an. 1248. Innocentius IV. P. confirmat spem castrorum & oppidorum Neuenburg, Offenburg, & Ortenberg. d) In excerptis histor. Msc. monasterii S. Georgii idem Conradus debellasse memoratur an. 1250. dominum de Geroldsegg, eumque in Lare cepisse: alibi vero eumdem anno sequenti eodem loco occidisse perhibetur. In chron.

c) *Ib. p. 202.*
d) *Ib. p. 214.*

SECULUM XIII.

S. Georgii filius cum patre captivatus refertur; tum vero ad an. 1262. facta cædes magna inter Argentinenses & dominum de Geroldsecke, *in qua dñs Hermannus filius domini de Gerol.... & d. Henricus de Tiersperc, & alii quam plures nobiles, & multo plures ab Argentinensibus sunt captivati &c.* Conradi filius cognominis in charta an. 1255. plebanus eccles. parochialis in Friburg notatur apud eumdem Schœpflinum. a) Henricus comes de Friburg an. 1270. castrum Burghalden in chron. Konigshoven extruxisse legitur, id est, restaurasse arcem illam mox memoratam, identidem nempe a civibus infestatam dirutamque. Fuerunt porro præter Henricum de Furstenberg Conrado comiti de Friburg fratres Gebhardus canonicus Argentoratensis & facellanus papæ, Gotfridus canonicus Constantiensis, & Bertoldus; uxor vero Sophia Friderici comitis de Zollre filia, obiit an. 1272. in Basilica Friburg. sepulta. Ex filiis Conradi Egino comitatum Friburgensem, Henricus in Brisgoia Neoburgum & Badenwilam obtinuit: quæ tamen etiam postea Eginoni vendidit, de paterna tamen hereditate securis redditis filiabus, ex quibus Margaretha dote Badenwilam ad comites de Strasberg detulit.

a) *L. c. T. I. histor. Bad. p. 234.*

Rudolphus R. R. an. 1275. obsedisse Friburgum urbem legitur in Annal. Colmariensibus. Apud Hier. Pezium b) breviter notatur in chron. theotisco Horneckii, quod in chron. Ellenhardi ad annum 1280. adnotatum legitur, Rudolphum obsedisse civitatem Friburg in Brisgovia exigente delicto comitis de Friburg, eumque & civitatem prædictam suo imperio subiugavisse. In appendice seu auctuario diplomatum cod. epistol. Rudolphi I. R. R. c) edidimus eiusdem Rudolphi I. dipl. 1281. quo certis conditionibus & comes & cives in eius gratiam redeunt, quas inter erat restauratio castri Zaringensis in Nig. Silva a civibus destructi. Idem Rudolphus d) an. 1289. quo Conradus Egenonis filius urbem obsidione cinxit, pacem inter comitem & cives de Friburg conciliavit adversus invicem bellantes, adhibito consilio Argentinensis & Basileensis episcoporum, Henrici item marchionis Badensis, cuius apud eumdem Schœpflin. e) extat charta an. 1284. qua monasterio in Adelhausen decimas in Uchtingen tradit. Monasterii huius fundatio tribuitur Adelheidi Zaringæ, ut videtur, sic dictæ ex stemmate matris Agnetis sororis Bertoldi V. quæ fuit mater Egenonis II. comitis de Friburg, cui Adelheidis nupta fuit stemmate paterno de Neufen.

b) *T. III. scriptor. rer. Aust. p. 175.*

c) *pag. 213.*

d) *Ib. p. 348.*

e) *T. V. pag. 281.*

Bucelino f) est hoc monasterium ord. S. Bened. In eo, teste Schœpflino, in hist. Bad. g) Kunigunda & Elisabetha Henrici II. marchionis de Hachberg filiæ professæ erant, ut ex charta Henrici, qua idcirco an. 1284. monasterio decimas in Uchtingen tradit, constat. Chunegunda soror Rudolphi R.R. fuisse

f) *T. I. pag. 347.*

g) *Cod. probat. hist. Zaringo-Badensis. pag. 281.*

fuisse creditur, velum autem accepisse dicitur a Waltero priore Argentoratensi sub Anna de Selten monasterii Antistita, ferturque ipsa an. 1245. in concilio Lugdunensi egisse præsens, ut monasterium, quod eousque sine certa regula fuit, ordini S. Dominici addiceretur, defuncta an. 1250. Nomen Chunigundæ non exprimit auctor chronici Dominicanorum Colmariensium, qui ineunte sec. XIV. scripsit, editus ab Urstisio inter scriptores Germaniæ illustres a): ubi parte altera inter prolem Alberti de Habispurch, qui fuit pater Rudolphi I. R. R. recenset *filiam unam nuptui traditam comiti de Cussaberch, alteram in claustrum Dominarum de Adelnhusen prope Friburgum ordinis fratrum Prædicatorum collocatam, in quo vitam suam laudabiliter consummavit.* Henricus & Ulricus comites de Chussaperch an. 1228. primi inter testes chartæ Rudolphi avi Rudolphi R. R. quam in cod. probat. edimus, subscribunt, dicti a castro eius nominis in Kleggovia Nigræ Silvæ nostræ contermina. *Habuit autem*, sunt verba Alberti Argentinensis, ut apud laudatum Urstisium editus nominatur, b) *comes de Kussenberg sororem ipsius Rudolphi de Habspurg: quo defuncto sine liberis, eadem soror Ottoni de Ochsenstein data est in uxorem: ex qua domini de Ochsenstein & Strasberg postmodum prodiere.* Oppido falluntur, qui hanc Rudolphi R. R. sororem cum altera confundunt, quam modo audivimus ex chronista Colmariensi in monasterio Adelnhusen prope Friburgum vitam suam laudabiliter consummasse. Monasterium hoc postea unacum castro Zaringen dirutum accepit a Rudolpho pecunias in damni reparationem. *Exercitus regis Rudolphi*, ut in dictis Annal. Dominicanorum Colmariensium notatur ad an. 1281. c) *destruxit claustrum Dominarum de Adilhusen, propterea dedit eis rex trecentas viginti marcas.*

a) P. II. p. 37.

b) L. c. P. II. p. 98.

c) Apud Urstis. P. II. p. 18.

Ex dictis vero constat, fallere inscriptionem, quæ monasterium hoc iam an. 1234. fundatum ordini Prædicatorum adscribit: qui tamen circa ea tempora monasterium virorum Friburgi accepit Arnaldo Trevirensi primo Priore. Docet nos Gabelkoverus in suo commentario Msc. an. 1238. Conradum cum consensu Gebhardi & Bertoldi fratrum matrisque Adelhaidis fratribus Prædicatoribus locum concessisse ad ædificandum monasterium: quod de confirmatione accipiendum repetita an. 1240. & 1241. apud Urstisium in chron. Basil. d) censetur inter Generales eius ordinis quarto loco Ioannes Friburgensis in capitulo generali an. 1242. Parisiis electus, Argentorati obiisse an. 1253. In annal. Dominicanorum Colmariensium apud Urstisium ad an. 1270. legitur: e) *Translati sunt ad fratres Friburgenses de Basileensibus.* An. 1235. Henricus episc. Constant. consensum dedit super receptione fratrum Prædicatorum in urbe Friburgensi, annoque sequenti

d) L. II. c. 17.

e) P. II. p. 9.

Ru-

SECULUM XIII.

Rudolphus plebanus de Friburg, quo eodem anno eamdem vocationem senatus Friburg. testatam facit, factam ab Egenone comite de Friburg, ut palam fit ex instrumento Conradi filii an. 1238. quæ omnia leguntur in Austria S. a) Ostenditur hodieque in hoc monasterio Cathedra, ex qua Albertus M. Friburgi docuerit. An. 1246. Capellam S. Martini conventualibus S. Francisci datam docet charta hodieque in archivo urbis superstes: apud quam ecclesiam pro ipsis iam an. 1226. monasterium constructum memorat Franciscus Petri in Suevia sacra b) ubi plura de isto conventualium, ab anno 1515. autem strictioris observantiæ Franciscanorum cœnobio affert; nec non P. Vigilus Greiderer in Germania Franciscana. Cæterum urbs hæc Friburgensis sec. XIII. bellis fere continuis fuit turbata a comitibus de Friburg, ut notavimus, an. 1293. iterum pace restituta inter cives & Egenonem Conradumque eius filium, cuius instrumentum in chron. Friburg. quod Schilterus c) chronico Kœnigshofii adiecit, legitur in diplomate an. 1293. apud Besoldum, d) quo Adolphus R. R. monasterium Adelbergense confirmat, testes notantur inter alios Egeno & Henricus de Uriburg, *comites nobiles viri.* Quæ de fundatione Franciscanorum Friburgi referamus, non habemus alia, quam quæ iam exhibuit Franc. Petr. in Suevia ecclesiastica. e)

a) *P. I. Vol.* 2. *p.* 280. *&c.*
b) *pag.* 333.
c) *Script. rer. Germ. p.* 25.
d) *Docum. rediv. T. I. p.* 20.
e) *pag.* 333.

In nova bibliotheca ecclesiastica Friburgensi f) falsi enimvero arguitur *Austria Sacra* nuperrime Viennæ edita, quod in illa narretur, a Conrado canonico Argentinensi & ab Egone fratre eius comitibus de Friburgo Augustinianis eremitis an. 1278. donatam fuisse aream, in qua monasterium excitarent Friburgi; comites vero hos Friburgenses tantummodo facultatem dedisse asseritur Augustinianis vel permanendi in ea area, quam dudum incoluerant, vel seligendi locum alium magis remotum ab ecclesia Parochiali, emendum vel pecuniis suis, vel comparandum hominum piorum eleemosynis; at maluisse in pristina statione remanere. Ut pleraque Augustiniensium monasteria fundatorem unum aut certum non habuere, ita & Friburgense, quod cæteris in his plagis antiquitate præstat, & excitatum eius a colonis esse videtur collatis eam in rem fratrum paternis bonis, collectisque eleemosynis.

f) *Vol. V. Fasc. II. pag.* 282. *p.* 222.

Neque etiam me omnium eorum vadem præstitero, quæ in eadem Austria Sacra g) de prima origine monasterii Clarissarum in hac urbe narrantur de quatuor innominatis equitibus eius fundatoribus, qui fama S. Claræ e disciplina S. Francisci ubique inclarescente inducti sint ad conferenda insignia sua bona, ipsaque domicilia pro monasterio ordinis S. Claræ instituendo. Quibus tunc opportune acciderit, quod Carmelitæ in suburbio,

g) *p.* 226.

cui

cui a Prædicatoribus nomen inditum eſt, monaſterium deſererent, equiteſque hi domibus ſuis iunctum unaque eccleſiam pro conſtituendo monaſterio uſurparint, in eoque magnum numerum monialium conſtituerint an. 1272. quo S. Bonaventura generalis fuit totius ordinis S. Franciſci miniſter: cui ipſi inſtituto hi equites ſeſe addixerint, eorumque exemplum ſequutæ quatuor coniuges cum undecim filiabus, omnes ſimul una die S. Martino feſta habitum S. Claræ ſumſerint: itemque Clara filia Egenonis III. comitis de Friburg eiusque uxor Catharina de Lichtenberg in eccleſia huius monaſterii ſepulti. Adduntur Catharina & Anna de Habsburg, Eliſabetha de Kiburg, Anna & Suſanna de Falckenſtein, Adelheidis de Schwarzenberg, quæ velum in hoc monaſterio acceperunt. SECULUM XIII.

VII. Ad inſtar urbis Friburgenſis Villinga bihoris a fonte Danubii diſtans, a Zaringenſibus ducibus condita haud abs re dicitur: quæ, poſteaquam Zaringorum poſteri ex Agnete Bertoldi V. ſorore in duas familias dividerentur, apud Henricum manſit Furſtenbergicæ proſapiæ conditorem. Hic, ut iam diximus, arbitro fratre Conrado & Hartmanno ſeniore comite de Kiburg, an. 1254. Auracum in Wirtenbergia, cum turri Urach in Nigra Silva noſtra haud confundendum, comitibus Wirtenbergiæ vendidit., & anno 1257. domum ordinis Ioannitici Villingæ fundavit *zu Hilf des heiligen Erdtrichs, und in Ehre ſant Iohanſen des Toffers des Spithals des Huſes ſant Iohans, das wür von nuwen geſtifft haben in unſer Statt Villingen*, ut habet inſtrumentum fundationis in additionibus ſeu *Beylagen zum Bericht vom Adel in Teutſchland*, ed. 1721. a) ubi paullo poſt legitur Egenonis charta an. 1282. donationis areæ in qua hoſpitale pauperum S. Spiritus in Villingen plantatum & ſitum eſt, cum iisdem privilegiis, *quæ hoſpitali S. Spiritus in Friburch Conſtant. Diœceſ. per ingenuos viros dominos eiusdem loci conceſſa dignoſcuntur.* Idque ſe facere teſtatur *in remedium ſingulare & ſalubre animæ reverendiſſimi patris & domini noſtri felicis recordationis Henrici quondam comitis de Furſtenberch, & ad preces efficaces præcordialiſſimæ dominæ & matris noſtræ Agnetis comitiſſæ, nec non ad ſalutem animæ noſtræ.* Ibidem b) legitur Alberti ducis Auſtriæ confirmatio an. 1337. omnium eorum, quæ Egeno & Conradus fratres hoſpitali S. Spiritus contulerunt. Villinga.

a) *Num.* 34. *Num.* 36.

b) *Num.* 36.

Henricus vero pater & ſator gentis Furſtenbergicæ anno 1268. fundaverat conventum ord. S. Franciſci, cuius primus Guardianus fuit Henricus a Friburgo, unde anno præcedente Henricus comes eiusdem inſtituti fratres poſtulaverat, datis ad Albertum generalem Fratrum minorum mi-

SECULUM XIII.

nistrum litteris, quas refert Schœpflinus in historia Zaringo-Badensi, a) & mox eiusdem Henrici & Agnetis uxoris chartam libertatis novo Fratrum minorum in Villingen monasterio concessæ. Idem Agnetis nomen occurrit in altera apud eumdem charta an. 1270. b), qua curiam suam sitam apud capellam S. Nicolai, monialibus de domo patrum (der Vätter Versammlung) Villingæ Henricus cum consensu Gotfridi fratris canonici Constantiensis donavit. Sed quum facultates ad cœnobium ædificandum haud suppeterent, Petrus Capotius Cardinalis legatus apostolicus piis fidelibus ad ædificium conferentibus 40. dierum indulgentias concessit, quo ita prosperabantur moniales, ut an. 1260. ab Henrico abbate in Tennenbach bona, quæ erant in Asenheim, quatuordecim marcis argenti emere possent. Accessit an. 1270. villa cum agris & pratis prope capellam S. Nicolai, indulgentia Henrici comitis de Urach, domini in Furstenberg, mox memorati mariti Agnetis, in codice epistolari Rudolphi I. c) substituendæ in locum Adelheidis de Nüffen, quæ perperam credita fuerat uxor Henrici, ex divinatione nempe litteræ initialis A., qui nomina exprimendi mos in medii ævi monumentis facile in errorem abducit.

a) T. V. pag. 246.
b) L. c. pag. 251.
c) pag. 114.

Urbem Villingam an. 1271. excepto hoc Franciscanorum monasterio & domo ordinis Ioannitici, igne conflagrasse, docent nos excerpta historica vicini monasterii S. Georgii, postquam anno 1270. conventus sororum de capella S. Nicolai certæ regulæ, seu S. Augustini instituto, sese addixisset, ut patet ex charta Eberhardi Constantiensis episcopi, quæ iisdem excerptis historicis est inserta, perinde ac Henrici comitis confirmatio, in qua iterum nomen Agnetis uxoris legitur. Dudum vero antea cognominis comitissa de Ura & Friburg iam memorata soror Bertoldi V. proprietatem curtis in Villingen ad exstruendum ibi parthenium Sanctimonialibus donaverat, ut apud laudatum Schœpflinum d) legitur, uti & excerpta ex Rudolphi I. R. R. confirmatione immunitatis pro civitatibus Villingen, Furstenberg, Haslach, Dornstetten aliisque oppidis eiusdem Henrici; integrum autem istud diploma legitur in notitia nobilitatis Germanicæ mox citata. e) Eiusdem Henrici filii, teste Crusio f) in eadem urbe Villingen milites fuere facti in præsentia Rudolphi R. regis, serius tamen, quam excerpta historica San-Georgiana afferunt Rudolphum Villingæ fuisse, anno nimirum 1280.

d) pag. 200.
e) pag. 269.
f) Ann. Suev. Lib. III. P. III. p. 158.

Idem Rudolphus an. 1283. peramplum pagum Bara vacantem imperio ex libera & spontanea resignatione Hermanni comitis de Sulze, sæpe laudato Henrico de Furstenberg contulit. Huius tres filii Conradus plebanus in Villingen, Egon & Gebhardus chartam donationis vernaculam

an.

an. 1259. dederunt, quæ edita habetur in sæpius iam memorata notitia nobilitatis Germanicæ. a) Alius ex his filiis Fridericus ex dote coniugis Welhildis dynastiam Wolfacensem familiæ intulit, Egoni fratri postea concessam; unaque Conradus & Gebhardus canonici Constantienses & plebani in Villingen super Villingam solemnem transactionem inierunt, cui, ut apud Schœpflinum b) notatur, testis adsuit Henricus II. marchio de Hachberg an. 1284. quo is reditus curtis suæ in Wettelbrun donavit monasterio Tennenbacensi ordinis Cisterciensis.

a) *pag.* 354.

b) *Hist. Zaringo-Badens. T. I. p.* 347.

Eiusdem quoque instituti fuit monasterium Novæ domus iuxta Villingam, quod Gregorius IX. P. an. 1238. in protectionem sedis apostolicæ cum omnibus suis bonis accepit, ut ex apographo monasterii S. Georgii in excerptis historicis solertissimi abbatis Georgii Geisser didici. Id vero monasterium iam ineunte seculo XIV. haud amplius extitisse, notitia quædam Erkingeri & Conradi de Falkenstein an. 1320. docet. Monasterium S. Claræ in Villingen an. 1278. sub tertia regula S. Francisci a civibus quibusdam institutum an. 1450. in Neuhausen fuit translatum, iterumque a civibus in urbem receptum, postea demum adprobante Sixto IV. P. strictiorem S. Claræ observantiam suscepit.

Sæpe laudatus Henricus I. de Furstenberg Villingæ in maiori ecclesia sepultus an. 1284. Friderico & Egoni III. filiis terras regendas reliquit, quas illi postea interpellati a Villingensibus, proprium sibi dominum exposcentibus, diviserunt, obtigitque Egoni inter alia Villinga & Haslach: unde nova linea nomen accepit, an. 1386. in Ioanne apud Sempach occumbente extincta, cuius abavus Egon III. Villingæ circa an. 1323. defunctus ac sepultus fuit, perinde ac iam memorati duo eiusdem fratres plebani in Villingen. His duæ sorores erant, dynastis Nigra-Silvanis nuptæ, Margaretha scilicet uxor Alberti comitis de Hohenberg, an. 1288. mortua, & Elisabetha primo matrimonio Bertoldo de Falckenstein, altero autem Gottfrido comiti de Tubingen iuncta, an. 1290. defuncta.

Urbes silvestres.

VIII. Pars quædam tractus urbium silvestrium ad Rhenum a Basilea Nigram Silvam versus, postquam duces Zaringi esse desierunt, imperio primum Germanico vacavit sec. XIII., ut apud Herrgottum videre est. a) In altera parte chronici Colmariensis, apud Urstisium b) multa affert auctor de molestiis, quas Rudolphus R. R. rex Henrico de Novo castro Basileensi episcopo, etsi cognato suo, creaverat iam inde a morte Friderici II. imp. postquam scilicet Rudolphus Brisacum occupaverat, quod suum esse contendebat episcopus. Hic aliunde quoque Rudolpho postea fuit infensus ob

a) *Gen. Habsburg. T. I. c. II. &c.*

b) *Script. Ger. illustr. P. II. p.* 58.

SECULUM XIII.

bellum ipso illatum dominis in Tokinburc filiis fororis fuæ, unde & Rudolphi caftrum Hertimberc, & Rhinfelden, *quod inexpugnabile videbatur, violenter obtinuit, & traxit in propriam poteſtatem.* In prima eorumdem Annalium parte a) ad an. 1272. notatur Rudolphus congregato exercitu veniſſe prope Baſileam, villam ibidem ſuccendiſſe & prædam Secconium detuliſſe, cui tamen inſecuti Baſileenſes nocere minime potuerint, recuperato haud dubie per Rudolphum caſtro Rhinfelden. Erat tunc Rudolphus cognominis lineæ Laufenburgicæ Rudolphi I. R. regis patruelis præpoſitus eccleſiæ cathedralis Baſileenſis, & collegiatæ Rhenofeldenſis an. 1228. ab Henrico epiſc. Baſileenſi erectæ, & an. 1230. ab Henrico VII. R. rege, ac an. 1238. a Gregorio IX. P. confirmatæ, ut in additionibus diplomaticis ad Auſtriam ſacram ex collectione Ioſ. de Wendtenthal legere eſt. Habetur ibi inter alia etiam inſtrumentum venditionis factæ monaſterio Olſpergenſi a memorato Rudolpho de Habsburg præpoſito eccleſiarum Baſileenſis, & Rhinfeld. an. 1272. qui anno ſequente, quo patruelis ſuus Rudolphus electus eſt in regem Romanorum, factus eſt epiſcopus Conſtantienſis, atque an. 1276. Rhenofeldæ ſacro baptiſmatis fonte abluit Carolum Rudolphi R. R. filium, cuius oſſicula unacum matris Annæ cadavere ex cathedrali eccleſia Baſileenſi ad monaſterium S. Blaſii an. 1770. ſunt translata.

a) *Ibid. p.* 10.

Eſt haud procul a Rhenofelda puellare Ciſtercienſis ordinis monaſterium Olſperg, ubi iisdem auctoribus ad an. 1276. ſoror extitit, quæ ſine potu undecim annis vixiſſe dicitur. Floret etiamnum iſtud monaſterium in ea Rauriciæ parte, quæ Nigræ Silvæ noſtræ reſpicit plagam, ubi olim Eremus Helvetiorum per utrumque Rheni litus ſe extendebat. Quæ de eo Munſterus ipſe locum haud procul a ſuo domicilio ſuo remotum adiens, in Coſmographia ſua affert, oſtendunt, illud primitus ordinis S. Benedicti inſtituti fuiſſe, Cluniacenſibus, ut videtur, addictum, Agnete prima abbatiſſa ad an. 1084. Monumenta vero huius monaſterii, quæ copioſa ſuperſunt, ſeculum XIII. non ſuperant.: ex his eſt Gregorii IX. P. bulla anni 1234. & comitis Rudolphi de Habsburg charta an. 1240. apud P. Herrgott b) data in caſtro Limper ſeu Limburg, ubi natum eſſe Rudolphum R. regem in Faſtis Rudolphinis oſtendimus; Albertum quoque Rudolphi patrem aliquamdiu ibi habitaſſe, iam Stumpfius notavit. c)

b) *Genealog. Habsb. T. II. P. I. p.* 259.

c) *Chr. Helv. lib. VII. c.* 13.

Diſtincta tunc erat temporis Laufenburgica gentis Habsburg. ſtirps; reliquæ urbes ſilveſtres Rudolpho parebant poſtea Romanorum regi, cum caſtellis Rhinfeldenſi & Secconienſi, de quo memoratus chronographus Colmarienſis d): *Caſtellum*, inquit, *quod Seconis dicitur, quod tunc erat de*

d) *P. II. p.* 38.

de dominio comitis Rudolphi, ignis casu superveniens, exceptis duabus vel tribus domibus devastavit. Eorum enim peccatis exigentibus hoc eis creditur accidisse. Sanctus enim Fridolinus locum illum usque ad illud tempus custodierat, quod nullus dominorum eos enormiter poterat infestare. Cives vero loci illius non confidentes in domino suo S. Fridolino pontem lapideum, quem ipse construxerat, destruxerunt, prædas pauperum innocentum induxerunt, & comessationibus & luxuriis insistebant.... Loco hoc destructo per ignem, venit venerabilis dominus Henricus Basileensis episcopus, & domos lapideas, ac muros civitatis in locis multis deiecit, & omnia, quæ ibidem reperit, deportavit. Quæ quidem ad annum 1272. referunt scriptores, quo, ut paullo ante vidimus, Rudolphus Basileam succendit, prædamque Secconium perduxit. Stumpfius in chronico a) præter quatuor ædes & ecclesiam S. Petri omnia igne consumta perhibet. Æg. Tschudius b) etiam claustrum seu monasterium S. Fridolini combustum, huius vero Sancti reliquias ex cineribus subtractas atque ab abbatissa fuisse recuperatas scribit. Rem ita se habere anno 1779. didici, dum partem reliquiarum S. Fridolini Vienna Austriæ, quo sec. XIV. ut ibi dicetur, fuerunt delatæ, pro nova mea ecclesia San-Blasiana obtinui: ustulatæ enim plus minusve sunt, & liquore quodam tinctæ tam reliquiæ, quam lapilli & cœmenti frustula, idcirco simul cum sacris lipsanis collecta. Tincturam illam ex una aut etiam pluribus lampadibus coram sacris Reliquiis suspendi solitis esse relictam eo confidentius asserimus, quod, ut mox videbimus, comes de Habsburg in camera, in qua post incendium commissas sibi hasce reliquias reposuit, noctis tenebras lumine decoravit. Quæ omnia Ægidii Tschudii narrationem confirmant, qui patria Glaronensis, pago olim eidem Sekingensi ecclesiæ obnoxio, certioribus rem documentis edoceri potuit.

SECULUM XIII.

a) *Lib. XII. c. 9.*

b) *Chr. Helv. T. I. p. 175.*

Nos rem prout in suppari chron. Colmariensi refertur, b) lectori ob oculos ponimus: *Venerabilis domina abbatissa, de genere comitum Phirretarum, post exustionem castelli, in claustrum & castellum rediit, reliquias sancti Fridolini reperit & accepit. Post hæc consilium iniit cum canonissis suis, quid facere deberet de reliquiis S. Fridolini. Tunc canonissæ dixerunt: si transtulerimus reliquias S. Fridolini ad locum solemnem, scilicet Basileam, tunc per violentiam episcopus & canonici retinebunt; si autem Fratribus minoribus vel Prædicatoribus, vel aliis religiosis dederimus ad servandum, ab illis episcopus auferet violenter. His consideratis dixerunt: demus reliquias S. Fridolini alicui vicinorum dominorum, qui claustro nostro aliquo fidelitatis vinculo adstrictus teneatur. Commiserunt igitur comiti de Habspurc, qui eas in honestam cameram collocavit, insuper in*

b) *Urstis. cit. p. 39.*

SECULUM XIII.

ea noctis tenebras lumine decoravit. Quæ quum per breve tempus ibidem fuissent, indignationem suam cœperunt per pulsationem suam familiæ demonstrare. Audiens hæc abbatissa in Loufinberc, ad canonissarum collegium transferebat. Sed quum & ibi per tempus aliquod fuissent, indignationem suam per pulsationem suam canonissis suis intimabant. Tunc canonissæ cum suis reliquiis ad claustrum proprium redierunt. Palam hinc fit, canonissas iam tunc perfugium Laufenburgæ habuisse apud comitem de Habsburg feudatarium suum. Teste Ottone de S. Blasio a) Fridericus Imp. Albertum comitem de Habsburg in gratiam Rudolphi comitis de Pfullendorf, cuius filiam in matrimonio habebat Albertus, advocatum Secconiensem constituit, post extinctos nempe an. 1172. comites de Lenzburg.

a) *Urst. Scriptor. Germ. T. I. p.* 207.

Extat apud P. Herrgott charta b) an. 1207. qua R. abbas de Mura, Henricus Montis angelorum, C. abbas de Luzila, Eberhardus abbas de Salem arbitri super controversia, quæ inter abbatissam Secconiensem, & Rudolphum comitem de Habisburg pro castris & villa Loufenberc vertebatur, decernunt ac his verbis cavent: *ut comes prædictus villam Secconiensem & claustri possessiones universas, clerum videlicet & ministeriales, totamque familiam prænominatæ ecclesiæ in eo iure, & ea libertate, qua tempore Arnolfi comitis de Baden fruebatur, semper illæsam conservet.* Inter testes huius chartæ post abbatem Cæsariensem (qui etiam chartæ an. 1203. c) subscribit in instrumento cessionis iuris patronatus ad monasterium S. Blasii *abbas de Chaisheim*), post Rudolphum item præpositum Durigensem seu Turicensem, Burchardum item præpositum Werdensem, & Rudolphum canonicum, Ulricum decanum, subscripti leguntur Chunradus plebanus Secconiensis, Henricus canonicus cum numeroso clero presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum eiusdem ecclesiæ. In charta vero apud eumdem P. Herrgott d) ex capitulo canonissarum N. domina de Keisersperg, N. domina de Runsch, N. domina de Habspurch, totumque capitulum Secconiense ratihabent an. 1276. *quidquid actum est per reverendam dominam nostram abbatissam de decima in Sernistal.* Nomen abbatissæ non exprimitur, uti nec in annalibus Dominicanorum Colmariensium e), dum ad an. 1287. refertur, abbatissam Secconiensem, quæ & procuratrix claustri Vallis Masonis erat, in dominam quoque claustri montis Romarici fuisse sublimatam. Apud Bruschium in chronologia monasteriorum Germaniæ post Bertham sororem, & Richardem coniugem Caroli Crassi ex seculo IX. duæ tantum notantur Secconienses abbatissæ, *Domina de Vonteney, forte Fontana aqua*, & altera de Pheningen, quibus subiicit Annam a Wessenberg, quæ obiit an. 1306. An vero illa, quam

b) *Genealog. Habsb. T. II. P. I. p.* 209.

c) *Ib. p.* 207.

d) *L. c. P. II. p.* 460.

e) *Urstis. P. II. p.* 22.

SECULUM XIII.

quam feculo præcedente a) ex Tfchudio littera initiali G. indicavimus, a duabus illis anonymis diverfa fit, aliis inquirendum relinquimus. Seculo hoc XIII. præter anonymam illam an. 1207. iam memoratam, apud Tfchudium b) ad annum 1220. ex charta fuæ familiæ notatur Elifabetha abbatiffa, poftea ad an. 1256. c) integram profert chartam Annæ abbatiffæ Secconienfis datam *in monafterio Secconienfi anno incarnationis domini 1256. Kal. Septembr. in die S. Verenæ Virginis, feria VI. indict. XIV.* cuius iterum ad annum 1261. meminit. d) Eiusdem Annæ Secconienfis abbatiffæ aliam chartam producit idem Tfchudius e) datam *Secconis... Anno domini 1273. in vigilia Thomæ Apoftoli, indictione fecunda.* Hanc tamen a priore diftinctam effe oportet, fi Willebirgis Secconienfis abbatiffa, quæ legitur in figillo chartæ 444. apud P. Herrgott f) circa annum 1260. ut idem coniicit, vixiffet, ad quem annum etiam chartam reponit. Nil tamen impedit, quominus charta hæc ad priores annos referatur, & adhuc ante annum 1256. quo iam Anna præerat, quæ Willebirgi forte fuccedens facile ad annum 1273. perdurare potuit.

a) *N. LXII.*
b) *Chr. Helv. T. I. p.* 118.
c) *p.* 152.
d) *Ib. p.* 160.
e) *L. c. pag.* 180.
f) *Genealog. Habsb. T. II. P. I. p.* 366.

Eodem Rheni tractu adverfo flumine poft Seckingam occurrit Laufenburgum, tertia filveftrium urbium, ubi Alpegovia noftra terminatur. Ibidem hodieque confpicua funt mœnia ac murorum rudera ampliffimæ arcis, quæ fedes fuerat lineæ feu rami ftirpis Habsburgicæ, cui ab hoc oppido Laufenburg nomen aliquoties iam memoratum feculo hoc XIII. fuit inditum. Rem aliquot chartis ob oculos ponimus in codice probationum, quas mecum Illuft. Baro de Zurlauben ex ditiffima fua penu, folita a me perfæpe alias iam laudata liberalitate, communicavit. Earum prima Rudolphus comes de Habesburch & Landgravius in Alfatia cum filiis fuis Alberto & Rudolpho comitibus Guidoni abbati Capellæ & conventui eiusdem loci curiam fuam in Barro feu Bar Cantonis Tugienfis in Helvetia vendidit an. 1228. primo in Bafilea, fecundo Secconis, & tertio in Bruggo. Rudolphus hic filius Adalberti feu Alberti an. 1232. defunctus fenior appellatur ad diftinctionem filii cognominis, qui fuit fator lineæ Laufenburgico-Habsburgicæ ex matrimonio patris fui cum Agnefa filia Gotfridi de Stauffen, iunior alias vel Taciturnus adpellatus. Hic ipfe tamen Rudolphus iunior, cognominis Rudolphi Rom. regis patruus, in charta anni 1243. feniorem fe nominat, paffimque etiam fic audit, ad diftinctionem fcilicet Rudolphi, poftea Romanorum regis, nepotis fui ex fratre Alberto natu maiore; quocum etiam ea conditione paternam hereditatem divifit, ut Landgraviatus Alfatiæ fuperioris indivifus maneret, eo quoque titulo in plerisque monumentis ufus. Ab hoc tamen pofteri eius abftinuerunt,

SECULUM XIII. runt, quos inter Gotfridus filius propagator fuit lineæ Laufenburgico-Habsburgicæ. Wernerum & Ottonem fratres an. 1253. mortuos, ad æternitatem an. 1271. secutus est Gotfridus eorum frater; biennio post autem Rudolphus fratrum quartus episc. Constantiensis ex præposito Basileensi fuit electus, an. 1293. defunctus diu post Eberhardum fratrem natu minimum, qui cognomento Virtuosus sator fuit comitum Kyburgensium stirpis posterioris, ac demum anno 1284. fatis cessit teste chronico Colmariensi apud Urstisium. a) Comitatus vero Kyburgensis ad gentem Habsburgicam devenerat per Heilwigem filiam Ulrici comitis de Kyburg, quæ uxor erat Alberti cognomento Sapientis, quem patrem habuit Rudolphus postea Rom. rex, an. 1240. defunctum.

a) *Script. Ger. T. II. p. 19.*

Eiusdem filiis, ac Rudolpho præprimis postea regi, ædificatio oppidi Waldshut in acceptis refertur, quæ quarta inter silvestres urbs est. In chronico Konigsfeldensi, quod edidimus in appendice libri singularis *de translatis Habsburgo-Austriacorum principum eorumque coniugum cadaveribus ex ecclesia cathedrali Basileensi & monasterio Konigsfeldensi in Helvetia*, b) conditi oppidi Waldishutensis, quod etymo suo custodiam silvarum designat, hæc statuitur epocha: *Anno Domini* 1249. *Rudolphus comes in Habspurg & Kyburg, Alsatiæ Lantgravius, & Alberchtus frater eius canonicus Argentinensis... datam Waldshuot ædificaverunt & libertaverunt.* De Alberto hoc, Argentinensi & Basileensi canonico, filio Alberti Sapientis ac Rudolphi Rom. regis fratre chronicon Dominicanorum Colmariensium, apud Urstisium. c) *Unum filium*, inquit, *clericum fecit (Albertus), eique beneficia plurima contulit; sed iuvenis de hoc seculo migravit. Duobus* (Rudolpho scilicet & Hartmanno) *dignitatem dominiumque commisit, & ipse cum familia sua ad transmarinas partes meavit. Frater comitis Rudolphi Longobardiam intravit, ibique capitur, & vitam suam in captivitate miserabiliter finivit.*

b) *p. 11.*

c) *Script. Ger. P. II. p. 37.*

Alpegovia. Rudolphus rerum potitus est e regione castri Habsburg Helvetiæ cis-Rhenum, eo nempe locorum, ubi ab Helvetia versus meridiem Alpegovia nostra disterminatur. Hæc sec. isto XIII. illustris fuit ex copia nobilium familiarum ac militum de Stülingen & Lupfen: quibus accesserunt nobiles de Krenckingen, eorum familia in duos ramos divisa, quarum una resedit in arce Weissenburg, postea a Rudolpho destructa, ac monasterio Rheinaugiensi infestus fuit, cuius sibi advocatiam iam inde ab exordio secul. XII. arrogaverat. Alter huius familiæ ramus, retenta veteri arce Krenckingen, in Alpegoviæ oppido Thiengen consedit, erga S. Blasii monasterium nunc beneficus, nunc infestus, uti etiam nobilis familia de Guten-

Gutenburg & Tufenſtein, cuius iam ſuperius facta eſt mentio. Occurrunt item in ſec. XIII. monumentis Alpegoviæ noſtræ nobiles ſeu milites de Howenſtein ſeu Hauenſtein, unde etiam ampla dynaſtia nomen habet; alii item de Bürdorf, de Blumpenbach, de Einwiler, de Niderwile, de Oberwile, de Ruſenwile, de Ruzhol, de Steinbach, de Striperch, de Tombruggo, de Toggern, de Waldkilchum, de Wilhaim, de Willadingen, diverſa a cognomine Cleggovienſi villa. Ut plurimum nomina ſua a nominatis familiis retinuerunt vici pullulantes ex eorum prædiis, ſeu manſis, hubis, curtibus, ſcopozis allodiorum hominumque propriorum, ad monaſterium noſtrum haud pridem pertinentium, ac eidem iure caducitatis obnoxiorum. SECULUM XIII.

IX. Ad ſacratiora iam Nigræ Silvæ adyta progredimur, ſtatum eius hierarchicum per tranſennam quaſi ſcrutaturi. Huius caput Moguntina ſedes, atque etiam S. R. I. Germanici Coryphæus Moguntinus archiepiſcopus & elector perturbatis ſec. XIII. rebus ſuo haud defuit officio. Concilium ſiquidem Germanicum an. 1225. contra ſimoniacos & concubinarios clericos veroſimilius Moguntiæ fuit celebratum ſub præſidio Conradi epiſcopi Cardinalis Portuenſis & S. Rufinæ, ſedis apoſtolicæ legati. Metropolis Moguntina.

Hic, ut alibi notavimus, ex ſtirpe oriundus erat comitum de Urach, ex qua familia alius quoque notatur Conon, Cuno, ſeu Conradus S. R. E. cardinalis & ſummi pontificis in Oriente legatus, magnis meritis clarus: a quo in nationali ſynodo Bellovacenſi Henricus V. Imp. ob vindicatam ſibi contra fas inveſtituram a fidelium communione excluſus eſt, ut de eo Sulgerus in annalibus Zwifalt. a) ad an. 1114. teſtatur. Hic illum Eginonis Uracenſis filium fuiſſe aſſerit, ex maioribus, ut videtur, Eginonis cum barba, ſeu Barbati, qui etiam ſenior dicitur, pater nempe Conradi, de quo nunc agimus, cardinalis & epiſcopi Portuenſis, cuius fratri Rudolpho, monacho Bebenhuſano & comiti de Ura, Innocentius IV. P. facultatem dedit, cœptum a Conrado monaſterium *ad Lapidem*, *zum Stein* conſummandi, uti Ughellus in *Italia ſacra* b) perhibet.

Conradus hic in ſua iuventute cum fratre Bertholdo, nomine Bertholdi V. ducis Zaringiæ, obſes fuerat in cauſa Philippi regis, poſtea vero ex monacho, Priore & abbate Villarienſi abbas Clarevallenſis effectus, iam tunc an. 1216. ab Honorio P. legatus ad Galliæ & Angliæ reges miſſus eſt. Anno 1219. ex abbate Ciſtercienſi factus epiſcopus Portuenſis, an. 1221. in Galliam iterum ablegatus contra Albigenſes, varias per Germaniam celebravit ſynodos, præter illam, quam notavimus, anno 1225. habitam Moguntiæ, in qua etiam cauſa trucidati S. Engelberti archiepiſcopi Colonienſis tractata fuit, ipſeque ſanctus declaratus c).

a) *P. I. p.* 59.

b) *T. I. tit. epiſcop. Port.* §. 39. *p.* 127.

c) *Concil. Ger. T. III. p.* 524.

SECULUM XIII.

Aliam item Moguntiæ synodum an. 1233. celebravit Sifridus iunior seu III. in *Gallia Christ.* a) dictus, archiepiscopus contra deterrimam in Germania grassantem hæresim Luciferianorum seu Stadingorum, de qua b) extant eiusdem archiepiscopi epistolæ ad Gregorium IX. P. huiusque pontificis ad Henricum regem de hæreticis in Germania grassantibus. Huc etiam spectat Francofordiensis eiusdem anni conventus c).

a) *T. V. p. 484.*
b) *Ibid.*
c) *Append. Concil. Germ. T. X. p. 729. &c.*

Ut silentio prætereamus alias synodos Moguntinas an. 1239. & 1243. occasione dedicationis ecclesiarum Metropolitanæ & maioris monasterii Moguntiæ habitas, idem Sifridus an. 1246. Frizlariæ aliud concilium habuit d); quo simul anno ipse cum aliis episcopis Friderico II. iam in concilio Lugdunensi an. 1245. per Innocentium IV. excommunicato, apud Herbipolim Henricum Landgravium Thuringiæ elegit, huicque an. 1247. sagitta Ulmæ interfecto Willhelmum Hollandiæ comitem substituit.

d) *p. 32.*

Ad nos vero potissimum pertinet concilium provinciale sub Wernhero archiepiscopo Moguntino an. 1261. celebratum, ubi inter 54. canones, complura de monachis ac monialibus sunt statuta e). Quantum vero Wernherus hic an. 1273. ad electionem Rudolphi Habsburgici in Romanorum regem contulerit, in Fastis Rudolphinis f) declaravimus.

e) *Concil. Ger. T. III. p. 599.*
f) *p. XLIII. &c.*

Post eius obitum an. 1284. cum duobus ferme annis ob eligentium discordiam sedes Moguntina vacaverat, anno 1286. electus est Henricus ex monacho Franciscano factus Basileensis episcopus, uti in Fastis Rudolphinis & codice epistolari Rudolphi I. Rom. regis hinc inde memoravimus. De eius tamen electione certiora iam habemus argumenta ex Honorii IV. P. litteris, quas in cod. probat. dabimus, ad ipsum Henricum datis an. 1285. quibus ei etsi reluctanti ecclesiam Moguntinam committit, idque particulari quoque epistola Moguntino capitulo, ipsique Rudolpho regi denuntiat, cui adhuc comiti aliquando a confessionibus fuerat Henricus, & de eodem iam Romanorum rege a legationibus imprimis ob Thusciæ emancipationem optime meritus. In appendice conciliorum Germaniæ g) notatur synodus nationalis Erfordiæ anno 1287. celebrata præside Henrico Moguntino, ubi qui h) dicitur *Rudolphus Constantinus*, haud alius est, quam Rudolphus Constantiensis noster episcopus eius nominis secundus ex comitibus de Habsburg. Ibidem memoratur synodus Aschaffenburgensis, provincialis Moguntina an. 1292. sub Gerhardo II. Henrici successore celebrata. Hic de Eppenstein dictus, archidiaconus Trevirensis & canonicus Moguntinus iam post mortem Werneri ab una canonicorum parte archiepiscopus fuerat electus, dum pars altera Petrum

g) *T. X. pag. 738.*
h) *pag. 740.*

Rich

Rich de Reichenstein, canonicum Basileensem, & maioris ecclesiæ Moguntinæ præpositum adoptavit, quorum neuter tamen ab Honorio P. fuit confirmatus, sed Henricus archiepiscopus ab eo constitutus. Hoc autem mortuo, Gerardus iterum a canonicorum parte archiepiscopus designatus & a Nicolao IV. P. Romæ inauguratus est. Erat vero Sifridi III. nepos, & patruelis Werneri, qui post Christianum & Gerardum I. Sifrido in sede Moguntina successit. SECULUM XIII.

X. Amplissimus provinciæ Moguntinæ episcopatus Constantiensis ineunte sec. XIII. antistitem habuit Diethelmum de Weissenburg, seu novo Krenckingen, ex abbate Augiensi electum episcopum an. 1188. iuxta alios an. 1191. vel sequente. Is retenta simul abbatia an. 1198. legatione apud Philippum Rom. regem perfunctus, ab eo iurato promisso nomine pontificio accepit, quæ habentur in conciliis Germaniæ a), ubi ad calcem hæc leguntur: *Hæc & omnia in præsentia domini episcopi Constantiensis, & domini Martini Prioris Camaldulensis, & domini Eberhardi abbatis de Salem, & domini abbatis Petri de Burgo S. sepulcri, & fratris Odonis de Salem præsentium latoris, Henrici dapiferi de Walpur, Henrici Mareschalli de Pappenheim, Helferici notarii me facturum & observaturum bona fide & sine omni fraude iuravi.* Conrado de Fabaria teste apud Goldastum b) Philippus monitu Diethelmi animatus imperium usurpare cœpit. Adfuit etiam Diethelmus conventui Mulhusano in causa eiusdem Philippi, cui Bertholdus Zaringensis oblatum sibi imperium cessit certis conditionibus, datisque obsidibus, teste Ottone de S. Blasio in appendice ad chron. Ottonis Frisingensis c) & Conrado Urspergensi, qui ad 1202. perhibet, se presbyteratum a venerabili episcopo Constantiæ Diethelmo accepisse, ad ordinem Præmonstratensem venisse an. 1207. electum abbatem an. 1215. & in Ursperg translatum. Anno 1202. Diethelmus Conradum & Luitoldum fratres ad litem cum monasterio S. Blasii componendam induxit, qui ecclesiam in Bettmaringen cum sibi subdita ecclesia in Mauchen in choro Constantiensi cum omni iure resignarunt Manegoldo abbati S. Blasii.

Diœcef. Constantiensis.

a) *T. III. p. 467. &c.*

b) *Script. rer. Alem. T. I. p. 79.*

c) *Urst. Scriptor. rer. Ger. T. I. p. 223.*

Diethelmo in episcopatu Constantiensi successit circa an. 1206. Wernerus de Stauffen Brisgoviæ, & huic anno 1210. Conradus II. comes de Andechs, sub quo concordia facta est inter capitula Spirense & Constantiense propter primos fructus ecclesiæ in Esslingen. Eidem Egeno comes de Urach an. 1225. sententiam suam inter S. Blasium & dominum de Gephingen ob ecclesiam Utenwiler adprobandam transmisit, quod is anno 1229. præstitit, quo concilium Constantiæ fuit habitum. Idem anno

 1231.

SECULUM XIII.

1231. feuda ab Hermanno abbate & conventu S. Blasii comitibus de Kiburg data confirmavit, uti & anno sequente concambium inter Hermannum marchionem de Baden & S. Blasium: quo eodem anno 1232. obiit Conradus.

Henrico de Thannegg (quem alii nominant de Than seu de Thannen Waldburg apud Crusium, quum dapiferi de Waldburg præmittere axioma de Than consueverint) Innocentius IV. P. an. 1246. etiam abbatiam Rhenaugiensem concessit, quam ille tranquille tenuit usque ad mortem 1248. successorem autem eius Eberhardum Bertholdus de Falckenstein abbas S. Galli in usurpanda eadem abbatia prævertit. Uterque dein an. 1257. ab imperii principibus legati in Hispaniam ad Alphonsum Castiliæ regem missi sunt, cui imperii diadema offerrent. Uterque etiam subscribit diplomati Conradini an. 1266. apud Oefelium a). Bellandum fuit Eberhardo cum Henrico de Lupfen, cuius uxor fuerat soror postremi comitis de Kusseberg, quod castrum Henricus antecessor in episcopatu, uti etiam castrum Thanneck ædificavit. Quid circa hæc aliaque an. 1251. inter Eberhardum episcopum & Henricum de Lupfen tractatum sit, docet charta Theotisca a nobis paullo ante memorata, & in appendice relata. Ex comparatis a Waltero de Klingen bonis in Helvetiæ comitatu Badensi 1209. is anno sequente quædam venditione cessit Arnoldo abbati S. Blasii, accepta vicissim advocatia super octo curias prope Klingnovium, & an. 1271. super alias possessiones in Alpegovia, quæ recensentur in charta a nobis edita in auctario diplomatum b): quo ipso anno confirmavit concambium inter S. Blasium & dynastas de Klingen. Eberhardi episcopi chartam incorporationis parochiæ in Dornhaim, in gratiam monasterii Alpirspacensis an. 1272. datam subscribit Hainricus notarius nomine C. Præpositi, Walckon decani, B. thesaurarii, Burckardi scholastici, Hainrici Præpositi S. Stephani & aliorum de Constantiensi capitulo.

a) *T. I. Scriptor. rer. Boicar. p. 610.*

b) *Cod. epist. Rudol. p. 227.*

Eberhardo in episcopatu Constantiensi an. 1274. suffectus est Rudolphus de Habsburg, frater Eberhardi & Gotfridi de Laufenburg, Rudolphi I. regis patruelis. Sub eo accidit, quod Ellenhardus in chronico Argentinensi post res Ottocari devicti in terris Austriacis refert: *Post hæc illustris dominus Rudolphus versus Sueviam ad terram nativitatis suæ anhelans venit Constantiam, & ibi pacem generalem per nobiles terræ, & cives eiusdem civitatis iuramento ab ipsis coram ipso rege interposito, & pœna debita vallavit: quod & fecit in Turego, Schafhusa & Basileæ, & aliis civitatibus & oppidis imperii.* Rudolphus Constantiensis episcopus an. 1290. litteras communivit, quibus Henricus de Krenckingen S. Blasio pos-

possessiones in Bettmaringen venumdedit. Idem mortuo anno 1291. Rudolpho Rom. rege *episcopus Constantiensis opposuit se filio regis Rudolphi pro rebus, quas abstulerat filio comitis de Laufenberg violenter*, ut habent annales Colmarienses; & postea: *obiit venerabilis dominus Rudolphus de Habispurc, episcopus Constantiensis, frater comitis Gotfridi de Laufenberc, & in prandio vitam noscitur finisse.*

SECULUM XIII.

Successit ei an. 1293. Fridericus I. comes de Zolleren, cui ab altera canonicorum parte oppositus est Henricus de Klingenberg, qui tandem cedente Friderico episcopatum obtinuit a). Perperam tamen id ad annum iam 1287. refert Guil. Eysengrein in catalogo testium veritatis eum egregie dilaudans: „Henricus (inquit) nobilis de Klingenberg ex Augiensi Benedi„ctinæ professionis abbate Constantiensis episcopus, protonotarius impe„ratorius, & legum doctor, vir cum confessionis gloria, tum vita & con„versatione plurimum insignis, philosophus clarus, poeta gravis & in„geniosus, historicus celeberrimus, multarumque litterarum & rerum „peritissimus, qui S. Laurentii basilicam in urbe sua construxit. De ange„lis quæstiones absolvit. Historiam præterea Habsburgensium comitum „scripsit. Obiit anno Salvatoris Christi 1306. in cathedrali Constantiensi „basilica sepultus.“

a) Gall. Christ. T. V. p. 917.

XI. Apud cæteros scriptores omnes, quos consului, vocatur Conradus de Scharfeneck, qui Ottonis episcopi Spirensis coadiutor ac post mortem successor fuit, a Conrado Urspergensi auctore coævo Henricus adpellatus, cancellarius Philippi Rom. regis, qui Spiræ habito concilio curiam principum condixit apud Northusin, ut idem Conradus b) narrat. Relato autem paullo post Philippi regis parricidio, subdit: quum corpus regis primum humatum fuerit apud Babinberg, & postmodum quum Fridericus II. imp. regnum accepisset, patrui sui corpus noluisse in Babinberg esse sepultum, sed fecisse *illud extumulatum in Spiram deferri, & de consilio Henrici* (l. Conradi) *de Scharfenberg episc. Spirensis & cancellarii imperialis aulæ, ibidem sepeliri cum progenitoribus suis, & ob commemorationem tanti regis canonicis ecclesiæ Spirensis in augmentum præbendarum suarum* contulisse *ecclesiam in Ezelingen cum pertinentiis suis.* Rem circa hanc ecclesiam inter utrumque capitulum Constantiense & Spirense paullo ante notavimus de episcopis Constantiensibus agentes. Eumdem episcopum Spirensem idem Urspergensis c) ad an. 1209. rursus Henricum vocat: *Henricus*, inquiens, *episcopus Spirensis fuerat protonotarius in curia Philippi*, & *in potestate habebat in castro Trivels coronam & crucem & insignia regalia, quæ nec etiam restituere voluit, nisi fieret can-*

Spirensis.

b) pag. 323.

c) pag. 326.

SECULUM XIII.

cellarius imperialis aulæ, quod & factum est, perduravitque in eo officio usque ad finem vitæ suæ, quum tamen postea habuisset duos episcopatus Metensem & Spirensem. Errare vero abbatem Urspergensem charta archivi Spirensis an. 1219. demonstrat, qua Eberhardus abbas Hirsaugiensis vineas vendit capitulo Spirensi *sub venerabili episcopo Conrado Spirensi & Metensi.* In supplemento conciliorum Germaniæ a) notatur synodus diœcesana an. 1211. habita a Conrado episcopo, in qua de iure patronatus & decimis in Medinheim donatis, dein permutatis, inter abbatem de Hernmenroth & Theodoricum de Kirweiler pronuntiat.

a) *T. III. p. 794.*

Successerunt ei post Beringerum duo cognomines Conradi, quorum unus in chronico episcoporum Spirensium apud Eccardum b) appellatur de Thuren, alter apud eumdem c) nobilis a Dan ex gente dapiferorum de Waldburg, ut in Gallia Christiana d) notatur. Apud citatum Eccardum dicitur an. 1235. eodem episcopo Cuno abbas Weissenburgensis cum consensu sui conventus ius patronatus, quod habuit in Billemkem, tradidisse ecclesiæ Spirensi: eodemque anno abbas Clingensis monasterii donasse ecclesiæ Spirensi ius patronatus in Offenbach pleno iure possidendum. Anno 1236. abbas & conventus Hirsaugiensis necessitate constricti triginta modios tritici civilis mensuræ vendiderunt, ut habet charta, quam ex archivo Spirensi edimus.

b) *Corp. hist. med. ævi. T. II. p. 2268.*
c) *p. 2275.*
d) *T. V. pag. 729.*

Henricus comes de Leiningen dicto Conrado IV. de Waldburg successit, quem Philippi Simonis descriptio vernacula episcoporum Spirensium quintum vocat. Fuit is iuxta Galliam Christianam e) & Eccardum f) imperialis aulæ pariter cancellarius, qui simul notat, sub ipso exordio simultatem inter episcopum & clerum ac cives Spirenses extitisse, ac fundatum quoque an. 1266. Spiræ fratrum Prædicatorum monasterium. Sæpe citatus chronographus Argentinensis ad an. 1284. hæc narrat. „Rudolphus rex collecto exercitu perrexit contra episcopum Spirensem, & „obsedit castrum & oppidum Luterberg, quod ad Romanum imperium „asseruit pertinere, & fuit in obsidione per sex septimanas: demum ex„pugnavit illud & extraxit de manu episcopi Spirensis. Nec hoc solo „contentus ipsum episcopum, Henricum videlicet de Bonlandia, in exi„lium misit, in quo exilio extra regnum Romanorum stetit annis... us„que ad obitum Rudolphi regis. Causa sui exilii dicebatur esse ea, quod „dominum Rudolphum regem, quum regressum fecit de concrematione „nefandissimi hominis, interficere voluit manu armata, quum ipse domi„nus Rudolphus sua sederet in biga; sed monitus ad enucleandam ve„ritatem & malitiam convincendam se absentavit, & inventum fuit ad lit-

e) *T. V. pag. 729.*
f) *L. c.*

te-

SECULUM XIII.

„ teram ſic velle feciſſe. " Nemo non vidit, hæc ad illud tempus eſſe referenda, quo an. 1285. perſonatum Fridericum cremari iuſſit Rudolphus, uti ſupra ex Faſtis Rudolphinis a) narravimus. Palam vero hinc fit, in iſto Ellenhardi chronico confundi Henricum de Leiningen cum Friderico barone de Bolanden, Henrici ex ſorore nepote ac ſucceſſore, quem Gallia Chriſtiana b) iam an. 1273. in diplomate Rudolphi notavit, a quo anno 1276. Volandus abbas Hirſaugienſis, iterumque an. 1292. eius ſucceſſor Godefridus fuit confirmatus. Ex quo ipſo etiam probatur, quod citatum habet Argentinenſe chronicon, Fridericum uſque ad obitum Rudolphi regis in exilio perſtitiſſe, ſeu ad annum 1291. cuius tamen voluntarii exilii longe leviorem cauſam aſſignant Philip. Simonis in chronico epiſcoporum Spirenſium c) & Chriſtoph. Lehmannus itidem in chronico Spirenſi d) ubi etiam leguntur litteræ Henrici archiepiſcopi Moguntini de an. 1286. ad cives Spirenſes; huic enim ceu metropolitæ diœceſis Spirenſis adminiſtratio abſente Friderico fuit demandata, ut notat Gallia Chriſtiana. e)

a) *p. CXLIV.*

b) *T. V. pag.* 730.

c) *pag.* 106.

d) *pag.* 886.

e) *T. V. pag.* 490.

XII. Conradi Argentinenſis epiſcopi libro ſuperiore meminimus in fundatione monaſterii omnium Sanctorum ordinis Præmonſtratenſis in Silva Nigra, idque ex litteris ſucceſſoris ſui Henrici II. an. 1220. cuius mortem ad annum 1223. refert Albertus Argentinenſis auctor, ut videtur, fragmenti hiſtorici apud Urſtiſium f). Bertoldus eius ſucceſſor de Tecke adpellatus bella geſſit cum cognatis ſibi comitibus de Pfirt auxilio uſus Alberti de Habesburg, dum Pfirtenſibus adeſt comes Egeno de Friburg.

Argentoratenſis.

f) *Script. Ger. P. II. p.* 90.

In Mſc. codice Argent. Ellenhardi hæc lego: *anno MCCXVIII.* g) *Argentinenſes obtinuerunt triumphum contra quatuor civitates ſub epiſcopo Bertholdo & primicerio comite de Habethburch.* Ad annum 1230. reconciliatis rege Henrico & epiſcopo Argentinenſi, paceque reddita, ſiluiſſe & quieviſſe terram a bellorum tumultu perhibet laudatus Albertus Argentinenſis, itemque ad an. 1236. imperatorem Fridericum & epiſcopum Argentinenſem circa initium Quadrageſimæ pacifice conveniſſe de feudo, ſuper quo prius longo tempore inter eos contentio vertebatur.

g) *Forte mel.* MCCXXVIII

Eius tamen ſucceſſor Henricus de Stalecke haud amplius ſtetit ex partibus Friderici imp. ſed illo in concilio Lugdunenſi an. 1245. excommunicato & abdicato ipſe unacum archiepiſcopis Moguntino, Colonienſi & Trevirenſi, epiſcopis quoque Metenſi, Spirenſi & aliis Henricum Thuringiæ Landgravium regem elegit, uti etiam in citato Ellenhardi chronico refertur: ubi pluribus quam in fragmento hiſtorico explicatur bellum,

SECULUM XIII.

lum, quod Henricus ea occasione gessit tam in Alsatia, quam cis-Rhenum quoque in Nigram Silvam penetrando: *Fautores vero*, inquit, *eiusdem episcopi expugnaverunt ex altera parte Rheni nobile castrum Malberch & castrum Husen & multa oppida. Post hæc expugnavit idem episcopus castrum Ortenberg, & subiugavit sibi oppidum Offenburg & Kinzinchental & Gengenbach.* Idem postea Rudolphum in Cæsarem electum dilaudans in militia a iuventute enutritum. *Erat enim*, pergit, *dux militiæ & vector vexilli civitatis Argentinensis usque ad tempora vitæ suæ, multa commoda & victorias conflictuum civitas Argentinensis tempore domini Henrici de Veringen & domini Bertholdi de Tecke episcoporum Argentinensium est consecuta per eumdem.*

Haud meminit belli, quod idem Rudolphus pro civibus Argentinensibus gessit contra episcopum Walterum de Geroldseck an. 1261. & sequentibus, de quo egimus in Fastis Rudolphinis a). In Msc. codice coævo Argent. identidem citato nominatur hic episcopus Argent. Walterus de Geroldseck a cognomine castro trans Rhenum prope Tabernas (Saverne) non confundendo cum castro Hohengeroldseck e regione Alsatiæ in aditu Nigræ Silvæ constituto. Fuit is an. 1260. in episcopum electus, & confirmatus per archiepiscopum Moguntinum, consecratusque in sacerdotem & episcopum in festo Purificationis B. Mariæ V. in ecclesia maiore Argent. primam missam celebravit, ad quam multi nobiles & magnates advenerunt, ut in illo Msc. notatur: *abbas videlicet S. Galli Bertholdus nomine venit cum mille equitaturis; abbas vero Bertholdus de Morbaco filius amitæ dicti episcopi cum quingentis equitaturis, & multi alii, & infiniti nobiles, comites, barones & magnates.*

a) *Cap. III. n. II.*

Iidem abbates postea cum multis armatis in eius exercitu memorantur, perinde ac archiepiscopus Trevirensis avunculus suus cum 1700. militibus, comes item Rudolphus de Habesburg, postea in regem promotus. Hic tamen deinceps primus nominatur eorum, qui post primam velitationem apud Argentoratum conspirarunt cum civibus contra episcopum, dein *Gotfridus comes de Habesburg Rudolphi patruus, Hartmannus comes de Kiburg, cui dictus dominus Rudolphus postea successit in comitatu Kiburg. Item comes Conradus de Friburg, & dominus Henricus de Fluenburg Præpositus ecclesiæ Basileensis, promotus postea in episcopum Basileensem, qui postea multas & maximas guerras habuit cum dicto domino Rudolpho de Habesburg.* Pluribus deinceps eo in Msc. describitur bellum istud ac prælium, ex quo inferior discessit episcopus, occumbente ibi etiam Hermanno de Geroldseck episcopi fratre, milite valde strenuo, qui per Richardum

dum de Anglia Rom. regem advocatus ſeu gubernator erat conſtitutus a Baſilea ex utraque parte Rheni uſque Selze & Weiſſenburg. Idem Richardus de Anglia Rom. rex Hagenoviam veniens pacem conciliare contendit inter urbem & epiſcopum, huius morte an. 1263. demum conſtabilitam. SECULUM XIII.

In Walteri locum ad civium preces in epiſcopatu ſuffectus eſt concorditer Henricus de Geroldseck *an den Waſichen*, ut in Mſc. illo vocatur, cantor eccleſiæ Argentinenſis, qui contra voluntatem epiſcopi in civitate remanſerat, ex qua nempe iuſſu epiſcopi initio ſtatim turbarum exierant *canonici*, *milites*, *miniſteriales eccleſiæ*, *Kagones*, *Begerones*, *Burggravii & alii quam plures*, ut loco citato recenſentur. Permittente hoc epiſcopo Albertus M. teſte Wimphelingo apud Fr. Guillimannum, an. 1268. ſacros ordines Argentorati conferens, quingentos ſimul ordinavit, ex quibus centum erant ſacerdotes, ſacroſanctum item chriſma in cœna Domini conſecravit, capellasque & altaria dedicavit.

Ordo Fratrum Prædicatorum, cuius alumnus erat Albertus M. iam ſub Henrico II. epiſcopo Argentinæ primum eſt receptus, Henrico III. epiſcopo primarium in fundamento lapidem ponente; locum vero ad conſtruendum monaſterium dederunt Fridericus de Havalo ſeu Hanau Præpoſitus, & Udalricus de Thalmaſigen ac Ioannes de Alba Argentinenſes canonici, ut legere eſt in chronico Senonienſi a) apud Dacherium b). Henrici anteceſſor Bertholdus I. iam antea circa an. 1230. Fratres minores in urbem ſuſcepit, ubi ſub Conrado III. epiſcopo ad finem ſeculi XIII. primum ſuum capitulum generale celebrarunt (ut ſcribit Fr. Guillimannus) cui interfuerunt Provinciales tres & triginta, ordinis monachi ſeptingenti. Adfuere item Rudolphus dux Auſtriæ Rudolfi Cæſaris filius, & epiſcopi quatuor, Conradus Argentinenſis, Probus Tullenſis, qui antea fuerat Alemanniæ Provincialis, Henricus de Iſena epiſcopus Baſileenſis & poſtea archiepiſcopus Moguntinus eiusdem ordinis, & Albertus epiſcopus de Inſula.

a) Lib. V. c. 2.
b) Spicil. T. II. pag. 647.

Conradi III. anteceſſores, quos memoravimus, Walterus I. & Henr. IV. qui teſte Guillimanno *Auguſtinianos in urbem recepit, & liberalitate ſua fovit & auxit*, orti fuerant ex eiusdem familiæ de Geroldseck diverſa tamen ſtirpe cis- & trans-Rhenana. Fuit familia Geroldseckia rebus pollens in Ortenavia & Alſatia provinciis Rheno diviſis: illinc erat Walterus, hinc vero Henricus, in ſæpe citato codice Mſc. vocatus etiam de Geroldsecke prope Borre, quartus hoc nomine inter epiſcopos Argentoratenſes, Walteri an. 1263. ſucceſſor, civiumque fautor: *Et ſic facta*

SECULUM XIII.

est concordia inter dictos cives & canonicos usque in hodiernum diem. Tum sequitur nota chronici dicti codicis : *Hæc scripta sunt & completa de guerra prædicta anno Domini* 1291. *feria quinta in paschis.*

Erat tunc episcopus Argentinensis Conradus de Liechtenberg seu Claromonte, post mortem Henrici an. 1273. electus, de quo memoratum Msc. ad calcem : *anno Domini* 1299. *feria V. ante festum ad vincula Petri prædictus dominus C. de Liechtenberg Argent. episcopus speciosus valde & potens, quum esset in potissimo suo statu, per miserabilem & inopinatum casum in obsidione Friburgensi proh dolor lethaliter extitit vulneratus, & ex ipso vulnere in festo ad vincula Petri prædicto, quod erat sabbato sequenti, viam fuit universæ carnis ingressus. Cuius corpus die dominico sequenti in capella S. Ioannis Baptistæ in ecclesia Argent. cum magno, sicut decuit, honore ecclesiasticæ fuit traditum sepulturæ: cuius etiam magnifici principis potentiæ fama suis temporibus præ omnibus prælatis ecclesiæ per totum claruit mundum.* Sed laudem hanc mortis genere haud tulit ex merito, suppetias quidem ferens Egenoni comiti Friburgensi consanguineo suo: unde plus æque laudatur in chronico Argent. eiusdem codicis, ubi de bello Alberti Rom. regis cum Adolpho agens auctor sugillat Gerardum archiepiscopum Moguntinum, quod *non bene se tenuerit tam circa promotionis electionem, quam etiam in conflictu: dominus vero Conradus Argentinensis episcopus non sic fecit, sed exposuit corpus & res quam præpotens cum tota sua diœcesi & civitate Argentinensi suffragabat.* Conradus hic nimium, quam episcopum deceret, bellicosus, teste Guillimanno plerisque Rudolphi I. Rom. regis expeditionibus bellicis adfuit, bello præcipue Burgundico, Friburgensi, Montis Bellicardensi, & Sabaudico. Eius etiam iussu marchionem Badensem Rudolphi imperium detrectantem invasit, Durlacum obsedit, atque expugnatum incendit. Demum ut bellicas cæteras eius expeditiones silentio involvam, ad finem seculi XIII. in auxilium veniens sororio suo Eginoni comiti *ad devastandum Friburgenses*, in illa obsidione occubuit, ut iam ex Alberto Argentinensi apud Guillimannum memoravimus. Ut vero hic idem porro refert, Albertus Austriacus, quum reprobato Adolpho ad capessendum imperium a principibus vocatus magnis itineribus multisque cum copiis Friburgum venisset, accepto ibi huius Conradi præsidio Argentinam, & inde Moguntiam fuit delatus.

Idem Albertus iam rex, ut perhibet Ellenhardus, cum principibus apud Franckenfurt colloquium habuit, misitque *pro domino suo Conrado de Liechtenberg episcopo Argentinensi, suo prædilecto, qui eius mandatis voluit*

luit obaudire, & ad eum venit Franckenfurt, & benigne ab eo fuerat receptus. Regina vero exiſtente in Ulmen miſit litteras domino Alberto regi Romanorum prædicto, rogando, quod dominum Conradum epiſcopum Argentinenſem ſecum apud Ulmen duceret, ad videndum & ſpeculandum perſonam domini eiusdem, qui ſe & ſua pro domino ſuo prædicto & eius adiutoribus totis viribus expoſuit, ſicut eſt manifeſtum: qui epiſcopus cum ipſo rege venit Ulmen ad reginam, erantque omnes guerræ ſopitæ, & vixerat tota terra in pace. Idem dein Albertus rex præſens fuit Argentorati, dum Fridericus in locum demortui Conradi electus eſt epiſcopus ex Præpoſito Argentinenſi, craſtino exaltationis S. Crucis an. 1299. cui illico etiam regalia contulit feuda, eumque Gerardus archiepiſcopus Moguntinus confirmavit, præſente quoque Henrico Conſtantienſi.

Præcedentem vero de Conrado narrationem ita concludit: *Hæc procuravit ſcribi Magnus Ellenhardus civis Argentinenſis, ipſi honor & gloria cum ſalute.* Unde palam quidem fit, Magnum Ellenhardum hæc tantum conſcribi curaſſe; hoc tamen ſolum dubium relinquitur, an ipſe, vel iterum amanuenſis manus codici conſcribendo admoverit uſque ad mortem Wilhelmi regis a Friſonibus an. 1256. occiſi, ubi hæc notantur: *ab iſto loco uſque ad finem compilatum eſt per Gottfridum notarium Curiæ Argentinenſis dictum ab Enſmingen, ad preces Magni Ellenhardi procuratoris fabricæ Argentinenſis & gubernatoris præbendariorum pauperum S. Spiritus Argentinæ.* Ad an. 1290. hæc leguntur: *a tempore Richardis uſque ad hunc locum compilatum eſt ex mandato Ellenhardi procuratoris fabricæ eccleſiæ Argentinenſis &c.* Eiusdem etiam fit mentio in conflictu civium cum epiſcopo Waltero, *quod omnia conſcripta ſint de ore eorum, qui interfuerunt & viderunt, & ſpecialiter ex relatu Ellenhardi Magni ante monaſterium procuratoris fabricæ, qui nondum erat procurator fabricæ, ſed poſt diem conflictus per ſpatium XXII. annorum effectus eſt procurator fabricæ Argent. civis honeſtus & probus, qui die conflictus erat conſtitutus cuſtos, quod vulgariter dicitur Wartmann.*

Magnifica hæc eccleſia an. 1015. a Wernero de Habsburg Argentinenſi epiſcopo cœpta anno demum 1275. abſoluta eſt, & poſt biennium turris ſuperbiſſima, ab Erlino a Steinbach inchoata, poſt annos 162. perfecta fuit, an. 1439. Fr. Guillimannus vero in Conrado III. a) aliquos notaſſe refert, turrim hanc per annos octo & viginti in eam, quam omnes admirantur, altitudinem ac pulcritudinem excreviſſe. Ædificium hoc variis ſimultatibus cum epiſcopis colliſum cernentes canonici ſibi illud vindicarunt, donec anno 1290. id ſolemni pacto magriſtratui detulerunt,

a) *De epiſcop. Argent.* pag. 317.

SECULUM XIII.

teste Schœpflino a). Idem architectus sacellum B. V. Mariæ ibidem ædificavit an. 1316. quo ipsius uxor Husa obiit, ut docet lapis superpositus epitaphio mariti, quod sic habet: *anno Domini 1318. 16. Kal. Februarii obiit magister Erwinus, gubernator fabricæ ecclesiæ Argentoratensis.* Et infra: *anno Domini 1339. 15. Kal. Aprilis obiit magister Iohannes filius Erwini magistri, operis sui æmulus.* De organis insignis illius basilicæ in sæpe citato Msc. codice hæc ad an. 1292. adnotantur: *Idem eodem anno comparavimus organas, quæ constabant quingentæ libræ Argentinensis monetæ. Eodem tempore fuerunt Lucas miles & Ellenhardus maior prope monasterium, & magister Guncelinus de Franckenfort paravit prædictas organas.* In Echardi scriptor. FF. Prædicat. celebratur Ulricus Engelbrecht discipulus Alberti M. auctor variorum scriptorum theolog. qui nihilominus organa, de quibus sermo, fecit an. 1260. an. 1298. incendio consumta.

a) *T. II. Al. illustr. p. 292.*

Monasterium S. Trudperti.

XIII. Antiquissimi in Nigra Silva monasterii S. Trudperti florentem sub B. Hugone abbate statum priore iam libro b) prodidimus, quem ille seculo XIII. conservavit, non obstantibus gravissimis vexationibus & insidiis advocatorum, ob quas etiam in vita S. Trudperti apud Bollandianos c) civilitatem Brisacensium implorasse dicitur, *ut, sicut eorum iuramenta se habent, modo concivium ipsum etiam monasterium tuerentur. Super quo dolentes advocati, arbitrantesque, factum hoc in sui contemtum, manifestis inimicitiis insectantes abbatem, abesse ipsum a monasterio aliquamdiu compulerunt, ut mortis periculum devitaret:* quas tamen insidias ipse S. Trudperti tutela evaserit, uti deinceps ibidem narratur. Apud P. Herrgott d) habetur charta an. 1211. qua auctoritate Henrici II. episcopi Argentinensis, & Alberti comitis de Habsburg monasterium S. Trudperti contra iniurias advocatorum de Stophin, seu Stauphen Brisgoiæ (ex qua familia supra ineunte seculo XIII. Wernerum episcopum Constantiensem notavimus) defenditur, eidemque monasterio bona convallium in vicinia S. Trudperti, a dictis advocatis hactenus iniuste usurpata, denuo addicuntur. Chartæ huic ultimo loco inter alios abbates Henricus de S. Trudperto subscriptus legitur, qui ibidem B. Hugoni in regimine successit. Hoc ipso tempore idem monasterium a memorato episcopo formam iudiciariam (vulgo Dinkrodel) accepit, in qua omnia monasterii iura, eiusque consuetudines recensentur.

b) *N. LIII.*

c) *T. III. Apr. p. 435.*

d) *Genealog. Habsb. T. II. P. I. p. 213.*

Eodem anno Rudolphus de Habsburg avus Rudolphi I. regis & comes provincialis Alsatiæ, cum consensu filii sui Alberti, omnes homines proprios in valle eidem cœnobio adiacente cum iure mortuarii seu Val (*Fallbarkeit* ius caduci) monasterio donavit, confirmata hac donatione ab Alberti

berti huius fratre Rudolpho patruo Rudolphi regis; quæ charta apud eumdem P. Herrgott habetur a). Memorati Alberti charta an. 1215. b) Henrico abbati & successoribus eius inscripta iterum monasterium coram Argentinensi episcopo tutum præstat contra oppressores, quos inter duo imprimis Ottones de Stouphen sibi succedentes fuerunt, quorum rabies in mox laudata S. Trudperti vita c) describitur. Ad hunc annum Innocentius III. P. eidem abbati, nec non Præpositis Turegiensi & de Riede commisit controversiam monasterii S. Blasii cum Conrado nobili de Dirbenheim ob prædium in Nendingen remota adpellatione dirimendam; obiit Henricus abbas anno sequenti 1216.

a) *L. c. pag.* 215.
b) *L. c. pag.* 221.
c) *Tom. III. April. Boll.* p. 436.

In charta an. 1220. Eginonis iunioris comitis de Urach & domini Friburgi apud Schœpflinum in Historia Zaringo-Badensi d) inter testes occurrit Gotfridus marschalcus & frater ipsius Wernherus de Stauphen, ex quibus prior idem est, qui in memorata Alberti charta de an. 1215. inter oppressores littera initiali G. notatur. Wernerus item legitur apud eumdem Schœpflinum e) in charta Agnetis comitissæ de Ura & de Friburg idem, qui auctori vitæ S. Trudperti apud Bollandum f) coævus, & adhuc, dum scriberet, in vivis memoratur: *Plures adhuc sunt*, inquit, *viventes in carne, qui optime meminerint, quod quidam advocatorum, nomine Wernerus, in publico quodam victus captivus conflictu, quum se pacta quadam summa pecuniæ redemisset, debita redditurus, B. Trudperti magna satis exactione depecuniavit homines & colonos.* Narrat dein quid eidem acciderit, argenteam crucem in pignus extorquenti, *in qua veræ crucis illa particula clauditur, quam unus clavorum dulcium penetravit.* Plura prius dixerat de iniuriis a duobus Ottonibus de Stouphen illatis, quorum alter in castro Stauphen cœpit ædificare, quod non potuit consummare vetante reatu, dum operariis instat, torto fune percussus: iamiam vero moriturus, cum fratre suo germano Minores quoque Fratres advocavit, quibus confessus, atque ab illis admonitus, *in eorum Priorisque B. Trudperti pluriumque præsentia prædicto germano suo testamentaria ordinatione commisit, ut de bonis sibi relictis ecclesiæ memoratæ integraliter satisfaceret* g); quod ille negligens alias itidem pœnas dederit.

d) *T. V. pag.* 163.
e) *L. c. p.* 200.
f) *Tom. III. April. p.* 438.
g) *Ib. p.* 436.

Hæc sub abbatibus Henrico an. 1216. defuncto, ac Wernero acciderunt, cuius nominis duo hoc seculo XIII. fuere abbates in S. Trudperti monasterio, quos nec auctor ille, nec alia huius monasterii monumenta satis distinguunt; ut adeo aliunde lux eis sit affundenda. Conradus Henrici in abbatia successor an. 1235. a Friderico II. imp. protectionem cæsaream impetrasse, ac monasterium usque ad an. 1242. rexisse dicitur,

 ab-

SECULUM XIII.

abhinc Absalon ad annum usque 1255. Anno autem sequente 1256. primo scilicet Werneri I. Alexander IV. P. consentiente Eberhardo Constantiensi episcopo parochiam Crozingam huic monasterio incorporavit. Wernerus hic abbas occurrit in chartis compromissionis parthenii in Sizenkilch ad congregationem S. Blasii spectantis an. 1261. Legitur apud P. Herrgott a) Bertholdi episcopi Basileensis syngrapha, qua diplomati Luitfridiano, de quo diximus suo loco, fidem facit: fuit autem Bertholdus episcopus ab an. 1249. usque 1262. Nos pleniorem attestationem Henrici abbatis de Porta cœli in Tennenbach Ord. Cisterc. Walteri abbatis S. Petri in Nigra Silva ord. S. Bened. & Werneri abbatis Cellæ S. Mariæ ord. S. Augustini edimus, in qua Wernerus abbas S. Trudperti nominatur ad an. 1276. Scriptor autem vitæ S. Trudperti, ut vidimus, narrat res Werneri de Stoufen, cuius chartam an. 1269. pro monasterio S. Trudperti datam affert P. Herrgott b), qua cum consensu Conradi comitis de Friburg *ac universitatis civitatis in Friburg* dat castrum Scharfenstein, cui geminum in vicinia est Regelsburg, ex quibus pro more ætatis exactiones suas ac insidias faciebant nobiles de Staufen.

Nominatur in hoc instrumento Wernerus abbas, qui fuit hoc nomine primus. Dum vero memoratus vitæ S. Trudperti scriptor eiusdem cœnobii monachus sec. XIII. quædam miracula circa an. 1279. commemorat, de Wernero utique primo loquitur tamquam iam ab aliquibus annis mortuo. Perperam igitur Werneri I. obitus ad an. 1288. refertur: quin imo secundus censendus est, qui in monumentis San-Blasianis ad an. 1283. præsens notatur in monasterio S. Blasii, dum Henricus abbas S. Blasii Bertholdo de Ochsenhusen S. Blasii monacho & plebano in Schönau concedit, ut per se vel socium omni hebdomada semel missam legere possit in ligneo vallis Tottnaviensis sacello in ara mobili. Inita quoque est eodem anno confœderatio, cuius instrumentum etiamnum superest in archivio S. Trudperti, *inter nos Wernherum divina permissione abbatem totumque conventum monasterii S. Trudperti, divinoque nutu Heinricum abbatem totumque conventum monasterii S. Blasii, gratia divini cultus ampliandi, pietatisque intuitu &c.* Apud laudatum P. Herrgott c) ad eumdem annum legitur charta, qua Hesso & Rudolphus de Vesinberg controversias de silva Ramspach inter abbatem S. Trudperti & cives de Sulzeberg ortas amice componunt. Wernerum II. an. 1302. abbatiam unacum mortali vita deposuisse sodales San-Trudpertini tenent. Eius nomen haud exprimitur in charta San-Blasiana an. 1297. qua Bonifacius VIII. P. abbati S. Trudperti committit, ut bona a monasterio Sizenkilch iniuste alienata revocare procuret.

a) *Genealog. Habsb. T. II. P. II. p.* 419.

b) *L. c. p.* 419.

c) *L. c. pag.* 514.

XIV.

XIV. In supra memorato diplomate Henrici episcopi Argentinensis pro monasterio S. Trudperti an. 1211. inter testes abbates notantur Burchardus de Alperspach, Dietricus de Gengenbach, Gottfridus de Ettinheim, de quibus consequenter agemus. Timeo ne hic alteratio nominum fuerit facta. Dietericum enim abbatem Gengenbacensem in chronico illius monasterii apud Lunigium a) demum anno 1248. præfuisse intelligimus: ante quem mors Gottfridi I. ad an. 1237. collocatur, qui an. 1221. parochialem ecclesiam S. Martini ante muros Gengenbacenses sitam aliquamdiu alienatam recuperavit, eiusque incorporationem ab Henrico episcopo Argentinensi obtinuit mense Maio, quam Sigefridus archiepiscopus Moguntinus eodem adhuc mense, Honorius vero papa mense Novembri confirmavit.

Seculum XIII.

Gengenbacense.

a) Spicil. eccles. T. III. p. 290.

Walterus iuxta chronicon apud Lunigium an. 1242. præfuit, circa quæ tempora acciderunt illæ Henrici episcopi Argent. invasiones, de quibus supra locuti sumus. Extat in Alsatia diplomatica Schœpflini b) charta Innocentii IV. P. an. 1248. qua Henrico prospicit de sumtibus, quos in expugnandis Gengenbach oppido, cuius mœnibus cingitur monasterium, Malberg item & Ortenberg castris impenderat, quæ nimirum Fridericus imp. tunc diris devotus, ab ecclesia Bambergensi in feudum tenebat.

b) T. I. pag. 399.

Annus 1248. congruit Dieterico I. post quem Hugo præfuisse dicitur an. 1269. Gottfridus an. 1276. Bertholdus post eum an. 1278. a Rudolpho Habsburgico immunitatem appellationis accepit. Perperam autem mors Bertholdi ad an. 1297. reponitur. In charta quippe Reichenbacensi anno 1295. legitur commissarius papalis Gottfridus abbas Gengenbacensis sigillum adposuisse cum cognomine Hirsaugiensi. Citius ergo Gottfridus II. est collocandus Bertholdi primi successor & antecessor alterius Bertholdi, qui sine anno innectitur, ut tamen facile ad spatium unius alteriusve anni in illo chronico tres abbates revocentur, quod esset extraordinarium.

XV. Inter gesta Gottfridi, quem primum sec. XIII. notavimus, abbatem Gengenbacensem, in memorato chronico apud Lunigium referuntur, quæ contra archipresbyterum Zunswisensem eiusque fratrem Priorem in Schuteren egit, quum gravissimas sustineret persecutiones: *Hic*, inquit, *cum toto suo conventu provisionaliter ad imperatricem profectus, auxilium contra vim monasterio ab iisdem illatam supplex imploraturus. Imperatrix tot religiosos diversæ ætatis coram se prostratos cernens obstupuit, & eorum miserata aliquot equites cum quibusdam nobilibus, inter quos erant nobiles Zöderer de Diesperus, constituit, ubi monasterium pluribus mobilibus invenerunt spoliatum.* Quid porro in re actum sit, non additur.

Schutern.

Mo-

SECULUM XIII.

Monasterium Schuteranum incendio periisse Paulus Volzius in suis scriptis adnotasse dicitur in anonymi chronico huius monasterii apud Schannatum in Vindemiis litterariis a) sub Friderico, qui notatur in fimbriis vestimenti statuæ circa sepulcrum Domini, fuitque abbas anno 1240. Rem vero restitutam fuisse ab Hermanno de Burner ex familia in monasterium admodum benefica, chronica Schuterana referunt, ecclesiam vero cum plerisque altaribus ab Alberto M. episcopo Ratisbonensi esse consecratam Guillimannus ex Wimphilingo perhibet. Hermanni huius statua versus altare Martyrum in fimbriis vestimenti hæc habet: *Hermannus abbas fecit istud novum opus*, ubi nimirum rex Offo fundator sepultus dicitur. Narratur vero b), quod Hermannus an. 1283. idibus Augusti consecrari fecerit novum opus & sex altaria, itemque 19. Decembris in claustro ante valvas templi sepulturam prælatorum, seu cœmeterium venerabilium abbatum huius monasterii. Referuntur postea benefactores, translatio sanguinis D. N. I. C. sub eodem abbate Hermanno, cui hæc aliaque sacra lipsana donavit Udalricus de Geroldseck episcopus Argentinensis, ex quibus hodie superest insignis S. Crucis Salvatoris nostri particula. Præfuisse dicitur Hermannus annis triginta tribus, ac anno Domini 1295. XV. Kal. Iunii obiisse, Rudolphus autem II. Kalendis Iunii eiusdem anni illi suffectus, sub quo Conradus episcopus Argentinensis ecclesiam in Ottenheim matricem declaravit, & Almansweyler filialem anno sequente.

a) Collect. I. p. 20.

b) L. c.

Crusius in Annalibus Suevicis c) postquam fluvium Schutern, unde monasterium nomen habet, eiusque ex Nigra Silva originem accurate descripsisset, simulque illius decursum usque ad villam Hirdsfeldam, ubi is in Rhenum exoneratur, hæc subiungit: *Habet Schuterana vallis ad Occidentem in iugo montis exacte rotundi (vulgo Schinzberg) pervetustam & munitissimam arcem Gerolzeccam, dictam a Geroldo duce quondam Suevorum: quibus & privilegium primorum ordinum in prælio tenendorum virtute meruisse dicitur &c... Huius arcis domini facti sunt an. 1262. patroni Schuterano vel Offonis monasterio post dominos Thiersbergios, quum Henricus a Thiersberg in prælio illo, quo Walterus ab Argentinensibus victus est, occubuisset.* Hæc Crusius se ex Offonianæ cellæ descriptione apud Paulum Volzium hausisse addit.

c) L. II. P. III. c. 15.

Ettenheim-münster.

XVI. Expertum quoque est Ettenheimense monasterium Geroldseckios suos advocatos, verum admodum infestos, familiam scilicet seculo XIII. in Alsatia & Ortenbergia rebus satis pollentem. Cæterum Ettonianum hoc monasterium post Fridericum, quem libro superiore d) memoravimus successorem Werneri, utrumque e monasterio S. Blasii evocatum, abbatem ha-

d) N. LIV.

habuisse videtur Burchardum ex litteris anni 1181. ad Lucium III. P. ibidem citatis. In alia tamen charta eiusdem anni in archivio S. Trudperti adservata testis legitur: *Henricus de Ettenheim abbas*, qui item in alia charta an. 1186. apud P. Herrgott a) notatur. Quod si vera sint, quæ Bruschius in chronologia monasteriorum Germaniæ præcipuorum affert, anno 1211. Burchardum huic monasterio præfuisse abbatem, idque ex fenestræ cuiusdam inscriptione: *Burcardus abbas me fecit;* duo omnino eiusdem nominis statuendi forent abbates Ettenheimenses. Utut vero sit, eodem adhuc anno 1211. in charta apud P. Herrgott b) inter alios abbates testes occurrit *Gottfridus de Ettinheim:* de quo tamen nec ipse P. Bern. Muggius Ettonianus cœnobita in MSS. adnotationibus Alsaticis & Brisgoicis aliquid se reperire potuisse fatetur.

a) *Genealog. Habsb. T. II. P. I. p.* 199.

b) *L. c. p.* 214.

Ad preces Henrici II. abbatis an. 1225. Honorius III. P. omnia privilegia, bona, & iura monasterii confirmavit, & nova quoque adiecit: quo documento palam fit, monasterium illud de donatione Ettonis nihil fere amplius possedisse. Henricum hunc Gallia Christiana c) reticet, sed memorato Godefrido nonum abbatem subiungit Nicolaum I. Fulkesium, decimum Hessonem I. Alsatam de Bergkino, alias Berckheim, cuius familiæ supra meminimus, res Adolphi Rom. regis tractantes ex chronico Magni Ellenhardi ad an. 1296. In Fastis autem Rudolphinis d) ostendimus, seculo XIII. Cunonem de Bergheim a Rudolpho comite de Habsburg postea Romanorum rege emisse castrum Limper: ubi idem Rudolphus an. 1240. signavit diploma, quod apud P. Herrgott legitur e). Castrum hoc peramplum successu temporis Limburg vocatum fuit, illud haud dubie, ubi Rudolphus I. Rom. rex passim apud scriptores natus dicitur, ut loco citato ostendimus.

c) *T. V. pag.* 865.

d) *pag. VII.*

e) *Gen. Habsburg. T. II. P. I. p.* 259.

Hermannus ex equestris ordinis & dignitatis familia de Burnern oriundus abbas Ettonianus, anno 1295. in monasterio Schuterano mortuus, idem cum Hermanno de Burnern abbate Schuterano fuisse censendus est. In veteri documento an. 1281. notatur frater Albertus ordinis Minorum, episcopus de Insula, S. Mariæ altare consecrasse, quod Wernerus Prior monasterii construxit: id quod vel divisionem bonorum inter abbatem & conventum, aut interregnum innuit. Cæterum sub Hermanno de Burnern abbate an. 1292. ecclesia parochialis in Stozheim a Conrado episcopo Argentinensi, accedente apostolica ac metropolitica confirmatione, fuit incorporata.

XVII. Monasterium S. Blasii vigorem suum ac splendorem, quem seculis superioribus habuit, hoc quoque tertiodecimo seculo tam discipli-

S. Blasii monasterium.

SECULUM XIII. næ tum ecclesiasticæ cum monasticæ, quam studiis etiam litterarum, & præsulum suorum præstantia conservare quidem adlaboravit, illum tamen plane adsequi, iamque partum perfecte tueri haud potuit.

Paucis post mortem Mangoldi abbatis diebus an. 1204. Hermannus I. canonica electione suffectus, monasterium suum supellectili librorum plurimum auxit, & quidquid ad divini cultus augmentum ornatumque conducere poterat, quam studiosissime impendit, adiutus egregie ab Hermanno, qui ab anno 1175. usque 1215. integris quadraginta annis officio Magni Prioris (sic dicti ad distinctionem Prioris claustralis & Prioris veteris monasterii) fuerat perfunctus. Memoratur cum Arnoldo Priore, qui dicto Priori successerat, in charta Conradi episcopi Constantiensis pro immunitate monasterii S. Blasii an. 1215. apud P. Herrgott a), quæ anno 1240. ab Henrico II. episcopo Constantiensi fuit confirmata b). Mortuo Bertholdo V. ultimo duce Zaringiæ & advocato monasterii an. 1218. libertati pristinæ restitutum, ac immediate S. Romano Imperio associatum fuit cœnobium, unde & abbates deinceps inde ab Hermanno II. sellæ insidentes exhibentur in suis sigillis, cum inscriptione *Dei gratia.* Mortuus est Hermannus I. an. 1222. sepultusque ante altare Corporis Christi, in tertio loculo, ubi in eius epitaphio hæc quondam verba legebantur: *cuius pietas ut ipso vivente admirationi fuit, ita posteris exemplo esse debet.*

a) *Gen. Habsburg. T. II. P. I. p. 222.*

b) *Ib. p. 256.*

Hermanno abbati successit Otto, quem liber Originum monasterii S. Blasii auctorem prodit appendicis ad chronicon Ottonis Frisingensis ab anno 1146. usque ad an. 1210. quem Urstisius in collectione Germaniæ historicorum illustrium c) Basileæ an. 1585. edidit sub nomine *Ottonis de S. Blasio*, quo etiam ab aliis scriptoribus passim notatur. Idem vero & alia quædam monachus adhuc elucubravit, quæ inter ibidem d) ex Io. Heroldi civis Basileensis epistola ad Casparum I. abbatem S. Blasii, libri originum auctorem ita recensetur: *Ottonis a S. Blasio chronica prima. Libri series omnes sacræ historiæ genealogias ad Timotheum Titumque Pauli discipulos usque figuris pulcre distinguit. Opus sane & elegans & non contemnendum. Exordium eius sic sonat:* „ Considerans historiæ sacræ prolixitatem, nec non & difficultatem &c." Descripsi olim hoc chronicon ex Msc. chartaceo bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, domique contuli cum membranaceo, forte autographo, codice, qui incendio monasterii nostri an. 1768. periit, ut tamen salvum sit dictum apographum, suo tempore, si videbitur, edendum. Otto hic abbas an. 1222. electus, quum mox sequente anno X. Kal. Augusti obierit, nonnisi unam chartam nobis

c) *T. I. pag. 197.*

d) *pag. 196.*

bis reliquit, eam historicorum more ita exorsus: *Anno ab incarnatione Domini* 1223. *Ego Otto S. Blasii XII.* (duodecimus) *abbas &c.*

Porro in charta anni 1222. mense Aprili sub Hermanno I. adhuc data memorantur damna ecclesiæ S. Blasii per incendium illata; quorum suspicione iuramento se liberavit Conradus de Macensienh, qui legata fratris sui Henrici cœnobio restituere compulsus fuit coram delegatis apostolicæ sedis iudicibus Bertholdo abbate Weingartensi, H. Rotensi, & B. Walseensi Præposito apud Alidorf.

Sub Ottonis successore Hermanno II. Henricus VII. Rom. rex anno 1228. monasterium S. Blasii sub specialem protectionem recepit, firmata eidem imperii libertate. Privilegium hoc edidimus in appendice partis posterioris Taphographiæ Austriacæ a). Anno sequente 1229. Conradus II. episcopus Constantiensis sententiam ab Egenone iuniore comite de Urach & domino de Friburg, Egenonis Barbati filio, in controversia inter monasterium S. Blasii & Henricum militem de Gephingen super iure patronatus ecclesiæ Utinwilare latam confirmat, apud P Hergott b). Apud Schœpflinum in historia Zaringo-Badensi c) habetur instrumentum transactionis an. 1232. inter Hermannum II. abbatem & conventum S. Blasii, nec non Hermannum iuniorem marchionem Badensem super montem Sussenberg, interventu eiusdem Conradi Constantiensis episcopi, qui eodem anno confirmavit iudicum apostolicorum depositionem contra Sigenandum presbyterum, ne per litteras apostolicas ecclesiam Schönaugiensem, ab Udalrico & Ottone episcopis & Honorio papa S. Blasii monachis traditam teneret, simulque demandavit, *ut duo fratres perpetuo Deo deservirent ibidem.* Hermannus abbas demum morbo elephantiaco correptus an. 1237. resignavit abbatiam, perinde ac eius successores Henricus I. an. 1240. & Arnoldus I. an. 1247. eadem de causa.

a) pag. 98.

b) Gen. Habsburg. T. II. P. I. p. 237.

c) T. V. pag. 182.

Petierat iam ab Henrico I. abbate, eoque abbatiam resignante iterum apud Arnoldum I. novis instabat precibus Ulricus nobilis de Klingen, in prædio suo iuxta fluvium Arolam, haud procul a Rheni in illo tractu confluentia castrum & civitatem constructurus, ut monasterium S. Blasii ei de suo fundo locum oppido Clingnau cederet, ubi etiam monasterio mox ius civitatis concessum est. Indultum id est, *quantum muri & vallis ambitus includit*, idque in domo capitulari apud S. Blasium coram Hartmanno Priore, Conrado custode, Henrico Præposito in Tötingen S. Blasii monachis, anno 1240. die S. Stephano protomartyri sacra. Opportune tunc ad festa natalitia Salvatoris nostri apud S. Blasium convenerant Henricus comes de Gussaperc, Luitoldus senior de Reginsperc,

SECULUM XIII.

Hugo de Winzilum, Henricus de Crenchingen, Walterus de Klingen, eiusque filii Ulricus & Walterus, Ulricus de Clingenberc, Conradus de Steine, Conradus de Lengenanc, Conradus de Sweiningen, Sigefridus de Blumpinbach, Henricus eius frater, Conradus & Gerungus dicti Strugel, Conradus de Riethein, Hermannus de Tongen, Conradus de Trullikon milites. Ex his aliqui aderant, ut huic concambio, quo Walterus de Klingen bona tradidit in Benzenowe; alii vero, ut Gerungi militis dicti Strugel donationi interessent, qua prædium in Lochringen per manus Heinrici comitis de Cussaperc & Luitoldi de Regensperc monasterio S. Blasii contradidit.

Sub eodem abbate Hugo de Tuffenstein cum omnibus suis possessionibus & prædiis S. Blasio seipsum tradidit, *& factus illic monachus cum omni humilitate servivit Deo usque ad bonum finem.* Diethelmus vero eius frater, postquam in prædio suo Brül, quod leuca fere a monasterio S. Blasii distat, novam cellam in honorem S. Cyrilli E. M. Georgii M. ac S. Mariæ Magdalenæ posuisset, ipsemet S. Benedicti regulæ in Steinensi S. Georgii monasterio sese addixit.

Idem porro Hugo de Tuffenstein in charta an. 1243. testatur, se curiam in Tegernfeld contulisse, ad hoc adductum, *quum eccles. S. Blasii occasione bellorum sive alias sæpius læsisset, & plurimum damnificasset.* Sic anno 1219. damna S. Blasio illata reparavit Albertus de Wernshusen. Anno 1222. iudices delegati S. Blasio decernunt curiam eidem violenter ablatam. Anno 1225. ob damna illata monasterio S. Blasii prædium confert Rudolphus de Randegge. Testatur porro memoratum Henrici VII. diploma an. 1228. causam eiusdem esse *oppressionem & inopiam claustri S. Blasii in Nigra Silva, honestatem ecclesiæ, religionem personarum.*

Hæc ipsa vero novos eidem monasterio benefactores conciliarunt, dum præcipue post resignationem Arnoldi I. anno 1247. eius successor Arnoldus II. accedente copioso ex fodinis Tottnaviensibus, ad sarcienda damna ac bona recuperanda concessis, proventu, egestatem ut plurimum a monasterio depulerit. Extat huius abbatis mnemosynon, auro charior theca argentea, seu dyptichon, pro ætate illa præstanti admodum opere anaglypho, qua liber evangeliorum, pervetusta manu exaratus, in processionibus deferri solet: gemmarum, quæ figuratæ in ea conspiciuntur, descriptionem infra damus a). Liberavit item hic abbas monasterium *ab importabili*

a

a) 1. Agathes oblongus, cui insculptus est Hercules nudus stans, dextra clavum tenens, sinistra bacillum cum globo; ante truncus arboris. 2. Corniolus, in quo figura virilis barbata versus Terminum adstantem. 3. Apollo nudus capite laureato stans, dextra demissa, sinistra

tabili provisionum sarcina, ut in bulla Innocentii IV. an. 1249. adpellantur. Nobiles item cœnobio infestos repressit, & illata damna resarcire compulit: alios vero sibi certatim conciliavit ac devinxit, eos feudatarios sibi obnoxios constituens. Id quod seculo XIII. ab aliis quoque abbatibus nostris factum, qui passim feuda nobilibus, ex præcipuis haud raro familiis, contulerunt, quarum nomina saltem hic ordine alphabethico adponimus: de Affoltre, de Baden, de Baldegge, Blaubeuren monasterium, de Bonsteten, de Brandegg milites, de Burgedan, de Clingen, de Dirbeheim milites, de Eptingen, de Gerolzegg, de Gutenburg, de Hatstat, incolæ Basileenses, de Hiltalingen, de Hungerstein, de Huninchon, de Kiburg, de Kistelare, de Krenckingen, de Kozzen milites, de Lapide milites Burgundiæ, de Lorach, de Lupfen, de Mulimatten, de Nellenburg, de Regensberc, de Rich, de Rore, de Rotenberg, de Rotenlein, Scharre de Husen, de Steinmar milites, de Stoufen, de Surenki, de Tufenstein, de Tegerfeld. Hæc sunt feudatariorum seculo XIII. nomina, quibus semper in signum dominii census imponebantur, ac laudemium etiam, imo passim mortuaria, quæ non corpori aut personæ nobili, sed ipsi feudo vel officio adhæsere, præstabant sub aliis quoque abbatibus, imprimis vero sub Arnoldo II. qui ab anno 1247. usque 1276. 28. Iulii utilissime præfuit.

Successori suo Henrico II. largas reliquit facultates, quas in decorem domus Dei, restaurata inter alia mox altero regiminis anno ecclesia S. Michaelis, præ omnibus impendit: augendis item proventibus, imprimis vero in profectum litterarum, teste Ioanne de Ochsenhusen, intentus plu-

ramum tenet, insignis fabricæ, cui quatuor istæ litteræ additæ sunt A D R V. quas sic interpretor: *Appollini Deo Restius*, vel *Roscius*, aut alius, cuius nomen a littera R. incipit, *Vovit*; aut: *Apollini Domestico R.ma Victrix.* 4. Lapis lazuli, cui insculptus magnus canis venaticus, cervum insequens. 5. Carniolus, in quo spica, pyrum & pomum, forte fertilitatis indicium.

In parte anteriore sequentes visuntur imagines. In medio summitatis SS. Salvator utramque manum elevans: in quatuor angulis sancti quatuor evangelistæ. In parte interiore visitur primo imago Salvatoris sedentis dextra elata, sinistra librum tenentis: assidet ipsi beatissima Virgo manibus complicatis, protensis, supervolitante Angelo, a quo coronatur. Versus dextram stat imago S. Blasii schedulam tenens cum inscriptione: *S. Blasius.* Ad sinistram stat S. Nicolaus episcopus dextra librum tenens, aut S. Benedictus cum Regulæ libro. Inferius in medio conspicitur B. Maria V. puerulum Iesum tenens: a dextris stat S. Reginbertus fundator cum inscriptione † *B. Reinbertus*: a sinistris conspicitur abbas cum pedo & hac inscriptione † *Abbas Arnoldus S. Blasii.* Versus dextram in exteriori parte conspicitur Angelus salutans B. Mariam V. ab altera parte itidem distantem.

In aversa facie adparet in medio agnus cum cruce & labaro, circumque adpositis quatuor Evangelistarum animalibus.

SECULUM XIII.

plurimos MSS. codices bibliothecæ intulit, ipse doctrinæ præstantia quoque celebratus. Nobiles in solvendis cœnobio censibus segnes auctoritate Martini IV. Papæ an. 1281. compulit. Ad eius petitionem Rudolphus I. ultimo vitæ suæ anno 1291. 20. Febr. venditionem possessionum ac iurium in Nigra Silva ab Hugone de Tuffenstein monasterio factam auctoritate sua roboravit, ut apud P. Herrgott a) legere est, uti etiam instrumentum, datum in castro Scharfenstein, quo Ottoni de Stoufen b) an. 1294. advocatia super possessionibus in villa Crozingen ad dies vitæ defertur. Nos vero edimus Adolphi Rom. regis chartam, qua homines ligii, qui in urbes secesserant, monasterio iura sua solvere compelluntur eodem anno 1294. quo & obiit Henricus abbas IV. nonas Nov. succedente eidem in abbatia Bertholdo antecessoris sui sacellano, qui prope cellam abbatis habitare solitus, frequens ac velut individuus in choro & alibi præsuli suo comes die noctuque ad latus hærebat.

a) *Gen. Habsburg. T. II. P. II. p.* 545.

b) *Ib. p.* 553.

Erant porro apud nos, ut iam notavimus, Priores tres, Magnus videlicet, Claustralis, & Veteris monasterii, ubi habitabant fratres externi, conversi, laici hoc primum seculo adpellati. Amplissimum vero tunc temporis erat Camerarii officium, ut passim manifestat P. Herrgotti *vetus disciplina monastica* c), in ordine Cluniacensi, & constitutionibus Hirsaugiensibus ac Farfensibus. Necessaria is fratribus curabat, proventus recipiebat, cellerario, hospitalario, infirmario subministrabat. Omnes autem hi officiales in claustro cellas suas habebant, ubi præterea erat custos, armarius seu bibliothecarius, & scholasticus. In cellis exterioribus pro exigentia abbas ordinavit officia, uti & plebanos ad curam animarum in parochiis destinatos, ac præpositos ex fratribus primum illitteratis assumptos. Domi vero secularia negotia procuratores ex ordine clericorum vel laicorum, notarii, scribæ &c. tractabant.

c) *pag.* 116. 145. 524.

Congregatio San-Blasiana.

XVIII. Amplitudini congregationis San-Blasianæ seculo XIII. quod cellas suas per Sueviam, Brisgoiam & Helvetiam attinet, decessit nihil, imo accessit potius.

Ex abbatibus siquidem seculo adhuc XII. ad alia monasteria postulatis Wernerus abbas Maurimonasterii obiisse creditur an. 1212. qui annus Ettoni seu Ottoni eius successori primus fuit, nec alium intercessisse ulla uspiam monumenta aut Alsaticarum rerum scriptores produnt. Wernerum igitur ab anno 1166. per annos quadraginta sex aut quinque, ut ipsi statuunt Maurimonasterienses sodales, abbatem præfuisse necesse est.

In anno emortuali 1223. Rudolphi secundi abbatis monasterii Ursinensis, monachi San-Blasiani, ex Præposito Ochsenhusano an. 1181. Ursinum

ſinum poſtulati, conveniunt quidem auctores. Obſervat vero Bruſchius *in chronologia monaſteriorum Germaniæ*, inveniri Geboldum abbatem Urſinenſem teſtem cuiusdam donationis in chronicis & diplomatibus Cæſarienſis monaſterii an. 1220. Unde vel cum eo ſtatuendum, Geboldum hunc Rudolphi (cui cognominis fuit abbas monaſterii Engelbergenſis circa finem huius ſeculi, ex monaſterio S. Blaſii poſtulatus) coadiutorem fuiſſe, aut contra eumdem dicendum, Rudolphum iam circa an. 1220. atque adeo citius quam aliquot tantum ante mortem ſeptimanis, abdicata abbatia rediiſſe Ochſenhuſium. Inde etiam labente iam ſeculo XIII. incertum vero quo anno, Albertus ex monacho San-Blaſiano abbas accitus eſt Wiblingam poſt incendium, quo hoc ſeculo monaſterium Wiblingenſe conflagravit, ſiquidem campanæ novæ pro eccleſia an. 1275. fuſæ ſint, ut habet hiſtoria abbatum Wiblingenſium *Templum honoris* inſcripta. Occurrit autem Albertus teſtis donationum, quæ S. Blaſio fecerant Waltherus de Stadegun miles an. 1283. & Adelhaidis de Gundelfingen an. 1287. Diem mortis Alberti non deſignat laudatum Templum honoris, bene tamen eiusdem ſucceſſoris Richardi, ſcilicet annum 1310.

Habuit ipſum monaſterium Ochſenhuſanum XIII. ſeculo Priorem ſanctitate ac miraculis inſignem B. Henricum de Zwifultach caſtro illuſtris familiæ, ex qua fuit oriundus. Vita illius ab anonymo monacho conſcripta, edita eſt in antiquis lectionibus Henrici Caniſii a) recuſis a Baſnagio, qui eum tamen perperam ad ſeculum undecimum revocat, inani argumento a Zwifaltenſis monaſterii origine deducto. Bucelinus ſibi haud conſtat: in chronologia quippe Conſtantienſi eum iam an. 1198. cœnobii ſui incendium fuſis ad Deum precibus extinxiſſe aſſerit, quod de eo inter alia complura miracula narrat anonymus; unde ſtatuendum foret, quod B. Henricus ætate & officio Prioris in Ochſenhuſen anteceſſerit Arnoldum, quem autographum archivi S. Blaſii monumentum an. 1222. 17. Kal. Maii deſignat *A. Priorem*, *T. Præpoſitum*, *& O. Camerarium in Ochſenhuſen.* In bulla Gregorii IX. P. an. 1233. qua monaſterium iſtud in protectionem apoſtolicam recipit, nomen Prioris haud exprimitur. Alibi vero Bucelinus b) Henricum circa an. 1238. floruiſſe ſtatuit. Ab eo autem anno in documentis San-Blaſianis recurrit Henricus Prior in Ochſinhuſen uſque ad an. 1243. Hugo de Tufenſtein in compenſationem damnorum confert curiam in Tegervelt: *præſentibus, quorum hac ſunt nomina: Arnoldus abbas, Heinricus Prior in Ochſinhuſen &c.* Nullum Prioris nomen exprimit protectoria Innocentii IV. P. bulla an. 1253. contra clericos ad beneficia per apoſtolicas litteras promovendos. Hoc ſe-

a) *Tom. III. P. I. p.* 331.

b) *Ger. Sacr. P. II. p.* 244.

SECULUM XIII.

feculo in documentis domefticis occurrunt an. 1262. Rheinherus Prior Ochfenhufanus; Præpofiti vero an. 1222. T... an. 1254. Heinricus, an. 1276. Albertus factus abbas Wiblinganus, anno 1282. Bertholdus, an. 1294. Conradus.

Poft medium demum feculi XIII. nova Congregationis San-Blafianæ cella in chartis domefticis memoratur, parthenon nimirum in Guttnau, a fundatrice Gutta moniali in Sizenkilch nomen adeptum. *Erat*, ut in libro conftructionum S. Blafii legitur, *quædam fanctimonialis femina nomine Gutta. Hæc habuit confanguineum divitiis pollentem: cuius habitatio erat citra Rhenum infra clivum, ubi habuit domum aquaticam, fcilicet in Augia, nec non & aream cum aliis domibus cultui neceffariis. Habuit etiam iucundam poffeffionem in agris, in pratis, in magna latitudine pafcurarum, in filvis, & in aliis poffeffionibus. Quo vita decedente fupradicta Gutta hereditario iure fibi fucceffit. Qua hereditate accepta affumfit fecum unam de fodalibus, reliquit locum Sizenkilch, cœpit ædificare cœnobium in loco, quem hereditario iure poffederat, impofuitque fibi nomen Guttenow compofitum a nomine ipfius & loci.*

Circa tempus non conveniunt auctores domeftici, aliis primam migrationem ad fecul. XII. aliis ad fec. XIII. ftatuentibus. Nos certam epocham confectamur ex chartis domefticis, quarum primam producimus Alexandri IV. P. qua plurimas immunitates monafterio in Guttnau concedit; in una item an. 1260. arbiter Henricus Præpofitus Bürglenfis, altera an. 1261. electi compromiffarii adiudicant monafterio in Sizenkilch bona, quæ Rudolphus de Wiler rapuerat monialibus in Sizenkilch tranfeuntibus ad monafterium in Guttnau. Redditis vero, uti Rudolphus promiferat, bonis, fanctimoniales ad clauftrum Sizenkilchenfe redire coguntur, iis, quæ Guttnovii ante facrum velum acceperant, ibidem relictis fub Himeltruda magiftra, quibus Arnoldus II. S. Blafii abbas an. 1261. ftatuta dedit, quæ adhucdum fuperfunt.

Curavit porro Arnoldus eodem adhuc anno litteras conventionis & fubiectionem cellæ feu monafterii Guttnavienfis ad congregationem S. Blafii ab Eberhardo Conftantienfi epifcopo corroborari. Exftant quoque ejusdem Arnoldi II. abbatis litteræ patentes an. 1272. pro eleemofynis fidelium ad ædificationem monafterii Sizenkilchenfis deftructi colligendis: *Quum*, inquit, *monafterium Sizenkilchenfe in fe fuisque officinis fic deftructum fit, quod fine proborum & fidelium confilio & auxilio nequeat reparari.* Annales Colmarienfes a) ad illum annum meminerunt eius fati, quod & monafterium Guttnovienfe fuftinuit. *Clauftrum Sicikilchen exercitus comitis Ru-*

a) *Urft. Scriptor. Germ. P. II. p. 10.*

Rudolphi igne suppoſito deſtruxit. Clauſtrum Gutnove comes Henricus frater comitis Friburgenſis pro ablatione redditurum ſuorum penitus devaſtavit.

Ad litteras iſtas pro collectione eleemoſynarum concedendas adegit Arnoldum abbatem, quod paucis ante annis duas congregationis San-Blaſianæ cellas ignis abſumſerit, Burglenſe nimirum monachorum, & Berovienſe monacharum cœnobium. De hoc incendio in veteri miſſali, ab Angela docta eiusdem cœnobii moniali cum brevi chronico monaſterii non multo poſt elegantiſſime ſcripto, hæc leguntur: *Anno 1267. VII. idus Martii intempeſta noctis hora ignis in coquina clauſtri Berowe exoriens in tantum invaluit, ut omnem ſtructuram ligneam clauſtri ſeu monaſterii in cineres redactam penitus abſorberet.* Memorabantur ſingillatim in eodem chronico, quod miſſali inſertum una periit incendio an. 1711. ſex altaria cum reliquiis, quæ an. 1276. Incelerius ſuffraganeus Conſtantienſis ibidem conſecravit, poſtquam Arnoldus II. ultimo vitæ ſuæ tempore rem iterum reſtituiſſet, ut teſtantur verſus quondam in laudato miſſali ſcripti, & ad introitum eccleſiæ inſculpti:

Huius clauſtra loci flamma quondam dominante
Conſumſere foci, plus hæc reparavit ut ante
Arnoldus late florens abbas pietate.

Arnoldus I. abbas S. Blaſii, ut paullo ante notavimus, Berovio erat oriundus. Memorantur autem hoc ſeculo XIII. Conradus Præpoſitus Berovienſis ſub Hermanno I. abbate an. 1229. itemque Geroldus de Immadingen Prior in Berau, ibidemque Mangoldus de Immadingen Præpoſitus anno 1230. ſub Arnoldo II. Wicmannus Præpoſitus an. 1261. Burchardus an. 1270. Mechtildis vero de Tuetelingen magiſtra ſeu Meiſterin ſub Henrico II. anno 1282. Rudolphus an. 1290. & Gottefridus Præpoſiti. Habuit autem Berovienſe hoc monaſterium an. 1297. benefactorem Albertum rectorem eccleſiæ Nallingenſis & capellanum S. Blaſii, qui bona omnia a Præpoſito Cellæ Graffenhuſenſis, & a Iacobo Klier cive Friburgenſi pro 47. marcis coëmta eidem attribuit: ut quamdiu Adelheida de Gundelfingen, Chunegundis & Agnes de Eſſelingen præbendariæ in Berowe viverent, iisdem fruerentur, poſtea ad parthenonem devolverentur. Præbendariorum in monaſteriis Berovienſi, Sizenkilchenſi & S. Blaſii paſſim fit mentio hoc tempore: alii in S. Blaſio in habitu ſeculari apud fratres exteriores habitabant, alii in hoſpitali, qui ſucceſſu temporis *Oblati* vocari cœperunt.

Cellula Wislighofen vocatur in charta, qua ei, utpote *in redditibus tenui & exili*, Henricus epiſcopus Conſtantienſis univit eccleſiam in

SECULUM XIII. Babincoven an. 1243. ut posthac duo monachi ibi cohabitarent. Insigne theotiscum instrumentum an. 1251. haud semel a nobis adductum docet, Eberhardum episcopum advocatiam huius monasterioli ab Henrico de Lupfen quatuor marcis argenti redemisse. Anno 1287. Præposito & ecclesiæ in Wisselinkon Reinhardus nobilis de Wazzerstelz propinquo castro, quod medio in Rheno situm est, donavit prædium in lucho.

Monasterium S. Georgii. XIX. Monasterii S. Georgii abbates Manegoldum & Theodericum iam libro superiore seculoque XII. memoravimus, qui vero hoc demum seculo XIII. sunt defuncti, Theodericus an. 1209. Manegoldus an. 1215. Passavii, ubi an. 1206. episcopus fuerat renuntiatus, cuius res gestas late prosequitur Hansizius in *Germania sacra* a). Ipsum vero monasterium *anno* 1224. *permissione Dei universaliter exuritur*, iuxta chronicon eiusdem cœnobii, in festo S. Ursulæ sub Henrico II. abbate, qui iuxta idem chronicon successit Burchardo I. anno 1220. quo Ulricus baro de Gundelfingen prædium suum cum capella in Tintenhofen & Herbrechtshofen vendidit eidem Burchardo, qui Theoderico an. 1208. vel 1209. mortuo successerat. Vidit tamen restitutum monasterium Henricus abbas, an. 1255. id. Iunii iterato consecratum ab Eberhardo Constant. episcopo. Mox altero post incendium an. 1225. Conradus, quem supra celebravimus, Eginonis comitis de Urach & Agnetis sororis Bertholdi V. & ultimi ducum Zaringiæ filius, tunc Portuensis episcopus & Cardinalis S. Rufinæ, ex monacho & abbate Cisterciensi apostolicæ sedis legatus, ex fructibus ecclesiarum monasterii subsidium concessit. Henricus autem abbas & conventus an. 1226. omnes & singulos, qui ad reædificandam ecclesiam & monasterium opem tulerint, omnium bonorum operum, quæ vel in ipso monasterio, vel in novem aliis unitis fierent, participes esse voluit. Adiumento etiam an. 1231. fuit donatione prædii in Eidringen Egino comes in Friburg & Urach, dominus in Sindelstein. Obtinuit idem Henricus abbas an. 1245. a Friderico II. imp. confirmationem privilegiorum, quæ monasterio S. Georgii Henricus V. dederat: utrumque diploma videre est in Schœpflini Alsatia diplomatica b).

a) *T. I. pag.* 350. *seqq.*

b) *T. I. num.* 841. & 514.

Quum vero monasterium debitis premeretur ob iacturas conflagrationis, constructionisque expensas, Innocentius IV. P. an. 1248. executionem litterarum apostolicarum Henrico episcopo Argentoratensi commisit, quibus facultas conceditur, monasterio S. Georgii proventus decem ecclesiarum, in quibus ius patronatus habuit, ad delenda debita applicandi. Dum interim perficitur structura, an. 1255. Petrus ad Velum aureum diaconus cardinalis & apostolicæ sedis legatus quadraginta dierum indulgentias

tias concedit visitantibus in die dedicationis ecclesiam monasterii S. Georgii. Anno autem 1258. ut habent monumenta S. Georgii, vel iuxta chronicon an. 1259. moritur Henricus abbas VIII. Kal. Aprilis, eique succedit Dietmarus, qui an. 1267. (quo concambium feudorum *in deme Dürrenholz* inter abbatem Augiensem Albertum & monasterium S. Georgii, abbate non nominato, factum est) captus fuisse perhibetur a milite de Werbinwag, leproso postea effecto; lethale quoque vulnus a quodam monacho suo in die apostolorum Philippi & Iacobi accepisse dicitur an. 1269. ad quem annum Gallia Christiana a) eius mortem consignat, quem vero chronicon S. Georgii undecim adhuc annis supervixisse testatur, anno demum 1280. mortuum. Huic successisse Bertholdum scribit abbas Georgius Geisser, haud dubie ex chronico S. Georgii, in quo initialis littera B. legebatur: Gallia autem Christiana Eberhardum, Walterum & Burchardum interponit inter Dietmarum, etiam Othmarum alicubi dictum, & Bertholdum, cui laudatus abbas tribuit fraternitatem an. 1283. cum Udalrico abbate & conventu Zwifaltensi institutam, quam Gallia Christiana Waltero adscribit: nomen tamen haud exprimitur in instrumento huius confœderationis apud P. Arsenium Sulger in Annal. Zwifaltens. b), neque etiam in confirmatione privilegiorum Rudolphi I. Rom. regis an. 1282. (a quo tunc Augustæ in comitiis præsens S. Romani imperii princeps est adpellatus) neque in bulla Martini P. aut diversis chartis nobilium militum de Valckenstein circa hos annos. In harum una tamen an. 1281. initiali littera B. Bertholdus nominatur, itemque in alia an. 1282. quæ incipit: *Nos Bertholdus &c.*, & qua cognominis sacerdos, dictus de Husen, lumen perpetuum fundat ad S. Georgium. Occurrit item Bertholdi abbatis nomen in conventione vernacula cum sculteto, consulibus & universitate urbis Villinganæ an. 1291. inita.

Familia Valckensteiniana, quæ, ut supra memoravimus, seculo XIII. ex coniugio affinitatem contraxit cum amplissima gente de Fürstenberg & Zimmern, in monasterio S. Georgii sepulturam suam habuit. Non unum porro huius nominis est castrum in Nigra Silva, unum quidem ad fauces, quibus *inferni* nomen est, *die Hölle;* unde in Silva nigra in amœnissimam Brisgoiæ regionem fit transitus, qui locus ideo lingua vulgari *Himmelreich* seu regnum cœlorum nominatur. Conspicua hodieque sunt in illa valle huius arcis rudera super altam rupem *Falchenstaig* nuncupata. Alterum castrum Falckenstein in pago Bara situm est, quod ex Hepidanno supra c) memoravimus, iam anno 1030. celebre, & adeo munitum, ut Ernesti ducis Alemanniæ & Werneri comitis de Kiburg, testibus Wippone & Hepidanno, Conrado imperatori rebellantium obsidionem diu

SECULUM XIII.

a) *T. V. pag.* 1002.

b) *T. I. pag.* 233.

c) *Seculo XI. Lib. VI. n. IV.*

 per-

SECULUM XIII.

pertulerit. Fuerat circa medium seculi XIII. S. Galli abbas Bertholdus de Falckenstein, qui an. 1248. abbatiam quoque Rhenaugiensem obtinuit favente Innocentio IV. P. quæ res in bellum erupit, opponente sese Eberhardo Constantiensi episcopo, & postea Ioanne de Krenckingen, quem post mortem Innocentii IV. Rhenaugienses monachi haud inviti abbatem elegerunt. Dein autem mutuo se expulere Ioannes hic & Bertholdus de Falckenstein. Familia hæc in necrologiis San-Georgianis passim notatur: in quibus frequentes etiam occurrunt comites de Fürstenberg, quorum sator Henricus cum filiis suis testes designantur in memorato Rudolphi I. diplomate.

Anno 1291. Henricus de Kurneck monasterio S. Georgii possessiones suas circa castrum Kurneck vendidit *cum consensu Henrici & Burchardi*, ut ait in charta, *librorum meorum, stipulatione adhibita per manum reverendi domini mei Eginonis de Vürstenberg.* Et infra: *Nos vero comes Egeno & Bruno miles de Kyrneck prænotati &c.* In instrumento fundationis capellæ prope capitulum ad S. Georgium an. 1295. & permutatione servorum cum Bertholdo abbate Steinensi an. 1296. & ineunte seculo sequente cum Eberhardo episcopo Constantiensi eadem occurrit familia. Speciminis loco edimus instrumentum permutationis huiusmodi propriorum hominum, factæ anno 1297. a Bertholdo abbate S. Georgii cum capitulo cathedralis ecclesiæ Constantiensis, cui appensa sunt quinque sigilla, videlicet Henrici episcopi, Conradi de Friburg Præpositi & Capituli dictæ cathedralis ecclesiæ, Bertholdi abbatis, & conventus S. Georgii.

Cellæ monasterii S. Georgii.

XX. Ut paullo ante audivimus, Henricus S. Georgii abbas post incendium sui monasterii omnes, qui opem ad restaurationem monasterii contulerint, participes reddidit bonorum operum, quæ fierent vel in ipso S. Georgii monasterio, vel in aliis novem eidem unitis, quot nimirum perampla tunc San-Georgiana congregatio numerabat monachorum & monialium cellas. Hæ erant S. Sebastiani in Amptenhausen, quam Rudolphus comes de Habsburg pene desolatam sub abbate Dietmaro restituit, eiusque proprietatem de novo confirmando transscripsit. Altera fuit S. Ioannis Baptistæ in prædio Megensalmenswüller (Magenheimswiller), item S. Nicolai in Ripoldesowe, S. Udalrici in Urspringen, S. Mariæ V. in Fridenweiller, cella Luckesheim, cellæ S. Marci, S. Gangolfi, S. Eustasii in Wargavilla, de quibus iam seculo XI. num. 36. & sec. XII. n. 52. egimus, quæve magnam partem in Argentinensi diœcesi sunt sitæ. Quare etiam Henricus episcopus Argentinensis executor litterarum apostolicarum ab Innocentio IV. P. est constitutus anno 1248. quibus, ut

mox

SECULUM XIII.

mox supra meminimus, facultatem concessit depauperato ob incendium S. Georgii monasterio, ut decem ecclesiarum, quarum patronatus ius ipsi competebat, ad debita solvenda adhibere possit, ita tamen, ut dictæ ecclesiæ debitis non fraudentur obsequiis. Ius etiam patronatus in Gellibach monasterio ab Argentoratensi episcopo adiudicatur, ubi tamen in instrumento apographo vitiis aliunde scatente error intervenit, sive in anno 1257. sive in nomine episcopi, qui in chartæ inscriptione dicitur *Cunradus de Waluacbe archiepiscopus Argentinensis.* Fuit enim tunc temporis episcopus Argentinensis Henricus de Staleck, ut in sequentis anni 1258. charta pro eodem monasterio legitur, quo privilegia cœnobii S. Marci confirmat. Exstat quoque in Alsatia diplomatica Schœpflini a) charta an. 1290. qua Bertholdus S. Georgii abbas agnoscit episcopum Argentinensem ceu advocatum monasterii S. Marci. Hoc ab antiquissimis iam temporibus sub nomine *cellæ* S. *Sigismundi* prope Rubeacum vel Ruffac conditum fuit monasterium, cuius tamen rebus in deteriora collabentibus Leo IX. P. haud procul inde in Egishemio castro natus, quum partes illas lustrasset, illud restaurasse traditur, novamque eius ecclesiam sub titulo S. Marci consecrasse, qui locus *modo cella est monasterii S. Blasii in Hercynia silva*, ut quidem scribit Mabillonius in annalibus b), in hoc tamen a Galliæ christianæ auctoribus c) correctus, qui cellam istam recte S. Georgii monasterio adscribunt, ac Henrici Argentinensis episcopi chartam an. 1183. de eiusdem fundatione inter instrumenta d) exhibent.

a) *T. II. p. 73.*
b) *T. IV. p. 507.*
c) *T. V. p. 832.*
d) *L. c. p. 482.*

Monasterium Hirsaugiense.

XXI. Monastica S. Georgii congregatio seculo XIII. meliore usa est sorte, quam eius mater, celeberrima olim Hirsaugia. Fatum suum illa quidem innocenter primum sustinuit, nec id temporis insuetum ex suo erga sedem Romanam studio, cui Marquardus abbas more antecessoris sui immota fide adhæsit contra Philippum regem, ab Innocentio III. P. fidelium communione privatum. Quam occasionem arripiens Adelbertus comes Calvensis Philippo addictissimus, teste Trithemio ad an. 1205. e) *plurimam partem fratrum probris & contumeliis affectam exulare a monasterio tempore aliquanto compulit, & loco multa damna in substantia rerum temporalium fecit.* Philippo tamen e medio sublato Hirsaugiæ quoque pax reddita est. Præter hunc Adelbertum comitem de Calwe, qui iam in charta Henrici VI. an. 1194. occurrit, notatur in charta an. 1207. Conradus & Gottfridus: dubium vero, an idem qui in charta an. 1232. nepos Gottfridi comitis de Vehingen nominatur ultimus stirpis ex sententia Sattleri in hist. topogr. Wirtembergiæ f), ubi ex Bruschio an. 1210. Henricum de Calwe abbatem Augiensem notat.

e) *Chr. Hirs. T. I. p. 508.*
f) *pag. 201.*

SECULUM XIII.

Marquardo abbate eodem anno 1205. pie defuncto Luitfridus eius successor monasterio suo optime consuluit, qui, ut de eo Trithemius a) loquitur, *curans interna, quantum potuit, se a curis mundi superfluis prudenti ratione subduxit. Noverat enim, dixisse in evangelio Dominum:* primum quærite regnum Dei, & omnia, *quæ necessaria sunt ad præsentis vitæ sustentationem*, adiicientur vobis. *Hanc domini pollicitationem continue gerens in memoria, studiosius æterna temporalibus præposuit, & vanas mundi occupationes libenter declinavit. Quæ per alios expedire potuit, non sibi, sed aliis commisit.*

a) L.c.p.509.

Laudat idem Trithemius b) Luitfridi an. 1215. successorem Eberhardum pastorem utilem, & in cura animarum sollicitum: *& quamvis,* inquit, *regularis observantiæ pristinus fervor a beatissimo patre Wilhelmo in hoc monasterio plantatus isto tempore nimium, proh pudor! in monachis tepescebat, curabat tamen Eberhardus abbas subiectos sibi fratres ad puritatem monasticæ institutionis reducere: & compellebat eos, tria principalia religionis vota maxime custodire &c.* Edimus ex archivo cathedralis Spirensis Capituli chartam, qua Eberhardus an. 1218. eidem Capitulo vineas vendidit, uti iam eiusdem antecessor Henricus labente seculo XII. fecerat de prædio, *necessitate*, ut loquitur, *& utilitate ecclesiæ nostræ inspecta:* Ernestus autem Eberhardi successor, rebus in peius semper ruentibus, in simili casu venditionis an. 1236. factum id esse ait *pro strictissima ecclesiæ nostræ necessitate.* Id nimirum evenire ut plurimum solet, dum monachi, neglecta observantiæ regularis cura, ac omissa studii litterarum necessaria ac utili occupatione, ad seculi vanitates abripiuntur, luxumque & lautitias consectantur, ut bona illa dilapident, quæ maiorum parsimonia & frugalitate, omnium vero maxime cœlesti benedictione fuerunt collecta. Unde & in florentissimo alias Hirsaugiensi monasterio ex neglectu disciplinæ regularis pristinus illius in utroque statu profectus in deterius quotidie ferebatur, ut in Volpoldo Ernesti an. 1245. successore observat Trithemius: *unde*, addit c), *propter nimiam monachorum illius temporis ignaviam nihil, aut parum litteris invenitur commendatum, quod nobis ad perfectionem historiæ nostræ queat conducere; sed compellimur necessario Hirsaugianum opus gestis alienis per seriem complurium annorum, donec reformatio veniat, ornare.*

b) L.c.p.526.

c) pag. 578.

Eadem gravius adhuc ingeminat initio voluminis secundi ad an. 1266. & 1276. successore Ioanne, qui an. 1276. abbas ex Priore electus, suos quidem libenter ad vitæ melioris tramitem reducere voluerit, id tamen perficere haud potuerit, quia nimirum consuetudine depravatos invenit.

Eum

Eum sollicitudine multa & labore continuo duodecim fere annis præfuisse memorat. In Volando eius successore a) ita verissime scribit: *postquam regularis observantiæ fervor in monachis cœpit deficere, numquam inopia rerum temporalium cessavit deformitatem vitæ claustralium comitari.* Volandus igitur abbatiam anno 1280. resignavit *propterea, quod se paupertatem non posse relevare monasterii certissime recognovit.* Id quidem pro viribus egit Volandi successor Craffto, quod statum rei familiaris spectat; collapsam vero regularis disciplinæ observantiam ad integritatem reducere haud potuit, quum ipsus secundum Regulæ puritatem vivere non didicisset, quod item de Gottfrido eius successore notat idem Trithemius. Rem familiarem collapsam, quæ in Annalibus monasterii in Bebenhausen inter monumenta Guelfica apud P. Gerardum Hess b) ad an. 1281. leguntur, declarant: *Crafto abbas & totus conventus monasterii Hirsaugiæ vendiderunt monasterio nostro pro CCXX. libris hall. Curiam Seelhof apud Feurbach, cui etiam annexum est ius patronatus ecclesiæ in Feurbach. Item in dicta villa curiam Hailigenhof cum suis attinentiis, & duos mansus ibidem, & generaliter omnia bona eorum in dicta parochia, seu in oppidis dictis. Bodenang & in parochia Zuffenhusen in domibus sive curtibus, pratis, agris, cultis vel incultis, vineas, necnon decimas suas universas apud Westheim, Visenhusen, Zazenhusen, Stainheim, & Pflugveld cum omnibus eorum attinentiis.* Et postea ad annum 1284. *Eodem anno Vollandus abbas & conventus Hirsaugiensis vendiderunt abbati & conventui Bebenhusano omnes suas possessiones, quas habebant apud Bunikheim tam in ipsa civitate, quam in terminis sive Marca, vel extra Marcam eiusdem civitatis, & in Batenheim.* Quæ Vollandum iterum ad clavum, quem resignaverat, rediisse ostendunt.

Seculum XIII.

a) T. II. pag. 32.

b) pag. 259.

XXII. Ut iam libro præcedente intelleximus, abbates Hirsaugienses, dignitate sese abdicantes, in Rothensem Præposituram secesserunt, reliquum vitæ bene ac tranquille transacturi. Hac tam quieta sorte fruitus haud est Henricus, de quo paullo ante, cui quidem abbatiam suam in manus conventus spontanee resignanti an. 1196. ut testatur Trithemius c), *fratres, ne vel inopia vel tædio vitæ laboraret, Præposituram in Rothe pro sustentatione sua, quoad viveret, assignarunt: in qua per sex menses in mærore spiritus, & amaritudine mentis, lacrymisque ferme continuis supervixit, memoriam agens omnium iniquitatum suarum* (negligentiarum scilicet in pastorali munere). *Unde brevi mærore consumtus anno sequenti moritur, quarto videlicet nonarum Iunii, ad introitum ecclesiæ Rothensis iuxta Ruperti abbatis tumbam sepultus.*

Præpositura Rothensis.

c) T. I. p. 487.

Ru-

SECULUM XIII.

Rupertus siquidem etiam illuc se receperat, non tamen Volandus, qui, ut diximus, an. 1280. abbatiam dimisit, quod monasterii paupertatem relevare haud posset; *magna etenim*, ut ad illum annum scribit Trithemius a), *fratres rerum pressit inopia, & parva censuum annalium restabat substantia: alieni denique æris pressura non mediocriter eius animum affligebat, quia non habebat, unde vexationem hanc omnium pessimam redimeret.*

a) *T.II.p.38.*

Ineunte iam seculo XIII. ut idem ad an. 1216. narrat, Præpositi Rothenses sese a subiectione abbatis Hirsaugiensis subtrahere conati sunt, ut libere nimirum uti possent redditibus, suique iuris atque ab obedientia abbatis soluti viverent ea licentia, cui a conspectu superiorum remoti iamiam assueverant. Fuerat hæc non minima paupertatis monasterii Hirsaugiensis causa, dum laute & liberaliter vivunt Præpositi, nihil aut parum pendentes monasterio, quin, si ædes forte instruendæ sint, aut aliis emergentibus necessitatibus, uno tempore amplius ex communi monasterii massa repetunt, quam multis annis ad illam contulerint. Quæ res ac securitas insuper rerum incurios reddit monachos multo magis quam seculares, quibus damna rerum suarum resarciendi eadem spes ac ratio haud est, nisi ipsi sibi prospiciant. Quo sane respectu male sibi consuluissent Rothenses Præpositi, dum sese ab obedientia abbatis sui liberos reddere fuerunt conati.

Priorat. Reichenbacensis.

XXIII. Successu temporis, ut videbimus, Prioratus quoque Reichenbacensis itidem sese a matre Hirsaugiensi separare contendebat. Fuerat hæc ex præcipuis Hirsaugiensis congregationis cellis, quas superioribus libris enumeravimus. In auctario diplomatum codici epistolari Rudolphi I. Rom. regis b) adiecto edidimus chartam Hugonis, Ottonis & Ludovici fratrum comitum Palatinorum Tubingensium in gratiam civium Horbensium, cui septem appensa sunt sigilla, primum Eberhardi episcopi Constantiensis, deinde Rudolphi comitis Palatini de Tubingen, Ottonis comitis de Eberstein, Henrici comitis de Fürstenberg, Alberti & Burchardi comitum de Hohenberg, Hugonis & fratrum comitum de Tubingen: *actum in claustro Richenbach anno Domini* 1270. 10. *Kal. Iulii.*

b) *pag.* 227.

Occurrit quoque hoc seculo XIII. in compendio historiæ huius monasterii, quod a P. Martino Mack Wiblingensi scriptum habetur c), charta donationis Hugonis de Wilare viri illustris anno 1209. inter alias, sine epocha, cum hac epigraphe: *acta sunt hæc sub domino Manegoldo Priore.* Sequitur: *notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod nobilis comes Bertholdus de Sulza pro remedio animæ suæ contulit beato Gre-*

c) *Tom. II. P. II. collect. script. monast.*

Gregorio & Remigio pratum &c. Alibi ad an. 1228. legitur Conradus Prior Reichenbacensis.

Pro monasterio hoc Burchardus comes de Hohenberg ad Bambergensem episcopum litteras dedit an. 1249. quibus significat, Gilteboldum de Isenburg bona quædam apud villam Schermen illi monasterio donasse, ex quibus aliqua a se in feudum teneat Gilteboldus, alia ab ecclesia Bambergensi. An. 1250. Ulricum comitem de Wirtemberg in monasterio Reichenbacensi mortuum annales Wirtembergici perhibent. An. 1252. Wolmarus comes de Veringen & filii eius conferunt eidem cœnobio feudum in villa Schermen, & in ripa, quæ dicitur Nagilti, ad petitionem viri nobilis Hietiboldi de Isinburc, qui prius infeudatus fuerat. Testes aderant B. comes de Hohinberc, O. de Eberstein, S. abbas de Alpirspach, F. Scutilman. *Dat. in Haigirloch.* Eodem anno Wilhelmus comes de Tubingen cum consensu filiorum ius proprietatis vineæ sitæ in Gemergheim (quam pretio sibi comparaverunt Prior & conventus in Rychenbach a nobilibus Alberto & Volmaro fratribus de Waldech, qui iam prædictam vineam iure feudali possederant) ipsis libere & absolute in honorem sanctorum Gregorii & Remigii contulit.

Anno 1282. iterum recurrit Conradus Prior suo & conventus nomine in charta conventionis hoc initio: *Nos Conradus Prior totusque conventus monasterii in Reichenbach &c.* Sic eodem anno Conradus miles, & Henricus frater eius, filii Volckmari militis de Nunegge recipiunt a monasterio in Reichenbach in feudum perpetuum iurisdictionem oppidi Rethe, iuxta Ninegam apud monasterium Reichenbach positi. Sigillum etiam adposuit Henricus de Geroldsekke, Dat. Kal. Ianuarii. Item Non. Ianuarii compositio litis inter Conradum militem dictum Molendinatorem de Husen & conventum de Reichenbach de quodam molendino apud Husen. Sigillum adposuerunt Otto comes Palatinus de Tüwingen & cives Horbenses. Elisabeth comitissa de Eberstein & de Tüwingen donat monasterio decem marcas argenti de molendino apud Horwe. Insigne hoc documentum, quod edimus, amplissimam eius cognationem & affinitatem prodit. Dat. IV. Kal. Martii 1283. Anno 1289. Ludovicus comes Palatinus de Tuwingen unacum matertera sua Elisabetha iam memorata ratihabet emtionem villæ Ilisperc a Conrado dicto Burger. *Datum apud Horwe proxima feria secunda post epiphaniam Domini.* Eodem anno Ludovicus comes Palatinus de Tubingen monasterio hortum in Horwe tradidit; idemque eodem anno per testamentum legat villas in Swarzenberge & Heselnbach. *Actum apud Horwe quarta feria ante festum S. Margarethæ.*

SECULUM XIII.

Anno 1291. ius patronatus hortorum ante portas superiores civitatis Horwe, quos Ludovicus memoratus donaverat monasterio Reichenbacensi, Prior & conventus magistro Conrado medico suisque pueris in feudum dat. Appendent sigilla abbatis Hirsaugiensis, Prioris in Reichenbach, conventus Hirsaugiensis (quum conventus in Reichenbach proprium non haberet) & civitatis Horwe. Inc. *Conradus divina permissione Prior monasterii in Reichenbach.* Anno 1293. Gottfridus abbas Hirsaugiensis promittit, quum una utriusque monasterii sit fraternitas, nihil impedimenti in bonis Reichenbacensis monasterii se iniecturum. Eodem anno Burchardus comes de Hohenberg ratihabet venditionem, qua Bertholdus miles de Heiterbach ministerialis eius, & filius eius Volckmarus, huiusque uxor Adelhaidis vendiderunt quædam bona in Grunenmetstete magistro Conrado Sirurgico in Horwe. *Actum feria 6. proxima ante nativitatem B. Virginis.* Quum vero huic actui prædicta Adelhaidis præsens non fuerit, vocata est in Wiler, ibique resignavit hæc bona, quod actum est apud inclusum Wiler in die nativ. B. M. 1293. Arbitris Eberhardo abbate in Zwifalten, & domino Suriger der Lange von Gundelfingen conventio facta est inter Conradum Priorem & D. Ioannem de Tizzen circa curiam in Tizzingen. Signarunt etiam Gotfridus comes de Tuwingen, & memoratus abbas Hirsaugiensis: *gegeben an St. Priszen* (S. Priscæ 18. Ian.) *Tag* 1295. Eadem res iterum acta est eodem anno, die Mercurii post S. Michaelis, *zwischem dem Prior und Convent zu Reichenbach und Herrn Balsun von Tizzingen einem Ritter, Reinhart und Wigant Brudern seinen Söhnen.* Commissarius apostolicus erat Gotfridus abbas Gengenbacensis, qui sigillo munivit, suumque etiam addidit Gotfridus abbas Hirsaugiensis. Anno 1296. Conradus miles dictus de Wellehusen advocatus Priori & conventui Reichenbacensi bona quædam vendidit. Sic matre inopia pressa, ditescit filia.

Monasterium Gottesau.

XXIV. Gottesaugæ monasterium Hirsaugiensem fuisse coloniam libro superiore demonstravimus, quod haud procul Durlaco situm est. Anno 1260. orta lis laudo fuit composita, *dissentientibus illustri principe Rudolpho marchione de Baden, Bertholdo abbate & conventu monasterii in Gotesowe ordinis S. Benedicti Spirensis diœcesis*, ut apud Schœpflinum legere est in historia Zaringo-Badensi a): cuius Rudolphi I. marchionis alia anni 1272. charta ibidem legitur, aliaque biennio post eidem monasterio adscripta bona notantur. Rudolphus item secundus primi filius an. 1289. beneficum se erga idem monasterium exhibuit. Huius vero pater Rudolphus I. filius erat Hermanni V. ac frater iunior Hermanni VI. qui

a) *T. II. p.* 5. *& T. V. pag.* 237. 255. 289.

Au-

Aufrius eft dictus ob fpem, quam habuit, genus fuum in Auftria poft extinctam ftirpem Babenbergicam propagandi: ipfe vero Rudolphus propagator fuit ftirpis Marchio-Badenfis, in ecclefias & monafteria, Albanum præprimis, ut mox videbimus, munificus ac liberalis, uti apud Schœpflinum notatur.

Alpirfpacenf.

XXV. Alpirfpacenfe cœnobium, quod profectum fuum utrique SS. Blafii & Aurelii monafterio debet, feculo XIII. fat illuftre extitit, cuius integram fere abbatum feriem monumenta extranea pleraque fiftunt, dum abbates Alpirfpacenfes paffim pro dexteritate fua ad maiora etiam procul fuere vocati negotia, iisque adhibiti. Sic apud P. Herrgott a) anno 1211. Burchardus de Alpirfpach, auctoritate Henrici epifcopi Argentinenfis & Alberti comitis de Habsburg, monafterium S. Trudperti contra iniurias & ufurpationes advocatorum de Staufen in tuto pofuit. Apud P. Arfenium Sulger in monafterii Zwifaltenfis Annalibus b) legitur charta Dieterici abbatis Alpirfpacenfis an. 1231. qua arbiter cum Manegoldo Præpofito in Denkendorf fententiam fert pro facello in Mochenthal, contra, ac Conradus epifcopus Conftantienfis ante fedecim annos decreverat.

Apud Befoldum in documentis redivivis monafteriorum Wirtembergiæ c) Ludovicus dux de Tecke, dum anno 1251. determinavit iurisdictionem abbatiæ Alpirfpacenfi in oppido Dornheim competentem, ad Bertholdum abbatem provocat, qui contra Volmarum militem de Brandecke ius fuum propugnavit *tunc vivens*, & *curam abbatiæ tenens monafterii in Alpirfpach.* Quæ verba illum iam tunc mortuum indicarent, nifi in hac ipfa charta inter huius facti teftes videntes & audientes primus occurreret *Berchtoldus abbas dicti monafterii.* Quis vero ille fit, qui mox anno fequenti in fupra d) citata charta Wolmari comitis de Veringen anni 1252. pro Reichenbacenfi monafterio inter teftes legitur *S. abbas de Alpirfpach*, nuspiam deprehendere potui. Crufius, dum in Annalibus Sueviæ e) refert, Eberhardum Conftantienfem epifcopum an. 1256. adprobaffe permutationem quamdam inter abbatem & conventum Alpirfpacenfem, ac plebanum in Dornheim initam abbatis nomen reticet. Alibi eodem anno notatur Albertus abbas, qui in charta anni 1258. qua de iure proprietatis quorumdam hominum monafterii Alpirfpacenfis & S. Georgii pronuntiatur, fic orditur: *B. maieftate divina abbas de Alpirsbach & conventus ibidem.* An. 1271. occurrit Volmarus.

Citatus Crufius f) nullum abbatis nomen exprimit, dum recenfet Eberhardi epifcopi Conftantienfis litteras an. 1272. confirmantes unionem ec-

a) Genealog. Habsb. T. II. P. I. p. 213.

b) T. I. p. 188.

c) T. I. p. 149.

d) N. XXIII.

e) L. II. P. III. c. 11. p. 87.

f) L. c. cap. 22.

SECULUM XIII. clesiarum parochialium in Dornheim & Meſſingen, quas iam Bonifacius VIII. P. huic monaſterio poſt rectorum deceſſum incorporandas decreverat. Rem hanc confirmarunt S. Moguntinæ ſedis iudices II. Kal. Iunii an. 1273. Volmari autem abbatis nomen notatur in charta an. 1276. & in alia an. 1278. apud Beſoldum, qua notum facit Hermannus comes de Sulze, ſe villam Hopffow vendidiſſe monaſterio Alpirſpacenſi pro 120. marcis. Huc quoque pertinet anni ſequentis inſtrumentum, quod ex chartulario Alpirſpacenſi habemus, ubi an. 1297. notatur Ioannes abbas. Cruſius a) an. 1299. chartam profert, qua prædium monaſterii Alpirſpacenſis, apud Reichenbach ſitum, cum omnibus appendiciis ſeu iuribus ad infirmariam ſui monaſterii, centumque annuatim paſcendos mendicos confert, ita ordientem: *Albertus miſeratione divina abbas & conventus in Alpirſpach.*

a) L.c. p.187.

Cella Kniebis

XXVI. Ad monaſterium hoc Alpirſpacenſe pervenit ſec. ſequenti cella Kniebis, inter aſperrimos Nigræ Silvæ ſeptentrionalis montes ſita, Kniebuz dicta apud Beſoldum b) in inſtrumento confirmationis factæ a Friderico comite de Furſtenberg an. 1290. religioſis viris in Kniebuz in Nigra Silva commorantibus, innovando nimirum *omnem libertatem factam prædictis fratribus in area, in nemoribus, paſcuis, piſcaturis ab epiſcopo Babenbergenſi, nec non epiſcopo Conſtantienſi, & a patre noſtro pure & ſimpliciter propter Deum, & ob reverentiam glorioſæ virginis Mariæ patronæ eccleſiæ in Kniebuz.* Patrem initio chartæ nominaverat cognominem Friderſcum comitem de Fyrſtinberck *felicis recordationis*, qui in feudum tenuerat ea bona *a diœceſano ſeu diœceſi Babenbergenſi, quæ etiam feuda reſignavit ad manum Berchtoldi epiſcopi tunc temporis reſidentis ibidem, nihilominus ſuis ſupplicationibus ac precibus obtinuit apud præfatum epiſcopum, & ipſe prædictam aream, nemus, paſcuas, piſcaturas cum aliis attinentiis contulit ſupradictis viris religioſis, eorumque ſucceſſoribus iure hereditario ſub annuo cenſu; ita quod iam ſupradicti fratres ſingulis annis exſolvant unam libram ceræ ad officium theſaurarii, ſive qui præeſt cameræ monaſterii Babenbergenſis.* Supra iam memoravimus Fridericum, Henrici I. gentis Fürſtenbergicæ conditoris filium, qui etiam habuit Fridericum filium cognominem: creditur tamen pater anno demum 1296. mortuus & Wolfaci ſepultus, quam dynaſtiam familiæ Fürſtenbergicæ attulit Udelhildis uxor Friderici, qui in mox memorato Friderici filii inſtrumento an. 1290. *felicis recordationis* dicitur; unde iam tum mortuus cenſeri poſſet. Cæterum iunior hic Fridericus ille haud dubie Fridericus eſt comes de Fürſtenberg, qui notante Datio *de pace imperii publica* an-

b) Docum. rediv. T. I. p. 152.

anno 1299. fœderi Suevico acceſſit. Ch. Frid. Sattler a) citat chartam venditionis an. 1277. factam domus in Dornſtetten *de voluntate & conſenſu Ottonis & Hugonis comitum palatinorum de Tubingen.*

SECULUM XIII.

a) *Topograph. Geſchichte des Herzogthums Wirtemberg. p.* 266.

XXVII. Monaſterium S. Petri in Nigra Silva ſeculo XIII. deſiit eſſe mauſolæum fundatorum ſuorum Zaringiæ ducum, ex quibus ultimum Bertholdum V. in baſilica Friburgenſi an. 1218. ſepultum ſuperius notavimus, abbate S. Petri Bertholdo I. qui an. 1191. Rudolpho de Reutenhalden ſuccedens pedum tenuit uſque ad ultimum diem anni 1220. Rudolphum iſtum in abbatum S. Petri catalogo omiſit Gallia Chriſtiana b). Bertholdi ſucceſſor Henricus I. an 1255. mortuus, dirum an. 1238. ſuſtinuit fatum conflagrationis ſui monaſterii, quod ob incendiorum frequentiam *Vorago ignis* dicitur apud Cruſium c). Tardius illud e ſuis ruinis ſurrexiſſe vel inde palam fit, quod id ſub Waltero I. demum acciderit, qui in locum Arnoldi abbatis an. 1277. ſuffectus eſt, per quem, ut habent annales huius monaſterii, multo pulcrior ſurrexit ſtructura, *ornata ſponſa Chriſti tamquam altera nova Ieruſalem*: quæ ultima verba omiſit Cruſius, eodem Mſc. uſus.

Monaſterium S. Petri.

b) *T. V. pag.* 1056.

c) *Annal. Sueviæ P. III. L. I. c.* 14.

Nicolaus IV. P. an. 1288. Waltero huic *abbati S. Petri de monte*, ut vocat, Breve apoſtolicum inſcripſit, ad petitionem *Præpoſiti & conventus de Witnowe, per præpoſitum ſoliti gubernari*, congregationis nimirum San-Blaſianæ. In eo illi demandat pontifex, quatenus ea, quæ de bonis monaſterii huiusmodi alienata invenerit illicite, vel diſtracta, ad ius & proprietatem eiusdem monaſterii revocare procuret, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Walterus an. 1291. die 3. Febr. mortuus abbatiam Eberhardo reliquit, hicque anno 1295. Gottfredo, ex nobili familia de Letſchbach Friburgi oriundo, qui monaſterium S. Petri uſque ad an. 1322. rexit.

XXVIII. Cella S. Ulrici ad radices eorumdem Nigræ Silvæ montium, monaſterio S. Petri nunc unita, iam in inſtrumento an. 1183. ipſa quoque S. Petri monaſterium, alias Willmarscella, dicta eſt ſub Bertholdo Priore; poſt quem nullus amplius Prior huius cellæ notatur uſque ad an. 1264. quo Henricus, & ad an. 1291. quo Ulricus in chartis occurrunt Priores, congregationis nimirum Cluniacenſis, cui ineunte hoc ſeculo XIII. anno nempe 1204. Hugo V. abbas Cluniacenſis alia ſtatuta dedit & conſtitutiones, multum relaxans rigorem, quem ſeculo XII. venerabilis Petrus abbas induxerat.

Prioratus S. Ulrici.

XXIX. Monaſterium virginum, quod ſuis locis diximus a B. Udalrico apud Bolesweiler ſec. XI. conſtitutum, inde vero ſeculo XII. a Ge-

Parthen. Boleswiler S. Fidis.

SECULUM XIII. raldo de Scherzingen in allodium Seleden translatum, facta donatione pro monasterio & congregatione Cluniacensi, ita usque ad initia seculi XVI. perstitit sub Præposito Cluniacensi, qui ibi curam parthenii habuit. Nuncupatur hoc etiam in antiquis monumentis monasterium S. Fidis, *Sanct-Fides Closter*, cui nimirum S. virgini & martyri fuit sacrum, perinde ac aliud quoque virginum monasterium in Nigra Silva pagoque Alpegoviæ prope Graffenhausen; de quibus tamen monumenta seculi XIII. nulla nobis suppetunt.

Waldkirchense. XXX. Haud dispari ignorantia laboramus, quod parthenia in Waldkirch & Sulzberg ord. S. Benedicti in Nigra Silva attinet; tantum, quod in chartulario monasterii S. Georgii servetur permutatio hominum propriorum utriusque monasterii S. Georgii & Waldkirchensis an. 1293. nomine abbatissæ & conventus perscripta, quæ tunc præsens littera initiali S. designatur: *Venerabilibus viris... Dei providentia abbati totique conventui monasterii S. Georgii in Nigra Silva, S. divina permissione abbatissa totusque conventus S. Margarethæ in Waldkilch devotas in Ihesu Christo. ... reverentia vestra, quod quondam honoranda domina* Bechca *abbatissa nostri monasterii &c.* Mox vero dicuntur hæc accidisse sub Burchardo abbate S. Georgii, cuius nominis primum ab an. 1209. abbatem fuisse superius observavimus, aliumque seu secundum exhibet Gallia Christiana a) circa an. 1290. mortuum. Huc etiam pertinet mallum seu iudicium Landgraviale, quod an. 1298. Waldkirchæ habuit Henricus marchio Hachbergensis, ut ex eiusdem litteris liquet, quæ autographæ servantur in archivo Thennenbacensi (cum sigillo etiam Wilhelmi de Schwarzenberg, & Eginonis iunioris comitis de Friburg) a Schœpflino in historia Zaringo-Badensi b) editæ.

a) *T. V. pag.* 1002.

b) *T. V. pag.* 314.

Sulzbergens. XXXI. Ex illis, quæ idem Schœpflinus c) refert (dynastiam marchionum Badensium Usenbergicam describens, ad cuius superiorem partem pertinet oppidum Sulzberg), palam fit, monasterium hoc Sulzbergense multa pertulisse damna. Notat tamen an. 1245. Rudolphum nobilem de Usemberch, & Burchardum fratrem eius nuper defunctum, qui ditionis suæ ecclesias, quas ipsi vexaverant, Sulzbergensem præcipue, ab omni damno liberas pronuntiarint, quod Friburgi litteris in festo S. Dominici consignatum instrumentum servatur in tabulario Badensi. Habuit etiam idem monasterium postea ex eadem familia benefactores & fautores, ut apud eumdem legere est d), an. 1271. Hessonem dominum de Usemberg monasterio Sulzbergensi universos ex iure mortuarii per vallem istam reditus donasse; & anno 1294. 4. Kal. Sept. Hessonem illustrem de Oesenberch

c) *L. c. T. I. pag.* 467.

d) *Ibid. pag.* 468.

berch militem, advocatum vallis in Sulzberg hereditarium, conventuali ecclesiæ S. Cyriaci in Sulzberg ius asyli aliaque privilegia concessisse. SECULUM XIII.

XXXII. Fuerunt hæc ordinis S. Benedicti monasteria habitus nigri, cuius coloris scapulare tantum, togam vero albam gestant Cistercienses monachi ac monachæ, quarum ut alibi per Germaniam, ita etiam per Nigram Silvam plura numero exstant monasteria. Ex his duo seculo XII. fundata utriusque instituti & sexus libro superiore indicavimus monasteria ad confinia Nigræ Silvæ in Alpegovia septemtrionali, fundatore Bertholdo domino de Eberstein. Ex his periit Alba dominorum Cisterciensis ordinis: Alba dominarum etiamnum superest monacharum nigrarum cœnobium. Seculo XIII. ambo confirmata sunt ab Ottone seniore domino in Eberstein an. 1270. suo & filiorum Ottonis, Wolframi, Henrici & aliorum heredum nomine. Testes adscribuntur H. de Baaden, H. Palatinus de Tuwingen, C. comes de Calwe &c. Iam an. 1255. Otto de Eberstein & Henricus senior de Rossewage molendinum super fluvium Albæ situm cœnobio dominarum in Alba pleno iure confirmavit: *Et est ipsarum libere & absolute; attinet siquidem proprietati in cella, quam de Remchingen eædem dominæ in usus proprios compararunt &c.* Eiusdem anni est charta emtionis villæ Volckersbach pro eodem parthenio, quam vendiderunt Cuno Waltfrigulo, Bertholdus & Craffto fratres de Oewensheim. Anno 1287. testatum facit Henricus de Eberstein, se cœnobio dominarum de Alba villam Burckbach, & proprietatem ibidem, quam frater eius Otto felicis memoriæ dicto cœnobio in remedium animæ suæ contulit, simpliciter propter Deum tradidisse. Denum an. 1294. Gerardus de Habesstatt medietatem villæ Speshard &c. Ioanni Præposito dominarum in Alba pro centum & quinquaginta libris *Haller* coram multis testibus vendidit: *in cuius rei*, concludit, *testimonium, sigillis nobilium dominorum meorum Henrici domini de Eberstein, domini Henrici comitis de Geminoponte, & meo præsente litteræ sunt munitæ.* Alba dominorum, & dominarum.

XXXIII. Porro in utroque monasterio Alba dominorum & dominarum sepultura aut memoria comitum de Eberstein fuit conservata, qui fundatores erant utriusque monasterii. Quicumque tamen ad sec. XIII. pertinent, Schannatus in vindemiis litterariis a), apud Albam dominorum adnotavit, sepulcrum imprimis *domini Bertholdi comitis de Eberstein, & dominæ Utæ uxoris eius, fundatorum huius monasterii.* Sequitur: *anno Domini 1245. obiit dominus beatæ memoriæ Cunradus de Eberstein* Spirensis *episcopus VI. Kal. Iulii.* Hunc in ecclesia cathedrali sepultum asserit Gallia Christiana b). Ottonis senioris, ex progenitore Bertholdo Alba dominorum ordinis Cisterciensis.

a) *Collect. I. p.* 151.

b) *T. V. pag.* 729.

SECULUM XIII.

tholdo fundatore, modo facta est mentio, de quo sic lego apud Schannatum: *anno Domini 1279. obiit dominus Otto senior, illustris comes de Eberstein, qui multa bona fecit monasterio.*

Habuit hoc monasterium Badenses quoque marchiones suos benefactores, quos inter, ut Schœpflinus a) adnotavit, iam an. 1251. Rudolphus I. tertiæ seu Rudolphinæ periodi, confirmavit ea, quæ parentes sui raterque Hermannus monachis in Alba concesserant. Anno 1256. Erlewinus Scultetus Pforzheimensis expedivit litteras, quibus monachi in Alba coëmerunt partem decimarum in Dietenhausen, iisque adpendit sigillum, quod gentilitia Badensium insignia exhibet, manifesto, ut Schœpflinus observat, indicio, Pforzheimium, portam Nigræ Silvæ ad septentrionem, iam tum sub marchionum fuisse ditione. Leguntur apud eumdem b) litteræ donationis bonorum in Durlach, monasterio Albæ dominorum factæ an. 1259.

In charta anni 1258. cernitur littera initialis W. abbatis de Alba, cui Bertholdus de Remchingen, onere debitorum gravatus, vendidit ius advocatiæ in viculo Ninsaltz, quod feudi titulo habuit a domino Ottone de Eberstein. Anno 1265. Henricus Spirensis episcopus, in cuius diœcesi situm est monasterium, civibus de Bruchsella libertatem concessit, vendendi quindecim iugera de pratis publicis, quæ vulgo *Almeinde* dicuntur, abbati & conventui de Alba Cisterciensis ordinis. Eiusdem episcopi, nec non Ottonis Præpositi ad S. Guidonem, quem supra celebravimus legatum Rudolphi I. Rom. regis ad concilium generale Lugdunense & Gregorium X. P. item dominorum de Eberstein & de Geminoponte (seu Zweybrücken) atque abbatis de Mulenbrunen sigilla, unacum sigillo Luitfridi nobilis de Helmotsheim adpensa sunt instrumento, quo hic ipse Luitfridus advocatiam inferioris villæ Terdingen vendidit abbati & conventui monasterii de Alba an. 1267. mense Martio. In commentario Msc. Oswaldi Gabelkoveri de familiis Germaniæ illustribus ad eumdem annum 1267. notatur Conradus abbas Albæ dominorum, quocum nobilis & illustris dominus Henricus comes de Vürstenberg super capella in Knibis, & eiusdem capellæ redditibus & bonis quæ ipsi obvenerunt per monachum & confratrem suum, qui apud eamdem capellam aliquamdiu substiterat, transigit.

Infestos quidem Alba dominorum experiebatur Simonem Geminipontis comitem, uti & Ottonem de Eberstein: ab eorum vero oppressione liberavit monasterium Rudolphus I. Rom. rex anno 1275. cuius hanc in rem diploma legere est apud Besoldum c), & in Franc. Petri Suevia ecclesiastica d). Anno 1285. Otwinus civis Spirensis & Werntrudis uxor donant mona-

a) *Hist. Badens. Tom. II. pag. 4.*

b) *T. V. pag. 232.*

c) *Docum. rediv. T. I. p. 76.*

d) *pag. 22.*

monasterio de Alba omnia sua bona, quae habuerunt Spirae, Bruchsellae, Heidelbergae, in Hentschusen, Nuwenheim, Rorbach, Eppingen, & Langenbruken, reservato ad dies vitae usufructu. Anno 1288. nobilis de Bruchsella cum coniuge sua Kunegunde vendunt monasterio de Alba villam Oberacker cum advocatia pro 450. libris. Anno 1289. Hermannus marchio de Baden amplissimum dedit diploma, quo iuxta tenorem diplomatis Rudolphi Rom. regis monasterium de Alba ab omni exactione immune agnoscit, liberamque facultatem concedit, utendi silvis, pratis, pascuis, datum mense Ianuario. Sic etiam an. 1291. mense Augusto Rudolphus senior & Fridericus marchiones Badenses, quum abbatiae monachorum in Alba advocati essent electi; de pristinis eidem caverunt iuribus, novisque decorarunt privilegiis. Exstat hoc alterum quoque fundationis a Rudolpho factae instrumentum apud Schoepflinum a), qui simul observat, advocatiam hanc marchionibus istis propterea fuisse collatam, quoniam ex Ebersteiniis comitibus sanguinem per matrem, aviamque Cunigundam ducebant, ut explicat Lib. IV. b).

a) *Hist. Bad. T. V. p. 293. 299.*

b) *L. c. T. II. pag. 10.*

Occurrit apud Crusium c) documentum an. 1292. quo *frater Matthaus Herrenalbensis* testatum reliquit beneficium viri honorabilis & discreti Georgii clerici de Bruchsella, *qui*, ut inquit, *nostrae compassus inediae, panem nostrum quotidianum, filigineum, grossum & inflativum, in frumentinae materiei similam commutavit*, contractu desuper facto *de consensu venerabilis domini Rudolphi abbatis de Novo castro, nostri visitatoris, in praesentia reverendi domini Nicolai abbatis de Lutzelach sui visitatoris.* Eidem instrumento citati abbates, nec non & ille Albae dominorum sigilla sua adposuerunt.

c) *Annal. Suevia P. III. lib. III. c. 11.*

Memoratus mox Rudolphus senior, marchio de Baden cum uxore sua Adelheide de Ochsenstein, donat monasterio in Alba villas Welsberc, & Wolmarsbec, hac conditione, ut ad altare S. Catharinae lumen lampadis administretur cum missa quotidiana; in die paschae assignentur conventui decem librae Hallensium annis singulis pro ovis comparandis; & post obitum fundatorum fiat anniversarium singulis annis cum albo pane & maiore mensura vini, & piscibus, cum missis & orationibus. Dat. mense Sept. an. 1293. Anno 1295. Adolphus Rom. rex innovat & confirmat privilegia a Rudolpho I. suo antecessore Albensi monasterio concessa, *Dat. apud praedictum claustrum Albam idibus Aprilis.* d)

d) *Franc. Petri Suev. eccles. p. 24.*

Anno 1296. Henricus comes Geminipontis vendidit monasterio de Alba villam Spilberc cum advocatia pro 100. libris Hallensium, accedente consensu fratris sui Ottonis comitis Geminipontis: Dat. mense Martio.

SECULUM XIII.

Sequenti menſe Aprili abbas & cellerarius monaſterii de Alba concedunt cuidam Kraſtoni, civi de Bruchſella, quamdam curiam lapideam, torcular & horreum, & curiam pecorum titulo annui cenſus. Apud Schœpflinum a) duo eiusdem anni exſtant inſtrumenta, unum feria quinta proxima ante feſtum beati Ioannis Baptiſtæ datum, quo Eberhardus comes Wirtembergicus & uxor eius Irmengardis omne ſuum ius in villis Langenſteinbach aliisque monaſterio Albæ dominorum tradunt: in altero Agnes marchioniſſa Badenſis, uxor Hermanni VII. memoratam villam a filio ſuo Friderico Albæ dominorum conſenſu ſuo venditam fuiſſe teſtatur. Anno 1299. Gerardus miles de Ubeſtat, Swikerus item & Gerhardus filii vendiderunt monaſterio de Alba pro 220. libris Hallenſium tertiam partem decimæ utriusque frumenti in marchia Bruchſellenſi, cum conſenſu Wilhelmi comitis de Katzenelebogen, a quo partem hanc decimarum Rudolphus de Roſſewag in feudum tenebat, quod Gerardus aliis redintegravit bonis cum conſenſu comitis, qui in uno huius chartæ exemplo ſe Wilhelmum, in altero vero Dieterum nominat. Vid. Iongelini notitia abbatiarum Ciſtercienſ.

a) *Hiſt. Bad. T. V. p.* 303.

Monaſterium Tennenbacenſe.

XXXIV. Originem monaſterii Tennebacenſis, eiusdem Ciſtercienſis ordinis, ac fundatorem Bertoldum IV. Zaringiæ ducem libro ſuperiore indicavimus. Huius genero Egenoni comiti de Urach duos fuiſſe filios, Conradum & Bertoldum, narrat Conradus Urſpergenſis in chronico b): quos utpote ſuos ex ſorore nepotes Bertoldus V. Philippo regi pro expenſis obligaverat, quin eos poſtea exſolveret, quare hi *oppido compulſi*, ut idem ſubdit, *ſe ipſos quam plurimi abſolverunt, utpote dominus Conradus & Bertholdus filii Eginonis comitis de Urach, quorum Conradus, poſtmodum conferens ſe ad ordinem Ciſtercienſium, fuit abbas Ciſtercienſis, indeque per ſedem apoſtolicam translatus fuit Romæ epiſcopus cardinalis, Portuenſis ſcilicet & S. Ruffinæ. Alter vero, Bertholdus videlicet, fuit abbas in Luzirach: nam in periculo captivitatis conſtituti ambo Deo repromiſerunt, quod ſi eſſent liberati, ad monachicam vitam ſe conferrent.* Bertholdi iam abbatis nomen in Philippi Rom. regis charta an. 1207. legitur in additionibus Auſtriæ ſacræ c). In epitome fratrum Lucellenſium auct. Bernardino Buchinger abbate Lucellenſi & Maulbrunnenſi d), Bertholdus cum fratre Conrado votum monachatus exſolviſſe circa annum 1205. dicitur Lucellæ, inde expetitus abbas Tennenbacenſis, quindecim annos præfuiſſe, abbas deinde Lucellenſis octavus. Conradi vita legi poteſt in faſciculo ſanctorum ordinis Ciſtercienſis Lib. I. diſtinctione 26.

b) *pag.* 320.

c) *pag.* 296.

d) *pag.* 174.

Ut

Ut porro ſupra vidimus, Conradus antequam Ciſtercienſis abbas fieret, Vivarienſem quoque & Clarevallenſem abbatias obtinuit, quod ſilentio præterit chronographus Urſpergenſis; ut adeo nihil obſtet, quo minus Tennebaci quoque abbas fuerit Bertholdus, qui haud dubie ſupplendus eſt apud Schœpflinum a) in litteris Friderici Sueviæ ducis, poſtea imperatoris hoc nomine ſecundi, de anno 1210. ibique loco *Corradi* legendum *Conradi*, ut idem inſtrumentum in citatis additionibus Auſtriæ ſacræ ex collectione Ioſephi de Wendtenthal b) habet: prædia nempe quædam monaſterio Tennebacenſi ſunt confirmata ad inſtantiam fratris Conradi monachi, quem modo nominavimus, qui fuit Germanus Bertholdi ex Egenone de Urach & Agnete de Zaringen. Omnino hoc manifeſtant, quæ leguntur apud Schœpflinum c) excerpta ex codice Tennebacenſi de vita B. Hugonis ord. Ciſtercienſis, ubi narrat anonymus ille ſuppar, quod ea tempeſtate prædictum monaſterium Tennenbach rexerit D. Bertholdus abbas, *nobilis quidem genere, ſed fide & religione nobilior*, filius ſororis Bertholdi V. ex patre comite de Urach. Abbas hic, ut ibi porro refertur, avunculi ſui veſaniam deteſtatus, quum ex Romano itinere, quod monaſterii ſui cauſa ſuſceperat, redux eidem declaraſſet, ſeſe ſiniſtros de eo in aula pontificis audiviſſe ſermones, irritatus Bertholdus V. gravia abbati & monaſterio intentavit mala.

a) *Hiſt. Bad. T. V. p.* 134.

b) *pag.* 298.

c) *L. c. p.* 143.

Illuſtrem Bertholdi abbatis proſapiam atteſtatur Fridericus II. imp. in diplomate Hagenoæ IV. Kal. Mart. an. 1214. Tennenbacenſibus dato, annoque ſequenti Hermannus idemque Fridericus eum conſanguineum vocant. Plura de eo apud memoratum Schœpfl. d) in dictis excerptis ex vita B. Hugonis circa an. 1216. leguntur: ubi etiam e) exſtant litteræ Rudolphi nobilis de Uſenberg an. 1219. religioſis viris abbati B. & conventui de Tennenbach datæ; itemque f) ſequentis anni charta Eginonis ſenioris comitis de Urach, qua molendinum & curtem abbatiæ Tennenbacenſi factam confirmat: & mox etiam Egeno iunior, *Egeno comes de Ura, dominus caſtri de Friburc*, anno 1221. ſignificat, quod ad petitionem dilecti amici abbatis de Tennenbach conſenſerit, ut abbatia homines quosdam proprios accipiat. Aliud eſt caſtrum iſtud de Friburg, cuius ſe dominum ſcribit, ab arce illa in inferiore parte montis Burghalden, ad continendam in obſequio urbem Friburgenſem eodem anno 1236. exſtructa, quo obiit, cum Adelhaide coniuge ſua Tennenbaci ſepultus.

d) *L. c. p.* 143.

e) *pag.* 154.

f) *pag.* 160.

Exſtat Eginonis iunioris mauſolæum in cœmeterio Tennenbacenſi cum ſcuto Fürſtenbergico, cui crux imminet. In notitia de illuſtris Zaringiæ ducibus & Friburgi comitibus, quæ in tabulario Tennenbacenſi ſervatur, ſolius

 lius

SECULUM XIII.

lius Egenonis fit mentio sepulti *in Tennenbach mon. seu pomerio nostro.* Notat porro Schœpflin. a) quatuor, quos Adelheidis de Neiffen ex Egi- none iuniore suscepit filios, Conradum, Bertholdum, Henricum & Go- dofredum, qui mortuo patre, an. 1237. cum matre sua Adelheide *D. G. comitissa de Friburg ius census, quod in area curiæ monasterii Tenne- bacensis prope Friburgum, dimiserunt ex manibus. Actum in ecclesia Fri- burg.* Iidem quatuor comitis Eginonis de Urach filii cum matre sua re- censentur in alia charta Tennebacensi, qua progenitorem suum in gran- gia monasterii huius, in suburbio castri Friburg sita, capellam exstru- xisse, ac censum XII. solidorum eidem monasterio donasse perscribunt.

a) *Hist. Bad. T. I. p.* 230.

Bertholdo abbati sæpe memorato tribuitur frater cognominis, qui, ut Franc. Petri in Suevia ecclesiastica b) ex Crusii annalibus Sueviæ c), & ex Friderici Steyl ephemeridibus Dominicano-sacris scribit, comitatu di- misso ad fratres Prædicatores Esslingenses se contulit, ibique ut conver- sus obiit an. 1240. & in illorum claustro ante aram S. Catharinæ huma- tus est. Ex serie abbatum, quæ in Gallia Christiana d) sine chronologia texitur, nil statui potest. Supponitur tamen, plures post Bertholdum de Urach ad seculum hoc XIII. pertinere, siquidem is iam an. 1215. vel 1221. ad abbatiam Lucellensem transiit, successorem nactus S. Rudol- phum I. de Zäringen, uti iam ante Bertholdum Conradus I. itidem de Zäringen tertius abbas nominatur; de quibus tamen in Zaringicis nihil occurrit, haud dubie ministerialibus seu vernaculis de Zäringen.

b) *pag.* 319.

c) *P. III. lib. I. cap.* 3.

d) *T. V. pag.* 1089.

Aberrat vero eadem Gallia Christiana, dum monasterium hoc per Landgravios de Stülingen & Bar fundatum fuisse dicit, a quibus co- mites de Fürstenberg & Friburg descendant. Iam sec. XI. & XII. in chartis Rhenaugiensibus occurrunt suo nomine comites de Stuolingen. Nec ratio patet, qua Bucelinus seculo XIII. tradit, quod a comitibus de Furstenberg per Eberhardum episc. Constantiensem in feudum acce- perit castrum Sthulingen an. 1251. Henricus I. de Lupfen. Huius filius Eberhardus I. an. 1256. vocatur præfectus provincialis in Sthulingen; emta vero postea a nepote Henrico II. de Lupfen altera castri, urbis, & comitatus Sthulingani parte cum arce Almuth & Aicheim, in con- ventione cum Egone de Furstenberg an. 1296. vocatur Landgravius in Sthülingen. Landgraviatus Stülinganus hic demum post secula ad co- mites de Fürstenberg pervenit, comitatu Barensi anno 1283. a Rudol- pho I. Rom. rege auctos. Perperam igitur in citata Gallia Christiana Landgravius Stulinganus vocatur Egon III. comes Furstenbergicus Ten- nenbaci sepultus cum uxore Adelheide comitissa de Nyssen seu Nüffen, uti

uti & filius eorum Conradus comes, qui floruit an. 1240. Ibi quidem Seculum XIII.
post S. Rudolphum I. de Zäringen, Burchardum I. item de Zuflingen, & Henricum de Valckenstein inter abbates Tennenbacenses collocatur Henricus de Stulingen, qui certe adhuc ad seculum XIII. revocari debet. Nihil tamen hactenus in historia Landgraviorum de Stülingen mihi occurrit, quod Meinwardum huic illustri familiæ, ex castro eius nominis sito in Alpegovia Nigræ Silvæ meridionali sic adpellatæ, vindicet. Bertholdum porro sæpe memoratum Tennenbaci abbatem iam ad annum 1215. Lucellam translatum produnt Bernardini fasti Lucellenses a). In epitome fastorum Lucell. b) tandem senio contabescens & quie- a) pag. 161.
tioris vitæ cupidus abbatia se sponte abdicasse an. 1230. memoratur: b) pag. 180.
additur, eum reperiri adhuc an. 1235. in litteris nepotis Ulrici comitis Ferretensis, morte sancta vitam finisse, incertum quo anno. Eumdem Salemitani quoque suum agnoscunt abbatem, sed brevi annorum spatio inter 1241. & 1242. quo obierit octava Augusti.

Chartæ San-Blasianæ an. 1241. nobis sistunt eius in monasterio Tennenbacensi successorem venerabilem in Christo Rudolphum abbatem de Tennibach Cisterciensis ordinis, nobiles item fratres B. & R. de Usenberch confessos, nullum sibi ius competere in ecclesiam Hugelheim. Apud Schœpflinum c) notantur Burchardus & Rudolphus fratres de Usenberg c) Hist. Bad.
villam Muosbach, quæ patri ipsorum Rudolpho oppignorata fuerat, an. T. I. p. 466.
1231. redimendam dedisse. Iidem *nobiles de Usenberg* in litteris Hartmanni comitis de Kiburg pro ecclesia Argentoratensi testes, cum abbatia Tennenbacensi convenerunt, ut a telonio pontis immunis esset, annua frumenti collatione ad eius conservationem stipulata. Sed & curtim suam Hügelnheim cum iure patronatus ibidem huic abbatiæ vendiderunt: actum in castro Stouphen, ad superiorem dynastiam Usenbergicam. In inferiori sunt Kirnberg, Husen, Kenzingen, Endingen, ubi anno 1254. Rudolphus de Usenberg, qua nempe in vicinia situm est monasterium, censum in Endingen abbatiæ Tennenbacensi adscribit d). Idem Rudolphus & d) Ib. p. 228.
cognominis abbas Tennenbacensis e) littera initiali notantur in laudo an. e) Ib. p. 225.
1256. monasterium Tennenbacense inter & advocatos vici Weissweil, ubi curiam dictam Hardern W. nobilis de Geroldsegge contulerat monasterio Tennenbacensi. Qua de re alia apud eumdem Schœpflinum f) exstat f) L.c.p.228.
arbitralis sententia an. 1258. Conradi comitis de Friburg, Rudolphi de Habsburg, & dynastæ Usenbergici. Anno item sequente Conradus de Friburg confirmat eidem abbatiæ donationem curtis & molendini prope Friburgum, idemque ministerialibus & hominibus suis permittit, ut eidem abbatiæ bona sua libere conferant.

 Su-

SECULUM XIII.

Supra de urbe Villingen agentes Henricum abbatem in Tennenbach nominavimus, qui monialibus ord. S. Dominici illius urbis bona quædam in Asenheim vendidit. Anno 1261. vero Henricus marchio de Hachberg a) maiorum suorum donationes confirmat. Anno 1276. Rudolphus Rom. rex b) lites inter abbatem & conventum de Tennenbach ac fratres de Keppenbach dirimendas commisit eidem Henrico marchioni, qui eodem anno abbatiam Tennenbacensem capitulo maiori Constantiensi commendat. Nomen abbatis Tennenbacensis iterum notatum reperi ad annum 1285. c) quo Henricus marchio de Hachberg, Annæ etiam uxoris & filiorum Henrici, Rudolphi & Friderici, aliorumque omnium liberorum consensu reditus in Maltertingen venumdedit: ubi testes subscribunt *dominus Ulricus abbas de Salem, domini Mainwardus abbas de Thennibach, frater Fridericus Prior, frater H. maior cellarius, frater Mainwardus camerarius, frater C. mercator, frater Ortholfus conversi de Thennibach.* Idem adhuc Meinwardus abbas d) legitur in charta Eginonis comitis de Friburg, qui primus inter testes nobiles superiori chartæ subscripserat: hic autem abbati & monachis Tennenbacensibus confirmat ius civitatis in Friburgo, ab omnibus civium oneribus immune. Duo vero in Gallia Christiana post Burchardum de Zuslingen & Henricum de Valckenstein sibi succedentes abbates notantur Meinwardus I. de Stüelingen, & Meinwardus II. de Minzingen.

a) Ib. p. 239.
b) Ib. p. 262.
c) Ib. p. 283.
d) Ib. p. 298.

Parthenium Guntersthalense.

XXXV. Excrevit opera laudati Bertholdi de Urach abbatis Tennenbacensis alia eiusdem ordinis Cisterciensis abbatia in valle Guntheri, nobilis seculo XIII. viri, qui castrum inhabitabat in rupe supra vallem illam, quam filiæ suæ Adelhaidi concessit, ædemque instruxit circa annum 1221. ad ducendam ibi vitam religiosam, eo quidem profectu, ut anno 1224. Adelhaidi iam abbatissæ Conradus episcopus Constantiensis sacellum cum altari dedicasse memoretur, quem locum etiam, ut Crusius in Annalibus Sueviæ e) refert, *a iurisdictione matricis ecclesiæ (Henrico plebano Mersbusensis ecclesiæ, ad quem locus attinebat, præsente & consentiente) penitus* exemit. Privilegia dein Gregorius IX. an. 1233. Anagniæ VI. id. Febr. & alii postea pontifices per bullas pontificias concesserunt. Inter *benefactores huius parthenonis*, teste Crusio f), *fuere comites illustres de Friburg, & nobiles viri a Keppenbach, itemque nobiles de Blumeneck, & Klingenberg, aliique, quorum ibi plurima & præclara sunt mausolæa.*

e) P. III. L. I. c. 4.
f) L. c.

Referuntur porro moniales superna luce permotæ in asperiorem vallis Oberriedtanæ secessum sese contulisse, Nicolao & Conrado nobilibus

bus de Thengen locum illum, quem a Conrado S. Galli abbate in feudum acceperant, sub annuo censu conferentibus. Quam rem imprimis egit Rudolphus de Thengen ecclesiæ Argentinensis Præpositus, Nicolai & Conradi frater. Verum aeris locique austeritatem ferendo impares, claustro Oberriedtensi abbatis Cisterciensis iussu an. 1244. relicto, in priorem Guntheri vallem recesserunt, *quia*, sunt verba P. Conradi Sturn in chronico Oberriedensi, *aëris asperitas, silvarum densitas, petrarum nimia scopulositas, ac necessaria huius vitæ advehendi difficultas maxime muliebri fragilitati contraria, non sinebat eas ibi commorari.* Auctis dein rebus, ac ampliato monasterio maior ecclesia an. 1278. a Tholomæo suffraganeo Constantiensi consecrata fuit, Adelhaide fundatrice adhuc abbatissa, quæ monasterio annis quinquaginta quinque præfuit, an. 1281. pie in Domino defuncta, quum uno ante anno confecta senio abbatiam resignasset, forte B. Heintrudæ, quæ proxima in abbatissarum catalogo in Gallia Christiana a) collocatur, diciturque de Millheim oriunda.

a) *T. V. pag.* 1094.

Monasterium Oberriedense cum aliis ordinis Wilhelmitarum sub regula S. Benedicti.

XXXVI. Memoravimus modo commigrationem monialium ex valle Guntherina in asperiorem secessum vallis Oberried, exque eo in priorem vallem reditum, testante P. Conrado Sturn, qui seculo XIV. eiusdem loci Oberriedt cœnobita, eo post monialium discessum deductam Wilhelmitarum coloniam describit. Seculum XIII. huius ordinis primum dici potest, cuius auctor a nonnullis perperam habitus est Guilielmus I. dux Aquitaniæ, qui Carolo M. coætaneus fuerat, cuius beneplacito factus monachus, in monasterio Gelonensi ord. S. Benedicti est defunctus. Perinde etiam alii eiusdem nominis duces Aquitaniæ seculo XI. & XII. auctores huius ordinis falso credebantur, uti Henschenius demonstrat in commentario prævio *de S. Guilielmo Magno eremita in Stabulo Rodis in Hetruria.* b): ubi id imprimis agit, ut ultimum ducem Aquitaniæ, quem S. Bernardus a schismate Anacleti revocavit, in peregrinatione Compostellana ad S. Iacobum in Galicia an. 1137. defunctum ex Orderico aliisque scriptoribus adstruat.

b) *Bolland. T. II. Febr. pag.* 433. *seqq.*

Eo quidem etiam peregrinatus videtur S. Guilielmus eremita, sed inde redux post varias migrationes ultimum domicilium in Stabulo Rodis seu Malavalle fixit anno 1155. arctius reclusus, anno sequente Albertum primum discipulum nactus, in cuius manibus an. 1157. exspiravit S. Guilielmus, atque ab eo sepultus est, qui magistri sui vitam quoque scripsit. Albertus hic postea cum Reinaldo medico adunata paullatim congregatione ordinem Wilhelmitarum propagavit, qui hoc demum seculo XIII. dilatari cœpit, cuius historiam Henschenius ibidem c) exhibet. Huic an.

c) *pag.* 472. *seqq.*

1248.

SECULUM XIII.

1248. Gregorius IX. regulam S. Benedicti præscripsit, & quamvis postea an. 1256. Alexander IV. plures eremitarum ordines sub instituto S. Augustini adunarit, comperto nihilominus, Wilhelmitis regulam S. Benedicti a Gregorio IX. fuisse præscriptam & ab Innocentio IV. confirmatam, eos ad regulam S. Benedicti iuxta institutum S. Guilielmi revocavit. Postea item Urbanus IV. an. 1263. prohibuit ordinem Wilhelmitarum professos, ne ad Augustinianos transirent sine speciali apostolicæ sedis permissione.

Varii hinc exorti sunt motus inter eremitas S. Guilielmi & S. Augustini, dum ab his Wilhelmitæ ad S. Benedicti regulam reversi plures domos ipsis, in Germania præcipue, ablatas repetebant a Clemente IV. a quo etiam lis decisa est. Porro inter istas Wilhelmitarum domos in bulla Clementis IV. P. an. 1266. primo loco memoratur domus *de Porta S. Mariæ de Ibiseborne Maguntinensis diœcesis*, dein mox domus *de Corona S. Mariæ de Fuuisene Constantiensis diœcesis;* quod ultimum haud aliud esse putamus, quam nostrum, de quo nunc agimus, monasterium dictum quasi *Fuesen*, utpote ad pedem altissimi Nigræ silvæ montis Veldberg situm, ac corona S. Mariæ in Oberried nuncupatum. In recensione tamen provinciarum & monasteriorum huius ordinis sec. XV. a) in provincia Alamanniæ, quantum ad nos attinet, ita recensentur monasteria: *Domus vallis-comitis, dicta Stella Mariæ, iuxta villagium de Oberrieth ultra Vriborch. Domus de Vriborch . . . Domus de corona Mariæ* in eadem bulla dicta *de Fuuisene Constantiensis diœcesis.* Quo de quidquid sit, id certum omnino est, solum istud Oberriedense cœnobium nomen *Corona Mariæ* tulisse; nisi dicere velimus, hoc nomine primitus insignitum fuisse istud monasterium, quod postea a S. Wilhelmo nomen accepit, quodve pariter radicibus montis Veldberg adiacens, æque *Fuuisene* dici posset: quæ tria dein monasteria mox memorata in unum coaluerint sub titulo *Corona Mariæ in Oberried.*

a) Bolland. t. 6. p. 480.

Inde postquam moniales, ut diximus recesserunt, colonia illuc Wilhelmitarum deducta est ex monasterio *de Porta Mariæ iuxta Cruishoute citra Magonobiam*, uti in dicta recensione nominatur, in bulla vero Clementis IV. *Ibiseborne Maguntinensis diœcesis.* Ut autem rem narrat P. Conradus monachus Oberriedensis, comperto monialium discessu Prior de Porta S. Mariæ ordinis S. Guilielmi misit illuc Priorem cum duobus fratribus, ut si pia eorum conversatione commoti illius loci domini consentirent, ibidem habitationem figerent. Locus tunc, pergit, ad Ludovicum de Munzingen & Conradum Snewli milites de Friburgo devolutus

lutus erat, qui animo revolventes, ecclesiam S. Mariæ dedicatam, a monialibus derelictam adesse, villas Oberried & Verlinsbach, sicut a Rudolpho de Thengen sanctimoniales acceperant, prædictis fratribus solemni donatione denuo tradiderunt. Epocham huius donationis statuit idem Conradus, ad an. 1252. feria III. post Pentecosten, recte ad autographam fundationis huius chartam, quam edimus.

Inde vero palam fit, Wilhelmitas iam aliquot tunc annis eremum illam incoluisse, quæ hodieque a S. Wilhelmo nomen habet, dum eos Conradus pene quatuordecim annis Deo in horrido loco deservisse perhibet: ex monumentis vero certis constat, illos iam an. 1262. seu decimo post illam donationem, ob inclementiam aeris in suburbium Friburgense concessisse. *Post discessum vero fratrum*, subdit, *locus præfatus tribus annis sine divino officio vacabat: quem postea frater Ioannes de Urberc sacerdos & ibidem humilis Prior, cum fratre Burkardo laico, Fratres ordinis apud magistros ordinis per preces obtinuerunt, & eremum miserabilter inventam, tamquam omni re & solatio deplumati, sanctam vitam appetendo ac laqueos huius seculi fugiendo, instinctu Numinis divini per ignem transeuntes & aquam, pompamque seculi refutando, intraverunt.* Fratris sui Volcardi de Urberg opibus aliorumque oblationibus adiutus Ioannes Prior religiosam vitam ad S. Wilhelmum stabilivit circa an. 1266. Quo ipso XI. Kal. Iunii Henricus episcopus Basileensis XL. dierum indulgentias impertivit iis, qui in festo dedicationis ecclesiam eremitarum S. Guilielmi extra muros oppidi Friburgensis visitaverint. Indulgentias illas an. 1285. pro aliis etiam festis ampliarunt Petrus Arborensis archiepiscopus, Andreas Asloensis, Tholomeus Sardanensis, Bernardus Perusinus, Ioannes Avellinus & Bernardus Humanas (sic) episcopi. Accessit an. 1288. nova dedicatio chori & altaris per Ioannem Lethoviensem episcopum suffraganeum Constantiensem: dum iam anno 1286. ordinem Wilhelmitarum novis beneficiis ac privilegiis auxerat Honorius IV. P. ut apud Raynaldum legitur a). Ad finem seculi XIII. numeravit monasterium in Oberriedt benefactorem Albertum de Valckenstein, tutorem viduæ Iacobi de Valckenstein. Extat eam in rem charta an. 1298. appenso etiam sigillo Egenonis comitis de Friburg. Idem Albertus seu Aubrecht de Valckenstein sigillum suum cum Ioanne Snewlin, & Ioanne de Urberg præter abbates S. Petri & S. Mariun (S. Mergen) adiecit instrumento an. 1296. quo iura monasterii Oberriedani in silva supra Oberriedt & Witelsbach recensentur.

a) T. XIV. p. 392.

Iam etiam tunc alia huius ordinis monasteria Nigræ silvæ vicina fuerunt instaurata, veluti Mengense, quod in citata domorum ordinis recen-

SECULUM XIII.

ſione vocatur domus de Meneghem in Suevia. In obſervationibus Ph. Chriſt. de Normann ad reſcriptum commiſſ. Ioannis XXI. P. an. 1277. ex Mſc. Oſw. Gabelskoveri notantur fratres Rudolphus comes de Tubingen & Ulricus de Aſperg, qui anno 1259. cum conſenſu Hugonis & Rudolphi comitum de Tubingen patruelium ſuorum renuntiarunt proprietati & poſſeſſionibus in Habſtal in favorem monaſterii Mengen; quod etiam *Porta cœli* nuncupatur, de quo Franc. Petri in Suevia eccleſiaſtica a). Apud P. Herrgott b) habetur charta Rudolphi epiſcopi Conſtantienſis de an. 1282. qua fundationem fratrum ordinis S. Wilhelmi in *Meingen* auctoritate ſua roborat; *quod*, ut habet charta, ſitum eſt *in area apud oppidum Meingen, quam regalis munificentiæ liberalitas Ordini veſtro contulit, ut ipſis ad ſalutis ſuæ profectum cohabitetis... & indulgentiis, quas aliis veſtris domibus per noſtram diœceſim conceſſimus, gaudeatis.* Sub Alberto dein Priore Walterus de Ineſteten anno 1287. nomine civium idem confirmavit monaſterium. Fridericus vero dux Auſtriæ & Sueviæ, cognomento Pulcher, deinceps Rom. rex an. 1304. *bona eccleſiæ S. Martini in Mengen, in quibus ius patronatus eiusdem eccleſiæ conſiſtit, unacum eisdem eccleſia & iure patronatus, de conſenſu pleno fratrum* ſuorum, *Rudolphi & Lupoldi ducum, aliorumque, quorum intereſt, vel intereſſe poterit, in eosdem Priorem & conventum* tranſtulit *pleno iure*, ut loquitur charta apud Herrgottum c). Idem quoque ius patronatus eodem anno Wernerus & Ulricus Ulrici nobilis de Ruolfingen filii adiecerunt.

a) pag. 618.

b) Gen. Habsburg. T. II. P. II. p. 503.

c) L. c. pag. 588.

Dum vero in memorata Rudolphi epiſcopi Conſtantienſis charta de anno 1282. aream illam in Mengen *regalis munificentiæ* liberalitate ordini collatam eſſe teſtatur, id haud de alio quam Rudopho I. Rom. rege intelligi debet, quamvis nullum eius hac de re diploma hucusque in lucem fuerit protractum. Quod vero idem epiſcopus de aliis Wilhelmitarum ſuæ diœceſis domibus in illa charta habet, non niſi de Oberriedenſi & Sionenſi monaſteriis intelligi poſſunt; de quorum priore iam egimus.

Sionenſe monaſterium, haud procul a Confluentia Aræ & Rheni, prope oppidum Clingnovium in Helvetia in comitatu Badenſi anno 1269. fundatum fuit a Waltero de Clingen, cuius dotationis charta legitur apud citatum Herrgottum d), cui Eberhardus Conſtantienſis epiſcopus, & Rudolphus comes de Habsburg teſtes præſentes ſigilla ſua adpoſuerunt. Eorumdem quoque ſigilla appenſa ibidem e) leguntur litteris conventionialibus Prioris de Sion cum Rudolpho de Rorboz presbytero anno 1270. Apud Klingnowe an. 1288. f) confirmat Rudolphus Conſtantienſis epiſcopus venditionem cuiusdam allodii ab eccleſia Zurzachenſi factam

d) pag. 418.

e) pag. 420.

f) Ib. p. 538.

ctam monasterio in Sion. Nullibi quidem in his chartis nomen Prioris expressum invenitur; aliunde vero constat a), primum Priorem fuisse Eberhardum ab an. 1269. qui cum Godefredo primi fuerint fratres huius cœnobii, uti etiam notantur in citata fundationis charta Walteri de Clingen an. 1269. b). In sequentis anni charta pro dotatione cuiusdam altaris in eodem monasterio legitur subscriptio *Henrici abbatis S. Blasii in Nigra silva, & honesti viri Prioris in Oberried nostri ordinis*, Wilhelmitarum scilicet. Hoc ipso anno 1289. Conradus & Ioannes Snewli milites fratribus S. Wilhelmi in Silva, vallis nimirum Oberriedanæ, donarunt villam Rutti, quæ hodie Hofsgrund adpellatur.

SECULUM XIII.

a) *Ioan. Iacob Lew lex. Helvet. P. XVII. p.* 189.

b) *Herrg. L. c. p.* 418.

XXXVII. Posteriora sunt duo ista Sionense & Mengense regulæ Benedictinæ monasteria vicissitudine illa, quam hic Wilhelmitarum ordo, ut notavimus, pertulerat ex mutato S. Benedicti instituto in illud S. Augustini, quamvis ex hoc ad prius illud denuo redierint. Iacturam vero longe maiorem ordo noster expertus est ex amissione celeberrimi olim & principalis Laurishamensis monasterii in Wormatiensi diœcesi, quod Sifridus Moguntinus archiepiscopus sibi vindicans, monachis nigris primo quidem Cistercienses substituit auctoritate Gregorii IX. ac post duodecim circiter annos Præmonstratensibus monasterium illud cessit, adducta illuc ex Nigræ silvæ Omnium Sanctorum cœnobio colonia, quod Innocentius IV. P. anno 1248. confirmavit: a quo tempore monasterium hoc ab ordine nostro avulsum permansit, donec tandem medio seculo XVI. heterodoxis cederet, ut in Gallia Christiana c) legere est. Fatum hoc, cui Laurissense hoc monasterium post trinam ex Hirsaugiensi cœnobio acceptam reformationem, tandem seculo hoc XIII. occubuit, rem breviter complexus narrat Trithemius ad annum 1225. quo obitum Sifridi Moguntini refert d). Totam vero catastrophen enucleatius ad annum 1232. e) describit, ubi etiam affert Præmonstratensium litteras, quibus sese Moguntinæ ecclesiæ subiiciunt, omnique iuri, quod ipsis competere posset, renunciant: *Actum Moguntiæ anno Dominicæ Nativitatis* 1248. *indict. Rom. VI. in mense Ianuario.*

Præmonstratens. Omnium Sanct. monasterium in Nigra Silva.

c) *T. V. pag.* 708.

d) *Chr. Hirs. T. I. p.* 535.

e) *p.* 546. *seqq.*

Monasterii huius Omnium Sanctorum in Nigra silva diœcesique Argentinensi originem libro superiore indicavimus, quod a Philippo Imp. an. 1200. & a Friderico II. an. 1218. imperatoria auctoritate confirmatum est, nec non facultatibus auctum. His in Annal. Præmonstratensibus f) additur diploma Henrici R. R. Friderici II. filii an. 1225. g) & deinceps. Innocentii III. & Honorii III. Iam eamdem in rem plura seculi huius XIII. instrumenta collegit Schannatus in Vindemiis litterariis h); quæ-

f) *T. II. prob.*

g) *pag.* 229.

h) *Coll. I. p.* 143. 150.

SECULUM XIII.

dam etiam Schœpflinus nova addidit partim in historia Badensi a) partim in Alsatia diplomatica; & ante hos etiam Crusius in annalibus Sueviæ b), ex eoque Franc. Petri in Suevia ecclesiastica c). Wimphelingus autem in catalogo episcoporum Argentoratensium fundationem ad an. 1213. refert sub Henrico e comitibus de Veringen episcopo, Uta ducissa de Schowenburgo fundatrice: *cuius monasterii*, inquit, *fratres olim a Sifrido archiepiscopo Moguntino de honestate & activæ vitæ prudentia maximopere sunt commendati. Ideo in monasterium Laurissa prope Vangiones reformandum, eiectis S. Benedicti fratribus indisciplinabilibus, & vicinis omnibus vehementer exosis, ex hoc Omnium Sanctorum cœnobio fratres Romani pontificis iussu idem Sifridus introduxit, veram & sanctam religionem illic plantaturos.*

a) *T. V. pag.* 478.
b) *P. III. L. II. c.* 16. *pag.* 109.
c) *pag.* 651.

Cella S. Mariæ in Nigra Silva.

XXXVIII. Monasterii S. Mariæ Canonicorum Regularium in Silva nigra fundationem libro præcedente memoravimus. Huic an. 1182. Hermannus II. Constantiensis episcopus ius patronatus ecclesiæ parochialis in Hüffingen auctoritate ordinaria confirmavit; hoc vero seculo an. 1215. Innocentius III. P. illam ecclesiam cum pertinentiis in sedis apostolicæ protectionem suscepit, quod etiam anno 1236. fecit Gregorius IX. addita alia ecclesia in Wallershofen. Hic idem pontifex an. 1237. ecclesiam in Hülfingen cum suis pertinentiis ad indigentiam monasterii sublevandam abbati & conventui pleno iure concessit. Bullas hanc in rem datas exhibet Fr. Petri in Suevia ecclesiastica d), ubi etiam quosdam huius seculi abbates recenset, nempe Conradum I. an. 1258. Conradum II. an. 1293. & Petrum an. 1270. In dictis vero pontificum bullis nullius abbatis nomen expressum legitur, uti nec in mandato apostolico, quod Nicolaus III. P. anno 1279. eius abbati inscripsit, quove districte præcipitur omnibus cum laicis tum ecclesiasticis cuiuscumque dignitatis, terras, domos, possessiones, aliaque bona immobilia sub annuo censu sive reditu a monasterio Peterhusano tenentibus, sub pœna excommunicationis seclusо appellationis remedio, ut monasterio præstanda præstent, eique ex asse satisfaciant; uti ex Msc. Petershusani monasterii historia refert Gallia Christiana e).

d) *p.* 234. *seqq.*
e) *T. V. pag.* 1075.

Monasticæ S. Benedicti discipl. reformationes sec. XIII.

XXXIX. In superioribus iam sæpius Trithemium introduximus, de depravata regulari disciplina conquestum, dum de nova abbatum monasterii Hirsaugiensis seculo XIII. electione agit, quod quidem cœnobium ex S. Wilhelmi abbatis institutis optime ordinatum olim tot aliorum norma fuerat, nunc vero paullatim collapsum, rebus in peius semper ruentibus, & monastica quoad utrumque statum claudicante disciplina. Ineunte

quidem

quidem ſtatim hoc ſeculo ad an. 1203. a) collectionem quinque librorum Decretalium ſub Innocentio III. factam commemorans, *ab iſto*, inquit, *tempore & deinceps capitulum triennale, ſeu generale, quod provinciale vocamus, abbatum ordinis noſtri cœptum eſt celebrari, quemadmodum in* 30. *libro memorati opuſculi Decretalium continetur ſub titulo de ſtatu monachorum C. quod incipit: in ſingulis.*

Secvlvm XIII.

a) *Chr. Hirſ. T. I. p.* 507.

Innocentius III. primo ſtatim pontificatus ſui an. 1198. apud Raynaldum b) graviſſimas ad abbatem Caſſinenſem & S. R. E. cardinalem dedit litteras, intimum conteſtatus animi ſui mœrorem, quod, unde exortum eſt S. Benedicti inſtitutum ac regula per univerſum orbem propagata, ea ibi eſſet vivendi licentia, quam boni quique perhorreſcerent. Ipſi autem abbati cardinali exprobrat, quod ad emolumenta monaſterii temporalia profuſus & abſtractus, profectum ſpiritualem negligat: quem adeo hortatur, ut a ſe exorſus congregationem omnem reformet. Idem ſummus pontifex an. 1212. monaſterium Sublacenſe ceu ordinis S. Benedicti incunabula adiens, quum ibi quoque diſſolutum monaſticæ diſciplinæ ſtatum perſpiceret, anno ſequenti amplam conſtitutionem ad abbatem & conventum Sublacenſem dedit, quæ legitur in libro III. Decretalium c). Quo ipſo adhuc anno ad capitulum generale Cluniacenſe d) datis litteris hortatur abbates, ut omnem operam impendant ad reformandos monachorum ſuorum mores. Idem poſtea, ut iam ex Trithemio meminimus, in concilio Lateranenſi generali an. 1216. in ſingulis regnis & provinciis de triennio in triennium præſcripſit commune capitulum abbatum, atque Priorum abbates proprios non habentium, qui non conſueverunt tale capitulum celebrare: articulatim porro ordinem horum capitulorum præſcribit, quem legere eſt in citato decretalium libro III. e).

b) *Annal. T. XIII. p.* 12.

c) *Tit.* 35. *de ſtatu monach. c.* 6.

d) *L. XVI. ep.* 16.

e) *Tit.* 35. *c.* 7.

Anno 1232. Gregorius IX. ampliſſimas iterum ac querelarum plenas Spoleti 9. Iunii dedit litteras pro reformatione ſtatus monaſtici, præcepta quoque generali monaſteriorum viſitatione. Hanc tamen Matthæus Paris, ipſe S. Albani in Anglia monachus, in ordine Benedictino confuſionem potius cauſaſſe teſtatur, ob novas diverſasque conſtitutiones, utpote factas ab abbatibus viſitatoribus variorum ordinum Auguſtiniani & Benedictini inſtituti. Huic vero potiſſimum monaſtico ordini, quantam idem pontifex curam ac ſolicitudinem impenderit, ut antiqua in eo vivendi ratio revocaretur, & reſtitueretur diſciplina regularis, eiusdem litteræ a Raynaldo ad annos 1236. & 1238. f) notatæ manifeſtant, datæ tum ad ſingularia monaſteria, cum etiam ad integras congregationes, novosque proximis ſeculis eiusdem regulæ & inſtituti exortos ordines ac reformationes Grandimontenſium, Carthuſienſium, Humilitatorum.

f) *Annal. T. XIII. p.* 443. *&* 468.

SECULUM XIII.

Ad nos nunc attinent Cluniacenses, quibus ad reformationem eadem fere Nicolaus IV. an. 1290. præscripsit, quæ anno 1232. Gregorius IX. bulla ad abbatem & conventum Cluniacensem, cupidus *deformatum ordinem reformare, restaurare collapsum.* Cisterciensium imcrementa vidimus paullo ante in Nigra silva seculo XIII. quo ipso tamen ingens inter Patres ordinis oborta est controversia, in diversa abeuntes interpretando chartam charitatis: ad quam dirimendam Urbanus IV. arbitros nominavit, quo mortuo rem necdum confectam finivit eius successor Clemens IV. an. 1265. tam celebri apud Cistercienses constitutione *Clementina*, quam apud nos Benedictinos sequenti seculo XIV. fuit *Benedictina*, a Benedicto XII. ut videbimus, data. Per hunc deficiens eo tempore in plerisque provinciis generale capitulum celebrandi mos, iam inde ab Innocentii III. temporibus cœptus, redintegratus est, ut Trithemius ad an. 1259. a) adnotavit.

a) *Chr. Hirs. T. I. p.* 601.

Recenset ibidem celebre ordinis nostri capitulum provinciale in monasterio S. Petri apud Erfordiam illo anno celebratum, in quo ex multitudine abbatum, qui tunc convenerant, undecim numero definitores sunt electi, cum quorum consilio multa pro reformatione ordinis utilia & necessaria sunt statuta. Horum exemplum litteris commendatum in archiviis contineri idem auctor testatur. *In eodem capitulo*, pergit, *visitatores auctoritate apostolica singulorum monasteriorum per diœceses more ordinis deputarunt, quibus per litteras Præsidentium sigillis confirmatas modum visitandi & formam tradiderunt; contumaces & absentes a capitulo pœna dupli taxarunt. Solutionem vero dupli negligentibus ieiunium in pane & aqua singulis feriis sextis continuandum imposuerunt, donec satisfacerent in orationibus. Contemnentibus vero ieiunium, & nihilominus solutionem præmissam differentibus, pœnam suspensionis ab officio simul & divinis imposuerunt: mandantes nihilominus per ipsos visitatores etiam graviorem in contumaces ferri sententiam.*

Capitulum hoc Erfordiense silvam quoque nigram commovisse, ex vita S. Trudperti apud Bollandum b) palam fit, in qua narratur, alienos quosdam abbates advenisse in monasterium S. Trudperti, *ad capitulum quoddam, quod causis urgentibus convocabatur, Ertfurdiam* profecturos, quibus fur quidam domesticus noctu pecunias est furatus. Dum vero de rebus amissis inter hospites fieret murmuratio, ad venerabilem dominum Wernerum abbatem hospitum querela devenit, qui illis abeuntibus, suis de furis inquisitione curam commisit pridie natalis S. Trudperti, quo fur fuit detectus; hospitibus autem supradictis res, quas amiserant, remittuntur.

b) *T. III. April. p.* 439.

Affert

Affert Schannatus in historia Fuldensi a) litteras, quas ad Henricum abbatem Fuldensem an. 1292. in crastino Ioannis Baptistæ *in Zwivultun* dederunt abbates *monasteriorum in Hirsawia Spirensis diœcesis, in Kanberg, & in Monhart Herbipolensis diœcesis, in Wingarten & in Zwivultun & in Blaburrun Constantiensis diœcesis ord. S. Benedicti;* quibus in abbate Fuldensi agnoscunt auctoritatem sufficientem, omnes ordinis S. Benedicti abbates tam exemtos, quam non exemtos, illarum partium seu provinciarum, quos notavit Henricus abbas in rescriptis privilegiorum ad abbates missis, convocandi, & concilium cum ipsis celebrandi *pro salute ipsorum, & ordinis constantia & honore.*

a) *pag.* 211.

Iam præmiserat Schannatus b) epistolam eiusdem Henrici abbatis Fuldensis; in cuius exordio provocat ad concilii generalis decretum, *ut in singulis regnis seu provinciis de triennio in triennium celebrentur capitula, quibus omnes abbates, & Priores monasteriorum abbates non habentium ord. S. Benedicti, in loco ad hoc magis apto conveniant, pro reformatione ipsius ordinis diligentius tractaturi &c.* Deplorat postea, ordinem ob defectum concordiæ & unitatis Rectorum suorum lapsum agitare ac ruinam, maxime per terminos Alemanniæ. „Hinc est (pergit) quod „propter hæc præmissa & multa alia his similia sanctæ ac piæ intentio„nis viri non pauci, Patres venerabiles, abbates quidam prædicti ordinis „nostri zelatores, compassivo super ipsius ordinis desolatione moti af„fectu, aliqui eorum viva voce, aliqui vero per nuntios vel litteras non „semel, imo pluries nos sollicitare curarunt, siquidem nos ex prærroga„tiva, qua ecclesia nostra Fuldensis inter alia Germaniæ & Galliæ nostri „ordinis monasteria primatum habere dignoscitur, ad hunc laborem ma„gis præ cæteris teneremur, multipliciter impulsarunt, quatenus omnes „invitationes abbatum & Priorum ad eamdem ecclesiam nostram Fulden„sem, quæ ad hoc apparet commodior, nostro nomine vobis per nun„tios & litterarum nostrarum destinationem assumere curaremus." Sed cuncta hæc in herba conciderunt, perinde ac longe amplior, quæ non ita multo post ordini Benedictino imminere videbatur, transformatio.

b) *Ibid. Cod. prob. p.* 218.

Circa ea nempe tempora nova in ordine nostro facta est plantatio Cœlestinorum a Petro de Murono, postea sub nomine Cœlestini V. summo pontifice. Ordo hic Petro in solitudinem secedente paullatim circa an. 1254. in communitatem excrevit, ab Urbano IV. an. 1264. ord. Benedictino, quem se a iuventute professum ipse pontifex in litteris ad suos testatur, aggregatus, eidemque an. 1274. in concilio Lugdunensi confirmatus a Gregorio X. qui ad Priorem S. Spiritus de Maiella tunc ordinis

SECULUM XIII. dinis totius superiorem scripsit, *ut ordo monasticus, qui secundum Deum & B. Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.* Approbatio hæc, sub B. Benedicti regula in concilio Lugdunensi facta, memoratur in vita S. Cœlestini apud Bollandianos a).

a) *Tom. IV. Maii p.* 491.

Etsi vero ordo hic numquam Silvam nigram penetrarit, alibi saltem per Germaniam propagatus, de eo tamen facienda hic fuit mentio, quod eius institutor Petrus de Morono factus pontifex apud se visus est constituisse ordinem Benedictinum, ut in litteris Aquilæ V. Kal. Oct. anno 1294. b) ad suos scribens innuit, iuxta suum institutum conformare. Quod iam apud Cassinum præsens ipse pontifex auspicatus fuerat, quinquaginta ex suis ad opus illud perficiendum missis: id tamen, Petro paullo post pontificatum abdicante, cum cæteris sanctissimi viri pro reformatione quoque monastica moliminibus effectu caruit, aliis omnibus Cœlestini V. P. ab eius successore Bonifacio VIII. præter electionem cardinalium, antiquatis decretis. Hæc aliaque ad rem apud Bollandianos c) referuntur ex D. Richardi expositione Regulæ S. Benedicti, qui subdit: *& ego fui unus de revocatis, qui fueram effectus abbas monasterii S. Iustinæ de Padua.*

b) *Belland. T. IV. Maii p.* 521.

c) *L. c.*

Vestitus. XL. Idem Richardus Cassinensis monachus præsens tunc aderat, quum illuc S. Petrus Cœlestinus papa adventasset, qui *volens,* inquit ibidem, *dictum monasterium unire religioni suæ, induxit monachos pro maiori parte, ut reciperent suæ religionis habitum, qui habitus coloris erat camelini & vilissimi panni, & misit de monachis suis quasi quinquaginta. Primo nos fueramus nigri, & mutavit nomen Decani qui post ipsorum adventum vocatus est Prior.* Prius vero, ante pontificatum adhuc, a concilio Lugdunensi an. 1274. redux, ubi instituti sui adprobationem impetraverat, tunc & deinceps multa loca ac monasteria, interque ea etiam nonnulla monachorum nigrorum, novo suo ordini manciparat, ut ibidem d) refertur.

d) *pag.* 491.

De hac monachorum nigrorum appellatione locuti iam sumus, dum de exordio Cisterciensium fuit sermo, qui tamen nigrum colorem in scapulari saltem conservaverunt, quem vero colorem alii novi seculis XI. & XII. ex avito Cassinensium instituto Benedictino exorti sub regula S. Benedicti ordines penitus immutarunt. Ab his omnibus monachorum nigrorum nomine discernebantur primigenii illi, ut ita dicam, sequentibus etiam seculis, uti ex seculo XIII. in Itinere nostro Alemannico e) exempla quædam protulimus ex statutis Conradi Archiepiscopi Colo-

e) *pag.* 330.

Coloniensis an. 1260. cap. 5. a), & ex concilio Vindobon. an. 1267. b) Provocavimus ibi simul ad antiquas imagines monachorum cum cuculla & toga nigra, tunica autem seu camisia alba, vel albicante saltem, prout nimirum nativus lanæ color erat, Innocentio III. an. 1213. in iam laudata decretali ad abbatem & conventum Sublacensem epistola firmiter inhibente, *ne quis de cætero monachorum lineis camisiis uteretur*; quibus nempe interularum loco monachi sub cuculla utebantur. Hanc circa seculum XIII. strictam admodum deprehendimus in icone codicis liturgici Rhenaugiensis, in quo ad pedes S. Fintani adgeniculatur Henricus II. ab anno 1195. usque 1224. ibidem abbas, cum pedo pastorali, & tonsura pro more illius ævi in summo vertice conspicua, barba non ad cutem usque rasa, cuculla strictiore inferius ansata, manicis tamen longioribus.

SECULUM XIII.

a) *Conc. Ger. T. III. p.* 594.

b) *Ib. p.* 632.

XLI. Acriter imprimis laudatus pontifex Innocentius III. perstringit vitium proprietatis, quando nimirum passim separati erant conventus atque abbatis proventus: unde cavet, ne lautioris prandii causa conventus abstrahatur extra refectorium, in quo vesci carnibus prohibet, tantum quod monachis in infirmitorio secundum Regulam licitus fuerit carnium esus. Hunc tamen sanis quoque indulserunt statuta Hugonis V. abbatis Cluniacensis an. 1204. excepto die Mercurii & Sabbathi, nisi fuerint infirmi. Oddo Cardinalis legatus in Angliam, quo etiam disciplina Cluniacensis pervaserat, a Gregorio IX. an. 1237. in concilio Londinensi laudat abbatum Benedictinorum pietatem, apud Raynaldum c) qui in publicis ordinis comitiis ad revocandam veterem observantiam circa carnium esum deliberaverant. In laudata porro Innocentii III. P. epistola plura alia adhuc circa victum monachorum caventur.

Victus.

c) *Annal. T. XIII. p.* 454.

Erat tunc porro genus quoddam commune præbendarum ad mensam regularem, ut passim quoque in necrologiis adnotatur: *datur præbenda*, ad voluntatem nempe eorum, qui preces & anniversaria hac conditione fundaverant. His tamen facile multiplicabantur onera chori, aliunde tunc prope importabilia ex variis psalmis precibusque, quæ officio canonico accedebant, tempusque diurnum ac nocturnum consumebant quietis & otii, quod ad studia litterarum aliosque labores impendi potuisset. Cuius vero rei incommodum plurium seculorum multis exponit P. Herrgott præfatione in veterem disciplinam monasticam d).

d) *pag. XLV. seqq.*

XLII. Trithemius in libro de viris illustribus Germaniæ observavit, ex eo tempore, quo ordines Mendicantium adolescente seculo XIII. cœperunt efflorescere sub Friderico II. imp. studia litterarum apud Be-

Studia litterarum.

SECULUM XIII.

nedictinos elanguisse. Scientiarum tamen magisterium diutius tenuerunt Cistercienses, a monachis nigris velut ab intestato acceptum: fuitque is ordo seculo XIII. illustris viris piis æque ac doctis, hierarchis etiam episcopis & abbatibus celebratissimis.

Nec tamen hic monachi quoque nigri etiam Nigræ silvæ sua sunt laude fraudandi. Laudavimus supra contentionem ac impensas abbatum S. Blasii in adornanda bibliotheca, ad sustinendum ibi avitum scholæ & scientiarum decus ac ornamentum, post Ottonem de S. Blasio, Ottonis Frisingensis continuatorem, qui abbatiam S. Blasii brevi tempore tenuit, anno 1222. defunctus.

Idem Trithemius a) ad annum 1216. celebrat Eberhardum, tunc Hirsaugiæ abbatem electum, patria Suevum, in pueritia sua ad studia litterarum positum, qui *quantum ætate crevit ex tempore, tantum successive in scripturis profecit intellectu scientiæ & eruditione: Quumque ad legitimam pervenisset ætatem, vanas mundi curas pro Christi amore deseruit.* Factus inde monachus Hirsaugiensis ac denique abbas munus suum rite obiit, pastor utilis, & in cura animarum sollicitus disciplinæ restaurator, ut pater omnium veraciter diceretur & esset. *Magni*, subdit, *nominis fuit, & non parvæ auctoritatis apud Fridericum II. regem, & alios principes Teutonici regni, qui sapientiam in eo & monasticæ religionis integritatem plurimum venerabantur.* Laudibus his plerique eius successorum caruerunt, ut supra audivimus ex Trithemio, qui mox ad annum 1231. quo obiit Eberhardus, suffecto in eius locum Ernesto, ingemiscit, defecisse ab hoc tempore viros regularis observantiæ zelosos in ordine nostro cultores, defecisse doctos, defecisse sanctos. Idem ad an. 1245. de Volpoldo post mortem Ernesti in abbatem electo testatur, quod vivendi modum, quem reperit in monasterio, tenuerit, & monachos in torpore mentis nimium oberrantes ad puritatem regulæ minime revocarit, ipse parum eruditus: *quia sicut in monachis fervor sanctæ conversationis illo in tempore omnino tepuerat, ita illis nullum scripturarum studium sapiebat.* Non omni tamen litterarum laude privat Godefridum, qui seculum XIII. abbas Hirsaugiensis clausit, electus an. 1293. *Magnæ*, inquit, *litteraturæ non extitit, non tamen penitus idiota vel indoctus fuit, mediocriter potuit scripturas intelligere, & in his, quæ suum concernebant officium, competenter se iuvare. Nam illo tempore ordo noster tam in eruditione scripturarum, quam in sanctimonia vitæ meritorum nimium defecerat, in quo monachus vel sanctus vel eruditus raro occurrebat. Quæ quidem calamitas ordinem nostrum pene totum operuit: a qua deformitate numquam postea totus surrexit.*

a) *Chronic. Hirs. T. I. pag. 562.*

Tule-

Tulerunt ſaltem duo primaria ordinis Benedictini ſodalitia ſeculo XIII. duumviros, purpura ob eruditionis præſtantiam ornatos, Ioannem Algerinum monachum Cluniacenſem a Gregorio IX. P. & Bernardum cognomento Aiglerium abbatem Caſſinenſem, ab Urbano IV. Cardinales creatos. Ad nos etiam quadantenus & ad Cluniacenſem congregationem, in Nigram ſilvam uſque diffuſam, attinet San-Albanenſis in Anglia monaſterii, illi congregationi addicti, gloria ſub Simone ſec. XIII. abbate, viro erudito, eruditionisque apud ſuos ſtudioſiſſimo, cuius ſe magiſterio ſubdiderunt germani fratres Matthæus & Garinus cum nepote cognomine, omnes viri litteratiſſimi. Qua etiam in ſchola San-Albanenſi litteris eruditus fuit celebris Alexander Neckam, ut hæc aliaque enarrant Matthæus Paris eiusdem monaſterii monachus ac hiſtoriographus id ævi inſignis, perinde ac eius ſodalis Rogerus de Vendoveza. SECULUM XIII.

Perſeveravit tamen hoc ævo ubique gentium in ordine noſtro ſtudium ac labor deſcribendi atque ad poſteritatem transmittendi Mſſ. codices longe utiliſſimus, magisque proficuus ac ſalutaris, quam fuere tunc temporis ſtudia ſcholaſtica & academica. Diſtribuebantur a Superioribus codices, ac certum etiam eorum deſcriptioni præfigebatur tempus, prout adnotatum legitur in quodam monaſterii Wiblingenſis codice his ad frontem libri verbis: *Feria VI. ante* Iudica *portavit Prior hunc librum ad reſcribendum, & dedit mihi terminum ad annum. Incepi ſcribere feria II. poſt* Iudica; ut hæc aliaque ad rem leguntur in *Templo honoris* monaſterii Wiblingenſis a). Moniales quoque hoc ſeculo perinde ac priore, labori huic dediſſe operam, compertum habemus, uti ſuperiore iam libro exemplum dedimus incomparabilis illius codicis, nupero monaſterii S. Blaſii incendio in cineres redacti. Simili fato noſtra ætate periit elegantiſſimum miſſale ſec. XIII. ſcriptum ab Angela moniali Berovienſi, congregationis San-Blaſianæ, cum brevi etiam chronico eiusdem monaſterii latine ſcripto, quam linguam olim ex præcepto recitandi breviarii calluiſſe moniales, alibi demonſtravi. Laudantur apud Bernard. Pezium in diſſertatione de vita Ven. Godefridi abbatis Admontenſis, eiusque fratris Irimberti, moniales prope Admontium ex diſciplina B. Theogeri abbatis S. Georgii *valde litteratæ, & ſcientia S. ſcripturæ mirabiliter exercitatæ*, ut ait Irimbertus, qui antequam abbas eſſet, eius parthenonis curam habuit ſec. XIII. quo etiam ſanctitate & doctrina ordinem S. Benedicti in Germania noſtra illuſtrarunt ſorores ſanctiſſimæ Gertrudis & Mechtildis.

a) pag. 12.

XLIII. Utinam ſcientia hæc Sanctorum firma & ſtabilis permanſiſſet in monaſteriis, facile ſic caruiſſent tricis ſcholaſticæ theologiæ, a ſua ori- Theologia ſcholaſtica.

SECULUM XIII.

origine ultra modum luxuriantis; quam quidem ſuperiore iam libro exagitatam vidimus a viris graviſſimis, anteſignano S. Bernardo contra Petrum Abaelardum, Petrum Pictavienſem & Gilbertum Porretanum, ſociato etiam Petro Lombardo, uno ſpiritu Ariſtotelico inflatos, ut loquitur magiſter Gualterus Prior S. Victoris, qui quatuor hos Franciæ, ut vocat, labyrinthos inceſſit. Ineunte vero ſeculo XIII. acrius longe ac atrocius in Petrum Lombardum ſurrexit præprimis Ioachimus abbas Florenſis Ciſtercienſis ordinis, ab Innocentio III. quidem in concilio Lateranenſi an. 1215. repreſſus; ut tamen poſtea ex ſententiis Lombardi indiculus conficeretur nonnullarum eius ſententiarum, quæ minime docerentur, ita ad calcem deſignatæ: *articuli, in quibus magiſter ſententiarum communiter non tenetur*, ut Ioan. Launoius obſervat cap. 3. *de varia Ariſtotelis in Academia Pariſienſi fortuna* a).

a) Opp. T. IV. P. I. p. 189.

Graviſſimas poſtea an. 1228. Gregorius IX. univerſis doctoribus & magiſtris theologiæ Pariſiis docentibus dedit litteras ita exorſus: *Tacti dolore cordis intrinſecus amaritudine repleti ſumus abſinthii, quod, ſicut noſtris eſt auribus intimatum, quidam apud vos ſpiritu vanitatis ut uter diſtenti poſitos a patribus terminos profana transferre ſatagunt novitate, cæleſtis paginæ intellectum SS. Patrum ſtudiis certis expoſitionum terminis limitatæ, quos transgredi non ſolum eſt temerarium, ſed profanum, ad doctrinam philoſophicam naturalium inclinando, ad oſtentationem ſcientiæ, non profectum aliquem auditorum: ut ſic videantur non theodidacti ſeu theologi, ſed potius theophanti.*

Integram epiſtolam hanc affert Bulæus in hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis b), ac poſtea c) exhibet Rogeri Baconis Oxonienſis caput de quarto theologorum peccato, ex opere maiore ad Clementem IV. contra pravam methodum docendi theologiam. Huc pertinent, quæ anno 1271. artium facultas iuxta conſtitutionem Cardinalis S. Cæciliæ ſtatuit de quæſtionibus philoſophicis ad fidem pertinentibus, ne ullus magiſter eas moveret d); quam in rem legi etiam poteſt Raynaldus ad annum 1277. e). Idem Bulæus in diſſert. X. *de moribus & inſtitutis quinti ſeculi univerſitatis* f) duos diſtinguit theologorum ordines, veterum ſcilicet & novorum, ſeu biblicorum & ſententiariorum. *Veteres*, inquit, *antiquæ diſciplinæ methodique tenaces* Biblici *dicti*, *eoquod poſtillis & gloſſulis ſacros codices enarrarent*, *nudi ſimpliciterque fidei dogmata enucleare contenti. Novi*, Sententiarii *adpellati*, *eoquod materias theologicas ſubtiliori quadam methodo*, *convenientiorique ratione digeſtas per capita & articulos exponerent*... *Et quia longe pluris æſtimabantur* Sententiarii

b) T. III. pag. 129.
c) pag. 383.
d) Ib. p. 398.
e) Annal. T. XIV. p. 260. n. 9.
f) Bul. l. cit. pag. 657.

quam

quam Biblici *theologi, propterea quod ingenii acumine prævalere putabantur*; hinc *philosophi quoque quæstiones theologicas suo modo tractare aggressi sunt; indeque in varias opiniones suspectas & in fide periculosas abierunt. Quorum proinde evagationem necesse fuit edictis & statutis coërcere, ut in historia retulimus. At bonus rex Ludovicus tam theologorum quam philosophorum curiositatem suo potius exemplo, quam legibus & interdictis refrenare cupiens, plurima sanctorum Patrum, sacrorumque bibliorum authentica exempla, originaliaque scripta conquisivit, atque in sacræ capellæ bibliotheca collocavit, eorum ultro copiam faciens studere volentibus.*

Affert dein, quæ Ganfridus de Bello Loco S. Ludovici confessarius notavit, quid demum in suo testamento circa hanc bibliothecam dispsuerit: *quod una pars esset Fratrum Minorum, & altera Fratrum Prædicatorum; reliqua monachorum Regalis montis ordinis Cisterciensis, quos ipse fundavit omnino de suo.* Intellexit nempe pius & sollicitus rex, nova hæc scientiarum seminaria egere librorum supellectili, quæ vetustioribus cœnobiis iam suppetebat. Quo præterea librorum adparatu commodius uti poterant vetera instituta monastica, & cœnobitæ stabiles in loco, ubi in promtu semper erant bibliothecæ, earumque usus expeditus, secus ac apud novos Mendicantium ordines, qui hinc inde per loca & provincias iussi migrare, omnia sua veluti secum portabant, sæpe ob librorum defectum e cerebro suo subtiles quæstiones commenti, acute disserentes, & sine fine ac modo disputantes. *His temporibus*, inquit Matthæus Paris, *incipiebant magistri theologiæ, præcipue tamen Prædicatorum & Minorum lectores, disputare & differere subtilius & celsius, quam decuit aut expedivit. Qui non verentes tangere montes a gloria Dei opprimendi, nitebantur secreta Dei impervestigabilia temere perscrutari, & iudicia Dei, quæ sunt abyssus multa, nimis præsumtuose indagare. Unde defecerunt scrutantes scrutinia, & erraverunt in invio Dei inveniendo, cui plus placet firmæ fidei simplicitas sobria, quam nimis transscendens in theologia subtilitas.*

XLIV. Est hic iam laudatus monachus ad S. Albanum Cluniacensis congregationis in Anglia, ubi cætera monasteria monachos suos aut Oxonium aut Cantabrigiam ad collegia pro monachis singulariter ibi erecta mittere iubebantur, Albanensi & Dunelmensi cœnobiis exceptis, quæ sua sibi privatim collegia paraverant. Huiusmodi collegia in academia Parisiensi certatim fuerunt erecta. Ex quibus primum Bulæus a) notat collegium Bernardinorum, auctore M. Stephano de Lexintona, qui in Uni-

Studia academica.

a) *Hist. Univers. Paris. T. III. pag.* 184. 119.

SECULUM XIII.

Universitate Parisiensi educatus, Edmundi, qui postea fuit Cantuariensis Primas, auditor fuit, cuius concionibus & exhortationibus permotus Cisterciensis monachus factus, primum abbas fuit de Sauleria in Anglia, deinde Saviniacensis in Normannia an. 1230. indeque an. 1242. ad Claravallensem præfecturam evocatus, biennio post, impetrata ab Innocentio III. facultate, collegium in usum iuvenum Bernardinorum seu Cisterciensium ad commoditatem studiorum Parisiis instruxit, & alibi, ubi viget universitas scholarium, *ne*, ut loquitur Matthæus Paris, *Prædicatoribus & Minoribus contemtui habeantur* Cistercienses, *nigri ordinis monachorum vestigia subsequentes*; quibus verbis ad usum monasteriorum Benedictinorum Angliæ mox memoratum respicit.

Primum Parisiis post Cisterciensium collegium fuit illud Præmonstratensium, quod ad annum 1255. erectum notat Bulæus a), quum iam prius ad annum 1250. b) celeberrimi Sorbonici collegii fundationem commemorasset. Primum vero Benedictinorum in Academia Parisiensi collegium anno 1263. fuit erectum a Matthæo Vindocinensi S. Dionysii abbate pro suis tantum in suburbio S. Germani, in alias postea ædes translatum. Perseveraverunt vero lites abbatiæ S. Germani cum Academia Parisiensi, de quibus libro superiore fuimus locuti, hoc etiam seculo, ut palam fit ex epistola Gregorii IX. P. ad abbatem S. Germani de Pratis data an. 1231. apud Bulæum c); quæ tandem anno 1292. fuere sopitæ, ut apud eumdem d) legere est. Idem ad annum 1269. collegium Cluniacense in academia Parisiensi ab Yvone de Vergy abbate Cluniacensi incœptum narrat e), quod deinde ab Yvone II. eius nepote item abbate perfectum est & absolutum, quod propius nos attinet ob Cluniacenses Nigrasilvanos.

a) *L. c. pag.* 301.
b) *pag.* 223.
c) *L. c. pag.* 144.
d) *pag.* 498.
e) *pag.* 395.

Verum compertum postea est, religiosis moribus ac disciplinæ regulari nociva admodum & perniciosa extitisse huiusmodi collegia studiorum academicorum pro monachis, quantumvis in unum collectis & a reliquorum consortio seiunctis; quanto igitur plus periculi ipsis imminerct ex privatis ad academias & urbes evagationibus? Quod quidem quum summi pontifices tandem perspicerent, clericis haud convenire cum academiis frequentiam, quoad illos universim constitutio illa, de cathedra theologali in singulis ecclesiis cathedralibus erigenda, in concilio Lateranensi III. sub Alexandro III. iam priore seculo an. 1179. facta, novo rursus decreto firmata est ab Inncoentio P. in alio concilio Lateranensi IV. anno 1215. Nihil quoque non egerunt pontifices, ut ius canonicum, additis iam decretalium libris, tum alibi, cum in academia præprimis Bononiensi constabilirent. At vero Fridericus II. imp. offensus ab

Hono-

Honorio III. P. quod ſibi anno 1222. ſacris interdixiſſet, ut refert Bulæus a), Bononienſibus item pontificis partes tuentibus, ſtudium generale Bononienſe Patavium transtulit, atque eodem teſte b) anno 1225. ea de cauſa publico reſcripto ſtudioſos omnes ad recens inſtitutam academiam Neapolitanam invitavit.

SECULUM XIII.

a) L. c. pag. 107.

b) pag. 115.

Multum porro amplitudinis paullatim tunc Pariſienſi quoque Academiæ deceſſit ex eius primum diſperſione an. 1229. facta ob diſſidium ſcholares academicos inter & cives Pariſienſes exortum, quod late deſcribit idem Bulæus c). Muſas vero Pariſienſes ita errantes pollicitationibus ac præmiis in Angliam evocavit Henricus III. Anglorum rex. Ex hac autem doctorum & academicorum diſperſione enatæ ſunt academiæ Aurelianenſis, Andegavenſis, Pictavienſis, Remenſis, & aliæ alibi d). Hac etiam occaſione uſi Dominicani magiſterium in theologia ac cathedras doctorales ad publice profitendum ſeu docendum tunc primum ambierunt, magiſtro generali ordinis F. Iordano, *qui ſuis concionibus, integritate vitæ, probatiſſimis moribus, excellenti doctrina & ſanctitatis exemplo plus quam mille fratres in ordinem pellexit, & e magiſtris Pariſienſibus quam plurimos*, eodem Bulæo ad annum 1230. e) atteſtante.

c) L. c. p. 133.

d) pag. 134.

e) L. c. p. 138.

XLV. Hæc ideo tantum a me allata ſunt, qnod effectus hinc promanans in omnes ordines redundarit, ex ſingulari præſertim privilegio, quod Innocentius III. primo ſtatim pontificatus ſui anno 1227. Dominicanis conceſſit. Acceſſerunt an. 1232. ampliora adhuc a Gregorio IX. indulta, ſalvo quidem in multis prælatorum eccleſiaſticorum iure, in aliis tamen poſthabito; intervenientibus quoque in ipſa executione variis exceſſibus, accedenteque deinceps nova Innocentii IV. indultorum confirmatione. Contra hæc vero Pariſienſis academia, anteſignano Guilielmo de S. Amore, ſeſe oppoſuit, cui eccleſiæ etiam proceres iuncti ſunt, de nimia Mendicantium poteſtate conqueſti, quoad extraordinariam miſſionem præcipue, qua contendebant, ſibi iuxta ſua privilegia licitum eſſe prædicare confeſſionesque excipere ubicumque locorum, idque ſine ullo Prælatorum examine vel adprobatione.

Cura animarum, functionesque hierarchicæ, etiam Ordinum Mendicantium.

His itaque auſibus ſeſe opponentes Pariſienſes theologi, ut denuo rem narrat Bulæus f), Innocentio IV. inter alia ob oculos ponunt etiam hæc: *Si D. papa infinitis & incertis a ſe vel ab eccleſia non electis, & ſibi non cognitis vel probatis prius (v. g. univerſis monachis Cluniacenſis aut Ciſtercienſis Ordinis, aut quoscumque abbates eorum duxerint deſtinandos) concedat in generali licentiam prædicandi, confeſſiones audiendi, pœnitentias*

f) *Hiſt. Pariſienſ. Univ. T. III.* pag. 268.

tias

SECULUM XIII.

tias iniungendi, in quibus maxime consistit regimen animarum, non est verisimile, quod per talem licentiam in generali concessam intendat eos facere universales apostolos, vel etiam universales opitulatores ecclesiæ universæ, habentes scilicet generalem & liberam potestatem exercendi prædicta officia in omni ecclesia Christianorum, irrequisitis Prælatis ecclesiasticis &c. Sic vero rem egerunt apud pontificem, ut anno 1254. iam morti proximus, Neapoli 13. Decemb. hierarchiæ ius suum dignitatemque restitueret. Nicolaus III. P. an. 1289. singulariter Congregationi nostræ Cluniacensi prospexit, cavitque inter alia, *ne aliquis Prioratus vel Decanatus, cui annexa est cura animarum, vacet ultra sex menses, sed infra huiusmodi tempus abbas Cluniacensis, cæterique abbates eis debent providere: nec Prioratus vel Decanatus cum cura personis secularibus clericis vel monachis alterius ordinis aliquatenus conferantur.* Quoad ecclesias parochiales concilium Aschaffenburgi an. 1292. auctoritati diœcesanæ in provincia nostra Moguntina can. 61. rite prospexit.

In aliis quoque conciliis illa ætate res hæc fuit tractata, alicubi etiam cum anathematis comminatione contra monachos, qui sine episcopi licentia curæ animarum sese ingerere ausi fuerint. Secus a nostris monachis fuisse factum, iam superioribus libris indicavimus, dum ipsi summi pontifices & episcopi ultro deferebant abbatum petitioni, contra parochos seculares obnitentes, quando ob distantiam locorum aut alias caussas vel novæ ecclesiæ erectæ, vel filiales in parochiales elevatæ, vel etiam parochiis regularibus filiales quoque regulares sunt adiunctæ.

Id quod domesticis monasterii S. Blasii exemplis hoc etiam sec. XIII. comprobatur. Sic enim an. 1232. Conradus episcopus Constantiensis iterato ecclesiam parochialem in Schönau S. Blasio confirmavit, roboravitque sententiam iudicum a S. Sede constitutorum iuxta indultum episcopi Constantiensis, ne ullus ibi præter monachum S. Blasii admittatur parochus: cui postea Tottnaviensis quoque accessit, erecto primum an. 1283. lingneo sacello cum altari mobili, in quo singulis septimanis plebanus Schönaugiensis vel eius socius sacris operaretur. Indulgente autem Rudolpho episcopo Constantiensi an. 1287. ut ecclesia iam ex lapidibus ibi exstructa cum cœmeterio consecraretur, eodem adhuc anno *Ioannes Lethoviensis episcopus ordinis Fratrum domus Teuthonicæ, vices gerens venerabilis Rudolphi Dei gratia Constantiensis episcopi* novam ecclesiam cum duobus altaribus dedicavit, anno sequente illuc ex monachis S. Blasii misso, qui aucto ibidem fidelium numero ex operis argentifodinæ parochus præesset.

Domi-

Dominicani autem & Franciſcani velut ex inſtituto ſuo adprobationeque apoſtolica Honorii III. an. 1219. functionum eccleſiaſticarum licentiam ſibi ſumebant; ac Dominicani imprimis prædicandi officium vendicabant, ob id Prædicatores dicti, in quorum gratiam Honorius III. eodem anno ſpeciatim archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus aliisque eccleſiarum prælatis ſcripſerat. Certatim etiam ad dignitates præcipuas aſſumebantur, præripientes veluti avitum hoc decus cæteris ordinibus, Benedictino cumprimis, ut ſuperioribus libris vidimus, qui quum aliquando ipſum Romanum pontificatum quaſi hereditarium habere viderentur, ſeculo XIII. unus ex illo ordine Petrus Cœleſtinus ad breve tempus tiaram pontificiam, antequam a Bonifacio VIII. eius ſucceſſore in triregnum ſublimaretur, ſuſtinere potuit, paucis quoque purpura ornatis. SECULUM XIII.

Modeſte tamen cumprimis viciſſitudinem hanc tulerunt Benedictini, utpote aliis etiam anteriorum & poſteriorum temporum revolutionibus veluti edocti, confirmatique ad hoc iugi S. Regulæ lectione, quæ ab ipſis etiam præcipuis ſeculi magnatibus optima ſemper prudentiæ & moderationis norma eſt habita, quamque iam Gregorius M. *Regulam diſcretione præcipuam* adpellavit. Neque etiam ſuis laudibus novos hos ordines defraudarunt Benedictini. Teſtem ex multis unum adducere iuvat Paduanum S. Iuſtinæ monachum in chronico apud Urſtiſium a) ad an. 1215. ita effatum: *circa hæc tempora divina providentia protruſit ad ortum de miſericordiæ ſuæ theſauris duo magna luminaria, ordines videlicet Prædicatorum & Fratrum Minorum, quos Deus in firmamento eccleſiæ ſtabilivit, & per ipſorum doctrinam lucidam & apertam, & honeſtæ converſationis ſplendorem totum mundum errorum tenebris involutum mirabiliter illuſtravit.* Matthæus Paris nobis declarat, quantam ſibi hi ordines exiſtimationem apud principes quoque comparaverint eorum conſiliis & legationibus adhibiti, ſic ad an. 1236. ſcribens: *Erant Minores & Prædicatores magnatum conſiliatores & nuntii, etiam domini Papæ ſecretarii, nimis in hoc gratiam ſibi ſecularium comparantes.* Et ad an. 1239. *Facti ſunt eo tempore Prædicatores & Minores regum conſiliarii & nuntii ſpeciales, ut ſicut quondam mollibus induti in domibus regum erant, ita tunc, qui vilibus veſtiebantur, in domibus, cameris & palatiis erant principum.*

a) *Script. Ger. P. I. p.* 593.

Mirus autem ad novos hos ordines virorum ingenio, doctrina, vita & moribus præſtantiſſimorum confluxus, quos inter M. Ioannes Ægidius, *inſignis primum Philippi Auguſti medicus, deinde doctor & profeſſor theologus*, an. 1222. Dominicanis Pariſienſibus tertiam ſynodum

SECULUM XIII.

suam generalem celebrantibus, *quum concionem ad Clerum haberet, tam vehementibus inductionibus & argumentis persuasibilibus usus est, quibus homines ad spontaneam rerum abdicationem & indivulsum Christi servitium atque obsequium proliceret, ut ipse in media concione e suggestu descendens, veste exuta, Dominicani instituti habitum induerit, moxque ad absolvendam concionem rursus suggestum ascenderit*, uti rem ex Triveto & Harpsfeldio narrat Bulæus a). Hic idem b) ex Matthæo Paris ad an. 1243. quo Innocentius IV. concessa a Gregorio IX. privilegia confirmavit, refert, eosdem hisce privilegiis munitos, sacerdotes quoscumque seculares seu idiotas sprevisse, & si in quamdam parochiam devenirent, alios laicos, ut sibi deinceps solis confiterentur, sollicitasse.

a) *T. III. p.* 107.
b) *pag.* 186.

Accesserunt his turbæ Parisienses, quas partim iam attigimus, notatque Nangius ad an. 1252. c) turbationem *Universitatis Parisiensium clericorum contra Religiosos Parisiis studentes* exortam *propter quemdam librum, quem M. Guilielmus de S. Amore canonicus Beluacensis composuerat intitulatum* de Periculo mundi. Nec tamen diu duravit, quod ibi addit, *ipso Magistro ad curiam Romanam accedente, tota discordia per D. papam Innocentium pacificata est.* Innocentio quippe ad an. 1254. mortuo, qui, ut diximus, enormia Mendicantium privilegia morti vicinus revocaverat, magis recruduerunt turbæ statim, postquam Alexander IV. Innocentii successor non modo privilegia illa rursus restituerat, sed & insuper Dominicanos academiæ Parisiensi reddiderat. Novis itaque ortis tumultibus ad sedem Romanam cum aliis ex academia Parisiensi ablegatus est idem Guilielmus de S. Amore, qui novum interea librum ex scriptis ac verbis Ioachimi abbatis composuit sub hoc titulo *Evangelium æternum*: quem tamen cum altero pontifex flammis dari iussit, ut ex Parisio & Ptolomæo Lucensi notavit Raynaldus ad annum 1256. d). Articulatius vero singula persequitur Bulæus per integrum ferme tomum tertium historiæ universitatis Parisiensis, adiecta insuper ad calcem e) singulari dissertatione IX. *de conflictu Academicorum & Mendicantium.*

c) *Bulæus L. c. p.* 248.
d) *Annal. T. XIV. p.* 20. *n.* 19.
e) *pag.* 639.

Affert Bulæus f) inter alia etiam epistolam Universitatis archiepiscopis, episcopis, decanis, abbatibus, archidiaconis, & aliis ecclesiarum prælatis, nec non capitulis & scholaribus universis an. 1253. scriptam *super discordia mota contra Mendicantes.* Gravamina autem prælatorum ac præcipue parochorum Waddingus in annalibus Minorum iam ad an. 1231. ex Gregorii IX. P. litteris adducit g). De iisdem Matthæus Paris ad an. 1235. apud eumdem Bulæum h) ita scribit: „Eodem tempore (inquit) „quidam de fratribus Minorum, nec non & aliqui de ordine Prædicatorum,

f) *L. c. pag.* 255.
g) *T. II. p.* 277.
h) *L. c. pag.* 148.

„ torum, impudenter nimis suæ professionis & ordinis immemores, in „ territoria aliquorum nobilium cœnobiorum se clam ingesserunt, sub prætextu officii sui adimplendi, & velut post crastinam prædicationem recessuri. Sed vel infirmitatem vel quidpiam aliud simulantes manserunt; „ & fabricato ex ligno altari, superpositoque altariolo lapideo benedicto „ secum allato, Missas clandestinas demissa voce celebrarunt, confessiones multorum receperunt etiam parochialium in præiudicium presbyterorum. Dicebant namque, se talem a D. papa suscepisse potestatem, „ ut eis scilicet fideles, quæ suo erubescunt sacerdoti confiteri, vel dedignantur, quia consimili peccato constringuntur, vel timent quia temulento confiteantur, quibus iniungant Minores pœnitentias & absolvant. „ Interim ad Romanam curiam misso procuratore festino & diligenti, „ contra Religiosos, in quorum degebant territorio, concessam impetrarunt cum aliquo adiuncto beneficio mansionem. Quodsi forte adhuc „ eis satisfieri non videretur, in verba contumeliosa & comminatoria proruperunt, ordinem alium quam suum reprobantes, aliosque de numero fore damnandorum asserentes, nec parcere callo plantarum suarum, donec thesauros adversariorum suorum licet multos exhausissent. „ Unde in multis cedebant eis Religiosi, deferentes propter scandalum & „ propter potentum offendiculum &c.

SECULUM XIII.

XLVI. Singulariter sibi ordo Prædicatorum officium hæreticæ pravitatis Inquisitorum vindicavit, S. Dominico illius auctore ad id auctoritate Arnaldi abbatis Cisterciensis, apostolicæ sedis legati deputato, antequam ordinis sui fundamenta iaceret, adiunctis sibi primum duobus viris Tolosæ, meritorum præstantia insignibus Petro Deselan, & Thoma. Fulco vero illius urbis episcopus eidem partem decimarum suæ diœcesis adscripsit, quem etiam secum an. 1215. Romam ad concilium Lateranense adduxit. Ibi ab Innocentio III. P. sui ordinis confirmationem petens ad fratres suos remissus est, ut simul Regulam aliquam adprobatam eligerent, uti in vita S. Dominici perhibet eius scriptor Theodoricus a). Dum vero interim vivis excedit Innocentius III. Honorius III. eius successor reverenti Romam S. Dominico id promtissime præstitit primo sui pontificatus anno 1216. sub Regula S. Augustini, quam iam inter Canonicos Oxomenses professus fuerat S. Dominicus. Is non statim bonis se abdicavit, ut bulla pontificia his verbis manifestat: *Nos attendentes, fratres ordinis tui futuros pugiles fidei & vera mundi lumina confirmamus Ordinem tuum cum omnibus castris & possessionibus habitis & habendis, & ipsum ordinem, eiusque possessiones & iura sub nostra gubernatione & protectione suscipimus.*

Ordo Prædicatorum apud nos.

a) Bolland. T. I. Aug. pag. 573. & 575.

SECULUM XIII.

Exstat apud Labbeum a) Innocentii IV. P. epistola ad Fratres ordinis Prædicatorum anno pontificatus primo data, qua illis exemplo imprimis Regulæ S. Benedicti in virtute obedientiæ sub pœna excommunicationis districtius inhibet, *ne ante elapsum probationis annum, qui maxime in subsidium fragilitatis humanæ regulariter est institutus, quemquam ad professionem vestri ordinis, seu renuntiationem seculi faciendam recipere præsumatis &c.* Notavimus libro præcedente, ad finem tandem vergente seculo XII. sublatum esse a Clemente III. rigorem illum, quo infantes etiam ante usum rationis ordinem monasticum professi votorum observatione ac stabilitate adstringebantur. Ea libertate usus dein est S. Thomas Aquinas, præcipuum ordinis Prædicatorum suo primum splendore enitentis sidus, puer antea in monte Cassino sub cura Benedictinorum oblatus, ut Mabillonius in Musæo Italico b) notavit.

a) *Concil. T. XI. P. I. p.* 600.

b) *T. I. pag.* 121.

In sæpe citato Msc. Argentinensi anno Dom. 1224. vel potius priore, sub Henrico de Veringen episcopo anno 1223. defuncto Prædicatores primo Argentoratum in viciniam nostram venisse memorantur. Ubi an. 1224. circa Quadragesimam inchoata fuit illorum Fratrum domus extra civitatis Argentinæ muros. Anno autem 1251. intraverunt Prædicatores ad locum, ubi nunc sunt, sub domino Henrico de Stalecken; & paullo post: *anno Dom.* 1254. *VI. Kal. Iulii inchoata est prima fossio fundamenti ecclesiæ Fratrum Prædicatorum: anno Dom.* 1255. *in vigilia omnium Sanctorum Prædicatores inceperunt celebrare divina in ecclesia sua nova. Anno Dom.* 1260. *consecrata est ecclesia Prædicatorum a domino Iacobo Shetensi episcopo in capitulo generali sub domino Walthero episc. Argent.* de quo superius iam c) nonnulla diximus.

c) *N. XII.*

Propius ad Silvam nigram nostram spectat aliud eiusdem ordinis virginum cœnobium in Adelhausen prope Friburgum Brisgoiæ circa an. 1234. ab Adelheide Zaringensi, Egenonis II. comitis de Friburg uxore fundatum; cuius quidem historiam iam supra d) de urbe & comitibus Friburgensibus agentes dedimus. Ad horum etiam prosapiam pertinet Bertholdus frater cognominis abbatis Tennenbacensis, & Egenonis comitis de Urach ex Agnete de Zaringen filius, Nigræ silvæ dynasta, qui, ut supra e) diximus, comitatu dimisso ad Fratres Prædicatores Esslingenses se contulit, ibique an. 1240. defunctus est.

d) *N. VI.*

e) *N. XXXIV.*

Porro iam ex Urstisio memoravimus Ioannem Friburgensem, inter Generales ordinis Prædicatorum quartum, Parisiis an. 1242. fuisse electum. Hic is ipse est, qui in Fr. Petri Suevia ecclesiastica f) dicitur Ioannes

f) *pag.* 459.

nes Teutonicus de Wildeshausen, nuper ex episcopo Bosniensi in supremum ministrum generalem totius ordinis Fratrum Prædicatorum constitutus. Is anno 1241. seu potius 1242. in locali visitatione monasteriorum dicti ordinis in Germania, ex itinere suo ad novum virginum contubernium Kirchbergense fortuito delatus, flagitantibus hisce virginibus habitum S. Dominici contulit. Ibi an. 1243. venerabilis ac illustris domina Williburgis Hohenbergica, una ex fundatricibus, prima loci Priorissa fuit constituta, dum Mechtildis comitissa de Zimberen, ex primogeniis candidatis Kirchbergensibus una, monasterii confirmationem Roma retulisset. SECULUM XIII.

XLVII. S. Francisco cordi admodum fuit missio & propagatio ordinis sui in Germania; verum ea ob ignorantiam idiomatis Teutonici in irritum cessit primo, ac etiam propter suspicionem hæreticorum, qui ex Italia tunc illuc declinabant, ut ex MSS. chronicis provinciarum Saxoniæ, Argentinæ & Germaniæ inferioris narrat Waddingus in annalibus Minorum a) lepido quidem simulque tragico casu. „Fratribus Teutoniam adgredientibus quum quidam occurrissent, rogassentque an hospitari vellent, illos Germanice *ia*, quod latine sonat *ita*, respondentes perhumaniter exceperunt, & eis cibum & potum subministrarunt. „Quare quum Teutonicum idioma ignorarent, præfatam responsionem „cuicumque interrogationi accommodare statuerunt, arbitrantes, semper „ex illa similes eleemosynas reportaturos, & huiusmodi beneficiis prosequendos fore. Attamen contra evenit: nam aliis percontantibus, an hæretici essent, & ad avertendam a fide catholica Teutoniam illuc accessissent? „quum suum statutum responsum in medium proferrent, ab ipsis non „solum comprehensi & in vincula coniecti sunt, sed etiam ludibria publica atque varia supplicia subierunt. Ex quo eventu Teutonia tale nomen apud Fratres sibi vindicavit, ut nullus nisi martyrio flagrans illuc „conferre se vellet."

Franciscanorum in Germaniam missio.

a) T. I. p. 250.

Igitur præstolandum existimavit S. Franciscus, donec aliquos ipsius nationis viros in Italia aut aliis regionibus suæ sodalitati adgregasset: quod quum haud ita multo post contigisset, substitutum mortuo F. Petro Cataneo Eliam vicarium generalem in comitiis generalibus Franciscanorum an. 1221. ad eius pedes sedens S. Franciscus vellicata tunica admonuit, ut iterum Waddingus perhibet. Elias vero, eius mente percepta, erectus publice sic profatur: *Fratres? ita ait Frater* (significans B. Franciscum, qui per antonomasiam frater a fratribus dicebatur) *est quadam regio Teutonia, in qua sunt homines christiani & devoti,*

 qui,

SECULUM XIII.

qui, ut ſcitis, ſæpe terram noſtram cum longis baculis & largis ocreis ſub rapidiſſimo ſole ſudoribus æſtuantes pertranſeunt, ac limina Sanctorum viſitant, laudes Deo & Sanctis eius decantando. Et quia ad eos aliquando miſſi Fratres male tractati redierunt, nullus ad ipſos ire compellitur frater, niſi qui gloria divina & animarum zelo inflammatus inſpiratione cæleſti ire velit &c.

Subdit porro, nonaginta circiter Fratres illico ſurrexiſſe, miro martyrii deſiderio flagrantes atque in Germaniam ire paratos, deſignatum vero miniſtrum Germaniæ F. Cæſarium Spira oriundum. Hic adſcito ſibi cum aliis ſocio imprimis fido F. Iordano de Yones in Germaniam perrexit, ubi anno ſequente, pluribus iam receptis fratribus tam clericis quam laicis, capitulum provinciale Wormatiæ cum fratribus de civitatibus vicinioribus inſtituit: poſtea autem deſiderio fruendi conſortio S. Franciſci Aſſiſium rediit, an. 1223. in comitiis abſolutus a miniſteriatu Germaniæ. Subſtitutus ei F. Albertus de Piſa huc adventans in capitulo Spiræ celebrato F. Marcum de Mediolano cuſtodem Franconiæ, F. Angelum de Wormatia cuſtodem Bavariæ & Sueviæ, F. Iacobum cuſtodem Alſatiæ, F. Ioannem de Plano Carpinis cuſtodem Saxoniæ conſtituit: *cui eidem*, pergit Waddingus a) *Ioanni clericorum Spirenſium multitudini concionari demandatum eſt. Sermone finito dominus epiſcopus Spirenſis Fratres ordinis clero & populo ſuo ſerio recommendans, conceſſit ipſis prædicandi & confeſſiones audiendi in ſua diœceſi auctoritatem, quorum prædicationibus & exemplis plurimi abnegato ſeculo, ſacro ſe ordini manciparunt.*

a) T. II. pag. 75.

Neque enim fratribus aliter faciendum indulſit S. Franciſcus, quam ut ab epiſcopis vocati & admiſſi ſua officia præſtarent; unde etiam, quum ſui aliquando conqueſti oggererent, quod ab eccleſiarum rectoribus non admitterentur ad divini verbi miniſterium, atque ideo indultum apoſtolicum impetrandum ſuaderent, quo inſalutatis etiam epiſcopis poſſent prædicare, eosdem indignabundus repulit, hoc ſuis ſingulare eſſe debere privilegium dictitans, nullum habere privilegium, ut apud Waddingum ad an. 1219. b) legere eſt: obiicientibus vero duritiem plurium clericorum eos non admittentium, ipſe de ſua ſententia nihil remittens repoſuit: *in adiutorium clericorum miſſi ſumus &c.* In ultimo quoque ad ſuos ante mortem ſermone reverentiam erga ſacerdotes imprimis inculcavit c).

b) T. I. p. 300.

c) Ibid. T. II. p. 143.

Ex diœceſibus ergo illis, quæ partem aliquam hierarchiæ ſibi in Nigra ſilva vindicant, prima fuit Spirenſis, in qua ordo S. Franciſci admiſſus fuit; in Conſtantienſem quoque brevi poſt penetravit, quum iam

an.

an. 1224. quosdam fratrum de Tridento Lindaviam in Sueviam veniſſe ſcribat idem Waddingus a) qui ſimul aſſerit, Gregorium IX. bulla Peruſii X. Kal. Martii data, pontificatus anno ſecundo 1228. monuiſſe epiſcopum Conſtantienſem, ut necdum conſecratam Minorum eccleſiam Friburgi dedicaret; de qua quidem eccleſia nos ſuperius b) ſumus locuti, uti & de receptione ordinis Argentoratum c), ubi eodem an. 1228. exſtructum Minoribus conventum ex Gonzaga perhibet Waddingus d), monens tamen, ex teſtimonio Guillimanni & Wimphelingi illum anno primum 1230. fuiſſe inceptum. Nihil vero hac de re legitur in ſæpe citato Mſ. Argentinenſi (ex quo paullo ante plura ad monaſterium Prædicatorum in ea urbe attinentia retulimus) licet in eodem dies obitus S. Franciſci ad an. 1225. notetur.

Seculum XIII.

a) *L. c. p. 104.*

b) *N. VI.*

c) *N. XII.*

d) *L. c. p. 109.*

In monaſterio Minorum, quod ſupereſt Villingæ in Nigra ſilva, iſta de eo legitur inſcriptio: *anno 1268. dominica prima poſt octavam epiphaniæ monaſterium hoc ab illuſtri & generoſo comite de Fürſtenberg & coniuge eius Agnete fundatum eſt: primusque loci huius Guardianus fuit F. Henricus a Friburgo.* De hoc & Friburgenſi monaſterio ſuperius iam iniecta eſt mentio.

Paſſim iam tunc in Germania erant utriusque ſexus SS. Franciſci & Claræ monaſteria, quum a multis annis ingens eſſet Germanorum erga S. Franciſcum veneratio, ob inſignia eius poſt mortem miracula. Hanc pietatem ut nutriret Gregorius IX. P. anno 1227. apoſtolicas ad eos litteras dedit de ſacris ſtigmatibus, quibus dum viveret, fuerat inſignitus e). Qui idem graviſſimis verbis perſtringit Olomucenſem epiſcopum, fidem veritati tanti miraculi denegantem, ut notat Raynaldus ad annum 1237. f).

e) *Baron. ad Martyr. Rom. XV. Kal. Oct.*

Anonymus, quem in appendice Vol. II. Taphogr. Auſtr. edidimus, auctor chronici monaſterii S. Claræ in Königsfeld, Pragæ primum ultra montes cœnobium huius inſtituti exſtructum memorat, quod perperam tamen adſtruit Ottocaro a Rudolpho I. Rom. regi devicto, ut ibidem eſt adnotatum. Idem nihilominus auctor poſtea monaſterium Ulmenſe ſeu Seflingenſe eius ordinis ſeptimum quidem, in Germania autem primum fuiſſe dicit, ſeptem ante mortem S. Claræ annis exſtructum. Miſerat illa, ut ad annum 1237. ſcribit Waddingus g) ad preces regiæ virginis Agnetis, filiæ Ottocari I. ſororis Ottocari II. ſeu Wenceslai III. monoculi, ſorores aliquot in Bohemiam, & alias in Alemanniam, quæ per Tridentum, ubi monaſterium pro eis erectum eſt, venerunt Ulmam, ubi aliquæ ex ipſis remanentes cœperunt ædificare pauperculum quod-

f) *Annal. T. XIII. p. 456. n. 60.*

g) *T. II. p. 435.*

dam

SECULUM XIII.

dam monasterium, cuius prima abbatissa vocata sit Hedwigis. Hoc brevi postea Seflingam translatum vivente adhuc S. Clara, & dein in superiore Alemannia aliorum huius ordinis monasteriorum quasi mater fuit.

Anonymus iste Hedwigin de Cuontzilon ex Francia primam fuisse asserit sororum, primamque postea abbatissam in Königsfelden, in plaga, ut initio a) exposuimus, veteris eremi Helvetiorum ultra Rhenum, cis vero hunc fluvium sese per Nigram silvam protendentis ea ex parte, qua bona fuerunt assignata monasterii Königsfeldensis ab Elisabetha uxore Alberti I. Rom. regis eo locorum exstructi, ubi is a parricida Ioanne suo nepote fuerat occisus.

a) *Lib. I. N. IV.*

Ipsam Nigram silvam nostram attingit parthenium Franciscanum sororum de pœnitentia Horbæ ad Nicrum. Dotationis instrumentum anno 1293. datum Luitgardi iam tum Priorissæ exhibet Fr. Petri in Suevia ecclesiastica b): *præsentibus & in testimonium evocatis F. Bertholdo Guardiano Fratrum Minorum in Tubingen, F. Bertholdo de Bosetor Terminario ibidem, D. Bertholdo plebano in Horbe, Waltero sculteto ibidem, Henrico dicto Willice, Wernhero de Altheim, & aliis fide dignis.*

b) *pag.* 447.

S. Francisco ædicula sanct. Mariæ in Portiuncula a Benedictinis tradita.

XLVIII. Vel ideo autem nos extra oleas haud evagatos arbitramur isthoc de ordine S. Francisci diverticulo, quod ipse S. Franciscus, ut ad annum 1210. refert Waddingus c) Roma adprobato primum ab Innocentio III. instituto redux, atque hinc inde cum suis divertens, quum frustra Assisiis ab episcopo & canonicis ecclesiam peteret, *in qua*, ut aiebat S. Pater, *omnes sacrum audiamus, canonicas solvamus horas, & si quis nostrum obierit, in pace requiescat*, demum ad montis Subasii monachos Benedictinos se convertit, quos liberaliores est expertus; abbas namque inito cum suis consilio ei concessit, quam ipse paucis antea annis reparavit S. Mariæ in Portiuncula ædiculam. In sacra hac æde an. 1212. a S. Francisco tonsa fuit, Christoque sacrata virgo S. Clara decimo octavo ætatis anno, ac nocte illa dominicæ Palmarum, quæ in diem 19. Martii inciderat, fratribus ibi sacras excubias observantibus. *Nec decuit alibi*, subdit Waddingus d), *florigeræ virginitatis ordinem ad Vesperam temporum excitari, quam in eius aula, quæ prima omnium atque dignissima sola extitit mater & virgo. Hic locus ille est, in quo nova militia pauperum duce Francisco felicia sumebat principia, ut liquido videretur utramque religionem mater misericordiæ in suo diversorio parturire. Quum autem coram altari B. Mariæ sacræ pœnitentiæ suscepisset* in-

c) *T. I. p.* 89.

d) *T. I. pag.* 126.

insignia, & quasi ante torum huius virginis humilis ancilla Christo nupsisset, statim eam ad ecclesiam S. Pauli monacharum nigrarum S. Franciscus deduxit, donec aliud provideret altissimus, in eodem loco mansuram. SECULUM XIII.

Voluit igitur monialibus Benedictinis sacrum hoc castitatis depositum interim committere S. Franciscus, qui postea, ut idem narrat ad annum 1222. Waddingus a) Roma recedens in regnum Parthenopæum, ad sacri specus & S. Scholasticæ monasterium Sublacense divertens, dum dumeta attrectat, & exosculatur, in quibus sese volutatus S. Benedictus integritatem suam conservavit, ea demum signo S. Crucis afficiens in rosarium pulcherrimum divina virtute convertit. *Quo factum est, ut deinceps ille locus in maiori haberetur reverentia, & rosetum utriusque Patriarchæ* (S. Benedicti scilicet & S. Francisci) *religione sacratum, mire virtutis rosas producat.*

a) *T. II. pag.* 36.

XLIX. Est porro, quod ordo Benedictinus gloriæ sibi ducat, voluisse nimirum S. Franciscum, ut S. Antonius de Padua, mox postquam sacerdotio erat initiatus, sub abbate Vercellensi apud S. Andream, quod Benedictinum tunc fuit asceterium, viro doctissimo mysticam audiret theologiam, ut ad eumdem annum 1222. memorat Waddingus b). Hunc per unum alterumve annum sub abbate illo studuisse putat Waddingus, & aliquando in Galliam euntem, aut in Italiam redeuntem, ac vicinam Lombardiam lustrantem, ad eum aliquoties divertisse. Sub eo autem abbate ita brevi profecit vir sanctus, ut instantissime a fratribus rogaretur, quam ipse hauserat, doctrinam aliis communicaret: quod & præstitit, impetrata a S. Francisco facultate per litteras, quas idem auctor describit. Idem porro ad annum 1231. c) narrat, S. Antonium ipsa die suæ mortis, quæ erat decima tertia Iunii, quum celebratissimus ille Vercellensis abbas sacræ lectioni & divinis meditationibus intentus solus esset in cubiculo, ad eum ingressum post mutuam salutationem dixisse abbati: *Ecce domine abba, relicto asello apud Paduam festinus ad patriam proficiscor.* Laborabat tum abbas graviter ex gutture; sed vir Dei leniter eum attingens totum illud incommodum repente depulit & disparuit. At ille putans, eum ad natale solum iter intendere, ignarus omnino illius obitus, surgit, & ex famulis monasterii perquirit, ubi sit frater Antonius. Stupefacti illi respondent, se nescire: abbate autem asserente se pro certo eum vidisse illumque ex suo cubiculo primum exiisse, missus est quidam ad fratres, ut ex illis cognosceretur, num quid de adventu Antonii comperissent. Illis nihil eius se nosse dicentibus, abbas veluti ad se rediens certissime cognovit, Antonium ad cœlos migrasse,

S. Antonius de Padua a S. Francis. Ioannis Gersenii abb. Vercellensis disciplinæ traditus.

b) *L. c. p.* 48.

c) *L. c. pag.* 267.

SECULUM XIII.

tempusque adnotans, postea didicit, eodem die & hora eum decessisse, quo in suo cubiculo adparuerat, prout ipse fratribus non sine lacrymis narravit.

Abbas hic S. Antonio, quamdiu in vivis degebat, in paucis carus fuit, utpote a quo theologia olim institutus fuerat, vicissim ex libris Dionysii de rebus mysticis multoties instructus; unde & ipse in conventu fratrum suorum hoc de viro Dei perhibuit testimonium: *Frater Antonius, ordinis illorum fratrum, de pura theologia sensu mystico hausit plenissime, divini radii gratia illustratus.* Io. Valart, qui elegantissimæ quatuor librorum de Imitatione Christi ad MSS. ac primarum editionum fidem castigatorum editioni dissertationem addidit de eiusdem operis auctore Ioanne Gersene abbate Vercellensi, ceu cui sanctus Franciscus beatum Antonium instituendum commiserit a), ad eumdem S. Antonium illa libri III. b) verba referenda existimat: *Quidam amando me intime didicit divina, & loquebatur mirabilia. Plus profecit in relinquendo omnia, quam in studendo difficilia subtilius.* Quam quidem coniecturam eo verosimiliorem putat, quod verba hæc omnino conveniant iis, quæ habet Waddingus ad annum 1222. c), ubi insigne hoc eiusdem abbatis de S. Antonio testimonium affert, scripto firmatum, ex eius commentario in Dionysium de cœlesti Hierarchia cap. 3. sub littera V. *Quum esset*, ait de S. Antonio, *minus imbutus litteris secularibus, animi puritate & mentis ardore succensus mysticam theologiam, captum mentis excedentem, & ferventer desideravit & abundanter hausit, ut possim dicere de eo, quod de Ioanne Baptista scribitur:* ille erat lucerna lucens & ardens; *amore enim ardebat interius, & exemplo lucebat exterius.* Adducit etiam in testimonium familiaris notitiæ, quam de S. Francisco habuit abbas ille, alium locum eiusdem libri III. cap. 50. editionis vulgatæ, suæ autem cap. 38. qui ita sonat: *quantum unusquisque est in oculis tuis, tantum est & non amplius, ait humilis Franciscus*, ut habet Msc. codex Lebovii, dum in vulgatis habetur: *humilis S. Franciscus*; id quod tamen etiam sustineri potest, siquidem primum post annum 1231. quo obiit S. Antonius, scriptum opus sit, ut ex verbis illis loci prioris colligitur: *loquebatur mirabilia.* Dudum autem tunc iam S. Franciscus omnium ore sanctissimus prædicabatur d)

a) L. c. cap. 32. n. 3.

b) Imit. Cap. 43. n. 4.

c) L. c. p. 49.

Ingens paupertatis studium seculo XIII.

L. Nulli profecto seculo accommodatius fuit incomparabile hoc opus de Imitatione Christi, quam huic XIII. quo tanta fuit contentio inter- pre-

d) Auctorem librorum de Imitatione Christi Italum esse, non Belgam, ex forma casulæ, quæ describitur Lib. IV. c. 5. habens *ante se & retro dominicæ crucis signum*, nupertime observavit Clemens XIV. P. ex ordine S. Francisci in epist. Gallice a Caracciolo edita.

pretandi Dionysium theologiæ mysticæ antesignanum. Dum hoc ævo, quo tantum fuit philosophiæ studium eiusque cum theologia christiana commixtio, theologia nimium metaphysice consideraretur ac tractaretur, mirum haud est, quod ubi a theoria ad praxim factus est progressus, & a spirituali ad corporale, atque ab internis ad externa, dum ad summa & perfectiora contenditur, ad extrema quæque facta sit prolapsio.

Qui optime fuerant animati, videntes dolentesque proclivitatem humanæ naturæ, quæ in abundantia rerum coërcere se haud pateretur, obturandum esse ipsum fontem seu scaturiginem existimaverunt. S. Dominicum primo quidem rerum omnium abdicationem haud intendisse, supra intelleximus; mox vero exemplo S. Francisci ad studium paupertatis inductus, rem tamen eo non perduxit, quo S. Franciscus, qui, ut vel quidquam remitteret, adduci haud potuit: quidquid etiam F. Elias ageret in primis statim ordinis comitiis an. 1219. ad quæ plusquam quinque millia Fratrum Minorum convenerunt Assisium, ubi tunc præsens & S. Dominicus aderat. Inductus etiam ad persuadendum Franciscum est celebratissimus Hugo cardinalis Ostiensis; obtendebatur ei non solum virorum doctissimorum gravissimorumque consilium, quum ipse simplex esset & illitteratus, verum etiam auctoritas regulæ SS. Augustini, Benedicti & Basilii: neque vero vel hac auctoritate induci potuit S. Franciscus, ut aliquid a cœpto rigore remitteret. *Non est ergo*, respondebat inter alia, *cur aliam mihi nominetis regulam, neque Augustini, neque Benedicti, neque aliorum vivendi normam, præter eam, quæ mihi a Domino pro sua benignitate & misericordia desuper est concessa.* Ad cardinalem autem Ostiensem conversus: *Isti*, inquit, *sapientes, quos vestra dominatio laudat, & mihi commendat, vellent sua humana prudentia & Deum & vosmet decipere; sed vere semetipsos decipiunt, destruere & conculcare volentes ea, quæ per me indignum servum suum loquitur Christus pro ipsorum salute, & totius ordinis incremento.* Ad hæc abeunte S. Francisco cardinalis persuasit Fratribus, ut adquiescerent apostolico viro.

Post mortem S. Patris variis studiis acta est hæc causa, atque adhuc multo magis exagitata. Dum enim primum Gregorii IX. auctoritate aliquæ mitigationes essent factæ, erant, quos Zelatores seu Spirituales vocabant, quibus id minime faciendum esse videretur: contra quos Innocentius IV. an. 1245. pronuntiavit, ex quibus alii sponte, alii a Ministro generali compulsi exulabant, quos postea Ioannes de Parma, ipse ex secta Spiritualium factus Minister anno 1247. iterum revocavit. Res

SECULUM XIII.

quidem deinde prudentia S. Bonaventuræ aliquamdiu sedata, post eius vero obitum in novas flammas prorupit, ut apud eumdem Waddingum passim legere est a).

a) T. III. & seqq.

Eminuit inter istas ordinis de paupertate controversias F. Petrus Ioannes Olivi de Serignano, quem sui vivum persecuti sunt ut caput Beguardorum & Fratricellorum, sepultum vero exhumarunt, eiusque ossa simul cum operibus combusserunt an. 1279. quem tamen Angelus Clarenus eius familiaris post mortem miraculis claruisse scribit, illumque Waddingus ad hunc annum b) ab omni hæreseos suspicione liberat. Affert ex eo Bulæus in historia Universitatis Parisiensis c) eius fidei professionem, quam moriens edidit, in qua nihil se novi asseruisse dicebat, sed antesignanos habuisse quatuor magnos magistros Parisienses, qui ex præcepto Haymonis generalis Minoritarum regulam explicarunt.

b) T. V. pag. 299.

c) T. III. p. 535.

Refert Conradus abbas Urspergensis in chron. d) ad an. 1212. vidisse se Romæ quosdam cum suo magistro, ut putat, Bernardo, *pauperes de Lugduno*, quos Innocentius III. propter quædam superstitiosa in ipsorum conversatione reiecerit, quosdam vero alios eorum loco exurgentes, qui „se adpellabant pauperes minores, confirmaverit. „Hi (subdit) prædicta „superstitiosa & probrosa respuebant, sed præcise nudis pedibus tam æsta„te quam hieme ambulabant, & neque pecuniam neque quidquam aliud „præter victum accipiebant, & si quando vestem necessariam quisquam „ipsis sponte conferebat; non enim quidquam petebant ab aliquo. Hi „tamen postea attendentes, quod nonnumquam nimiæ humilitatis nomen „gloriationem importet, & de nomine paupertatis, quum multi eam „frustra sustineant, apud Deum vanius inde gloriantur, maluerunt ad„pellari minores fratres, quam minores pauperes. Alii, videlicet Præ„dicatores, in locum Humiliatorum successisse creduntur. Humiliati quip„pe nulla habita auctoritate aut licentia Prælatorum, mittentes falcem „in messem alienam populis prædicabant, & vitam illorum plerumque „regere satagebant, & confessiones audire, & ministeriis sacerdotum de„rogare. Quæ volens corrigere Papa ordinem Prædicatorum instituit & „confirmavit.“ Ordo tamen Humiliatorum seculo XIII. necdum penitus fuit sublatus, sed ad ordinem S. Benedicti est reductus post concilium Lateranense an. 1215. sub Innocentio III. in quo can. 13. e) sic est statutum: *Ne nimia religionum diversitas gravem in ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam religionem inveniat, sed quicumque ad religionem converti voluerit, unam de adprobatis assumat.* In sæpe citato codice Argentinensi coævo cura Magni

d) pag. 332.

e) Conc. Labb. T. XI. p. 156.

gni Ellenhardi conſcripto circa rem hanc ita notatum lego: *Anno 1275. fuerunt deleti ordines Saccitarum & quorumdam aliorum in concilio Lugdunenſi per dominum papam Gregorium X.*

SECULUM XIII.

LI. Memoravimus libro VI. a novis quibusdam ſub regula S. Benedicti inſtitutis ſcoparum ſeu flagellationis uſum ad ſtuporem uſque & exanimationem fere fuiſſe inductum, nihil non agente S. Petro Damiani, ut eius frequentationem monachis quoque nigris aviti inſtituti Caſſinenſis perſuaderet. Dum porro ſeculo XIII. ubique gentium ac locorum omnia prædicationibus perſonarent, quibus permoti peccatores & corde contriti turmatim ad peccatorum confeſſionem agendamque pœnitentiam concurrebant, etiam ad verberationes ventum eſt, quas ſibi ipſis pœnitentes homines infligebant, ut pluribus explicat monachus Paduanus chronici libro III. apud Urſtiſium a). Waddingus, dum ad an. 1225. b) inſignes fructus extollit, quos collegit S. Antonius, adeo in prædicando præſtans, ut pontificio oraculo arca teſtamenti nuncuparetur, ea de re ſic habet: *cœperunt tum primum homines catervatim ſeſe verberando, & pia cantica devote depromendo procedere: atque ea laudabilis conſuetudo a tanto auctore profecta, deinceps ſuis eſt aucta incrementis. Novi*, ſubdit, *quantumvis S. Antonii auctor apud Surium Flagellatorum originem ad eumdem Sanctum referat, Polidorum Vergilium antiquiorem facere, & ad Apoſtolorum tempora reducere. At ante S. Antonii tempus non adeo clara apud auctores memoria habetur huiusmodi congregationum aut hominum, ſe in ſocietate Flagellantium. Ultra centum poſt annos Flagellantium ſecta pernicioſa exorta eſt incerto auctore, qui plures effutiebant, ſpargebantque hæreſes.*

Perinde ac flagellationum cum exceſſu, & ſpeciali ſecta.

a) *Script. Ger. P. I. p. 612.*
b) *Annal. T. II. p. 117.*

Vix medium ſeculum XIII. effluxerat, dum Flagellatores ubique gentium pervagati modum exceſſerunt, in Germania tandem noſtra coërciti, ut Henricus Stero apud Caniſium c) totum proceſſum explicat his verbis: „His etiam diebus ſurrexerunt quidam pœnitentes, qui Flagellatores dicebantur, qui primo pauci numero a Peruſio, civitate Tuſciæ, proceſſum habuiſſe dicuntur, quorum ſectam non ſolum tota „Italia, ſed & regiones plurimæ ſunt ſecutæ, ita quod eam imprimis „ſibi multi nobiles & mercatores, poſtea ruſtici & privati aſſumſerunt. „Erat enim modus ipſius pœnitentiæ ad patiendum durus, horribilis & „miſerabilis ad videndum. Nam ab umbilico ſurſum corpora denudantes, „quamdam veſtem, partem corporis inferiorem uſque ad talos tegentem „habebant, & ne quis eorum agnoſceretur, cooperto capite & facie „incedebant. Procedebant autem bini, terni, tamquam clerici vexillo

c) *Lect. ant. T. IV. p. 195*

SECULUM XIII.

„prævio vel cruce, flagellis semetipsos bis in die per 33. dies, & deinde „in memoriam temporis humanitatis D. N. I. Christi super terram adparentis tamdiu cruciantes, quousque ad quasdam cantilenas, quas de „passione ac morte Domini dictaverant; duobus vel tribus præcinentibus „circa ecclesiam vel in ecclesia compleverunt, nunc in terram corruentes, „nunc ad cœlum nuda brachia erigentes, non obstante luto vel nive, fri„gore vel calore. Miserabiles itaque gestus ipsorum & dira verbera multos „ad lacrymas, & ad suscipiendam eamdem pœnitentiam provocabant. Sed „quia origo eiusdem pœnitentiæ nec a sede Romana, nec ab aliqua per„sona auctorabili fulciebatur, a quibusdam episcopis & D. Henrico duce „Bavariæ cœpit haberi contemtui, unde intepescere in brevi cœpit, sicut „res immoderate concepta."

In Paralipomenis rerum memorabilium ad chronicon Conradi de Ursperg ex chronicis Argentoratensibus ad an. 1261. refertur, Flagellantes Argentoratum venisse, qui Romæ & in Italia confluxerant, numero mille & ducentos, quibus Argentorati accesserint mille & quingenti, qui nudis corporibus se flagris cædebant: post hæc anno 1298. illuc venisse viginti octo in vestibus albis facie cooperta, qui eundo ad omnes ecclesias se flagellabant: atque hic ritus hodie in hebdomada sancta & Parasceve saltem in plurimis locis perseverat. In Msc. chronico Argentoratensi huius ævi, quod præ manibus est, ita notatur: *Anno D. 1261. orta est pœnitentia quadam Flagellatorum in Tuscia, & in Roma, & per Lombardiam venit in Teutoniam; ita quod de partibus superioribus una simul processionaliter bini & bini venerunt in Argentinam, dorsis denudatis se flagellando plusquam mille ducenti, & ibidem cessavit.* In citatis Paralipomenis a) multa singularia sequuntur de hac Flagellantium secta, quæ tamen ad sequens seculum XIV. pertinent. b).

a) *pag.* 381.

Sectæ in Germania statui ecclesiastico & religioso oppositæ.

LII. Albertus Stadensis abbas in suo chronico c) sectam nobis quamdam describit, Hallis in Suevia publice Papam, episcopos & prælatos inferiores ac sacerdotes quoque criminantium, quod essent hæretici, simoniaci: item quod Prædicatores & Fratres Minores perverterent ecclesiam falsis prædicationibus: & quod omnes Prædicatores & Fratres Minores, Cistercienses quoque & omnes alii pravam vitam ducerent. Alibi Stedingi erant ex pago huius nominis ad confinia Frisiæ & Saxoniæ, passimque sese prodebat colluvies quædam hæreticorum illius ævi, Albigensium, Catharorum, Waldensium, Petrobrusianorum: Stedingorum vero abominanda dogmata & facinora Gregorius IX. anno 1233. ab archiepisco-

c) *p.* 220. *ed. vet.*

po

b) Quam plura notatu digna ad rem in Iacobi Boilleau historia Flagellantium leguntur.

po Moguntino monitus, litteris ad Friderici imp. filium Henricum regem datis describit, prout legere est in conciliis Germaniæ a), ubi alia quoque ad eamdem rem sequuntur.

SECULUM XIII.

a) *T. III. p. 543. &c.*

Pertinent huc prima factæ apud nos inquisitionis acta per Conradum Marpurgensem a Gregorio IX. per Germaniam inquisitorem constitutum. Hic Moguntiæ in conventu episcoporum, comitum & clericorum de quibusdam ob hæresin infamatis inquisitionem instituit, quos inter comes de Seine accusatus inducias purgationis ulteriores obtinuit, quam reliqui, qui non comparuerunt; ubi etiam populum cruce signavit Conradus, ab illis dein iuxta Marpurg unacum Gerardo ordinis Minorum per insidias occisus.

Priorum illorum sectariorum in Hallis Suevorum patrocinium in se sumsit Conradus filius Friderici II. imp. contra Romanam sedem reliquamque hierarchiam ecclesiasticam, nec non religiosos ordines capiti suo adunatos. Sed male cessit illi consilium; catholicis enim prædicatoribus audacter obnitentibus, & fideles exhortantibus, *liberi & ministeriales a Conrado recesserunt, ita ut quasi exul & profugus de Suevia in Bavaria moraretur;* uti de eo scribit citatus Albertus Stadensis.

LIII. Eiusdem insaniæ fuit secta Apostolicorum, surculus quidam hæresis cognominis seculo XII. Gerardus nempe Segarellus Parmensis vitam Apostolorum & mores mentitus, soli Christo se suosque subiectos esse asserebat, omni repudiata hierarchia, quum contenderet, totam auctoritatem spiritualem, quam Christus dedit ecclesiæ, in suam sectam esse translatam, omnesque Romanæ ecclesiæ prælatos esse prævaricatores, excepto F. Petro de Morono, qui fuit Cœlestinus V. papa. Ante hunc tamen eius antecessores Honorius IV. & Nicolaus IV. *ordinem Apostolicorum*, ut se propter observantiam perpetuæ paupertatis apostolicæ vocabant, damnarunt vi decreti concilii generalis Lugdunensis II. sub Gregorio X. an. 1274. quo decretum Innocentii III. in Lateranensi concilio an. 1215. can. 13. præsertim quoad novos identidem pullulantes Mendicantium ordines est restitutum, omnesque ordines mendicantes post dictum concilium Lateranense adinventi perpetuæ prohibitioni sunt subiecti.

Secta Apostolicorum.

LIV. Mart. Crusius in Annalibus Suevicis b) ad an. 1261. ex Felice Fabri memorat, extitisse quosdam regularum monasticarum adversarios in nonnullis monasteriis, qui nominabantur Fratricelli, Beghardi & Beguinæ. Sed illorum temporum usu & nomenclatura generalior fuit Fratricellorum præsertim adpellatio. Ex his erant, qui se etiam *fratres* *par-*

Fratricellorum, Beghardorum, Beguinarum.

b) *P. III. L. II. c. 14.*

SECULUM XIII.

parvos, *fraterculos de paupere vita* ab excessu quodam paupertatis nuncupabant, quos S. Thomas in eius vita apud Bollandum a) destruxisse memoratur. Ioannes XXII. postea contra eosdem decretalem edidit, quæ legitur inter illius Extravagantes 22. contra nonnullos nimirum profanæ multitudinis viros, *qui vulgariter Fratricelli*, *seu fratres de paupere vita*, *Bizochi & Beguini nuncupantur &c.* ex quibus fuisse dicit, qui regulam Fratrum Minorum profiterentur, diversi adeoque ab illis, quos Crusius ex Fel. Fabri designat. *Hi persuadebant multis cœnobiis, ut sine regula viverent, melius sic Deo serviri posse per libertatem spiritus. Sed magnopere hoc genus hominum oderant cæteri, quibus certæ disciplinæ præscriptio placebat.* Abutentes siquidem illi D. Pauli b) lege spiritus vitæ in Christo Iesu, fratres & sorores liberi spiritus dici volebant, per Italiam, Galliam & Germaniam serpentes, ut Moshemius in historia ecclesiastica ostendit, cum ex aliis monumentis, tum præcipue ex familiari huius sectæ libro *de novem rupibus spiritualibus*, seu totidem gradibus, quibus ad unionem cum Deo iuxta eorum mysticen perveniatur. De quo postea libro ex MS. quod se in Alsatia reperisse testatur, hæc exscribit: *Homo quidam devotissimus, licet laicus, librum de novem rupibus conscripsit a Deo compulsus, ubi multa ad præsens pertinentia continentur de ecclesiæ renovatione, & prævia gravi persecutione.* Habuit porro præ manibus *octoginta novem sententias Becbardorum, quos vulgo Schwestrones, ipsi vero se de secta liberi spiritus & voluntariæ paupertatis vocant, cum confutatione.* Ex illis septuagesima nona sic sonans: *dicere, in Rhætia esse veritatem, hæresis Donati est, qui dixit Deum esse in Africa*, manifestat, eos in Rhætia consedisse, ubi Schwestriones a sociabus feminis dicebantur, viri autem Beghardi, & feminæ Beguinæ, quod nomen commune est cuidam generi vitæ religiosæ, sectæ liberi spiritus accommodato: sine certæ nimirum regulæ & ordinis professione in privatis ædibus, sine legibus & norma.

a) *T. I. Mart. p.* 666.

b) *Rom. VIII.* 2.

Hæc quidem commemorata hactenus exotica & fanatica instituta a proposito nostro sunt aliena; nec tamen hic prorsus fuerunt reticenda, quod primitus ex aversione quadam & insectatione aviti instituti monastici iuxta regulam S. Benedicti pullularint.

LIBER

LIBER IX.

Nigra Silva seculo Christi XIV. Ordinis S. Benedicti IX.

I.

Ad anni iubilæi a Bonifacio VIII. anno 1300. factum auspicium, tantus fuit Romæ ex orbe christiano hominum omnis conditionis confluxus ad singulos dies, ut aliquando numerarentur in die ducenta millia. Ecclesiæ Romanæ Hierarchia monastica.

Ingens etiam postea sub Clemente V. Bonifacii VIII. successore anno 1311. præter episcopos plusquam trecentos abbatum concursus fuit ad concilium Viennense generale in Gallia, quo diverterat Clemens ad eludendam importunam Philippi pulchri Bonifacium antecessorem damnandi, delendi e catalogo pontificum, eiusque corpus comburendi instantiam. Damnata est eo in concilio effrenis Beguardorum & Beguinarum, religiosorum vinculum obedientiæ abiicientium licentia, quæ quousque processerit postea videbimus: ubi varia vitæ monasticæ & religiosæ monstra & excessus indicabimus, in utramque partem relaxationis & rigoris.

Rigoris quidem prætextus acceptus potissimum est a Cœlestino V. P. quem intelleximus in ordinem etiam S. Benedicti austeritatem ultra modum studuisse inducere. Eius sanctæ memoriæ iniquior fuit Bonifacius successor; Clemens V. vero eum in album Sanctorum an. 1313. solemni recepit ritu, perseveravitque Cœlestinorum ab eius nomine dictus ordo sub regula S. Benedicti, etiam in Gallias favente Philippo receptus.

Alia item instituta eiusdem regulæ Benedictinæ novum acceperunt lustrum, aliquamdiu obscurari visa luce ordinum novorum mendicantium. Ex quibus ordo S. Francisci factione Ludovici Bavari pseudo-pontificem Petrum Corbarium sub nomine Nicolai V. Ioanni XXII. opposuit, postea tamen pontificatu ultro se abdicantem; contra ordo Cisterciensis legitimum eiusdem Ioannis XXII. successorem Benedictum XII. dedit, Parisiis magistrum in S. Theologia, insignemque, ut postea videbimus, ordinum religiosorum reformatorem, canonicorum etiam & mendicantium: quique quæstionem, quam eius antecessor de tarda visione beatifica movit, decidit, ut apud Raynaldum legere est ad annum 1336.

Is an. 1338. inter alios Cardinalem creavit Petrum Rogerium monachum nigrum ord. S. Benedicti, qui fuit postea Clemens VI. P. M. an. 1342.

SECULUM XIV.

1342. Parum etiam abfuit, quin poft Clementis mortem an. 1352. Ioannes Birellius ordinis Carthufianorum fub regula S. Benedicti generalis eligeretur in papam, ut P. Fr. Pagius in Brev. Rom. Pont. notavit ex vita Innocentii VI., qui tunc fuit electus papa. Hic Andronicum de Rocha ex abbate Cluniacenfi creatum cardinalem graviffimis reipublicæ chriftianæ & fedis apoftolicæ negotiis adhibuit, ita diftentum alibi, ut nunquam confiftorio adeffe potuerit pontificio, nec titulum adipifci, nihilominus an. 1363. poft mortem Innocentii VI. ad electionem novi pontificis admiffus, qui fuit Urbanus V. *Niger monachus*, ut loquitur auctor coævus Martinus Fuldenfis a), & *doctor decretorum abbas in Marcilia* (Maffilia cœnobio S. Victoris) *monafterio ordinis fui.* Qui quod timebant Cardinales in Io. Birellio Carthufiano, effectum ire opportune ftuduit. *Ipfe enim*, pergit laudatus Martinus Fuldenfis, *pompam & arrogantiam cardinalium repreffit, & compefcuit, quas habuerunt in equitatibus, miniftris, & fumptibus, ipfos ad fui ftatus exigentiam & debitum redigendo. Viros quoque litteratos multum dilexit, nec acceptor perfonarum divitum, vel nobilium.... Anno autem domini* 1368. *in fefto S. Urbani vel circa ipfe Urbanus papa cum cardinalibus transtulit fe de Avinione in Romam, tenens primo fedem fuam in Viterbio, quam translationem non fine magna difplicentia multorum cardinalium fecit: ubi Carolus imperator ad eum venit, eique ac cardinalibus fe nimium humiliando magnam reverentiam impendit.* Addit, demum an. 1370. ad inductionem cardinalium non fine magna difplicentia Romanorum rediiffe Avenionem, eodem anno mortuum & in Maffilia in monafterio fui ordinis, ubi abbas fuit, fepultum: *ubi, ut fertur*, tefte iterum Anon. Fuldenfi, *ftatim incœpit magnis corufcare miraculis, quæ hodierna die ibi fieri dicuntur, quæ a notariis iuxta fepulcrum eius manentibus & ad hoc affignatis, annotantur, & in fcriptis rediguntur.* Ad eius tamen canonizationem deventum non fuiffe Pagius notat, Clemente VII. in Avenione eius fucceffore fchifmate impedito.

a) *Apud Ecard. Corp. hiftor. med. ævi T. I. p.* 1729.

Schifma magnum.

II. Clemens hic VII. poft mortem Gregorii XI. qui Clementis VI. ex fratre nepos ipfe etiam cardinalis Petrus Rogerius dictus, fedem Petri Romam transtulit, ab iisdem cardinalibus, qui Urbanum VI. Romæ elegerant, eumque paullo poft indignati, Anagniam fecefferant, fuit electus papa an. 1378. ordini Benedictino admodum propitius, ex quo plures repetitis electionibus creavit cardinales: monafteriaque Benedictina fibi obnoxia habuit illis etiam in regionibus, quæ fuerant Urbano VI. addictæ, velut Germania. Eam ob caufam, ut fuo loco dicemus, Henricus

ricus IV. abbas S. Blasii ab Urbano VI. depositus, fidelis nihilominus Clementi VII. ad mortem usque perstitit, uti eius etiam successor Joannes I. quum Conradus Goldastus abbas Steinensis in locum Henrici ab Urbano VI. suffectus haud quaquam admitteretur, ac tandem etiam Ioanni sponte abbatiam cederet. Dubiam fuisse horumce pontificum ac eorum utrimque successorum causam inter alios succincte Pagius in Brev. Rom. Pont. ostendit, probatque ipse schismatis processus, cum tandem utraque pars causa caderet; nec proficientibus modis quibuscumque conciliationis, aut etiam cessionis iuratæ tandem ad subtractionem obedientiæ procedendum fuerit, ex consultu imprimis universitatis Parisiensis, ut pluribus apud Bulæum legere est.

SECULUM XIV.

Spondanus & alii, ex coævi monachi Dionysiani historia Msc. Caroli VI. referunt, Bonifacium IX. successorem Urbani VI. misisse an. 1393. unionis restituendæ causa, ad Carolum VI. Galliarum regem Petrum Carthusiæ Astensis in Lombardia Priorem, & Bartholomæum de Ravenna Carthusiæ insulæ Gorgonæ Priorem. Voluerat eis Bonifacius iungere insignem iuris doctorem; reposuit autem Petrus, religionis negotia tractanda esse simplicius & minus apparate. Duo igitur illi Priores Avenionem primum, deinde circa festum Nativitatis Domini Parisios advenerunt, regi id suadente universitate, benigne suscepti auditique. Universitas Parisiensis publicas Deo gratias agendas constituit in monasterio Cluniacensi S. Martini de Campis, Guidone abbate S. Dionysii sacrum de S. Spiritu faciente, eiusque cœnobii Priore pro concione dicente. Remissi sunt ad Bonifacium adiunctis duobus aliis Prioribus eiusdem ordinis Divionensi nimirum & Parisiensi, qui promtissimam renunciarent voluntatem regis ad unitatem capitis ecclesiæ restituendam, sed frustra.

Frustra etiam postea an. 1398. fuerunt Germanorum Gallorumque conventus, Wenceslai imp. & Caroli VI. regis Galliarum colloquium, frustra tot academiarum Angliæ, Germaniæ, Galliæ, ac virorum doctorum per christianum orbem labores & lucubrationes: quas inter Bulæus a) affert Henrici senioris de Hassia seu de Langenstein canonici Wormatiensis tractatum insignem, quem inscripsit *epistolam pacis*, in qua producit duos oratores unum ab Urbani, alterum a Clementis partibus rationes rationibus, argumentis argumenta opponentes, tandemque Clementinus ad auctoritatem prælatorum ecclesiæ devolvitur, *ad quos spectat determinare auctoritative & obligative in concilio generali. Absque cuius ritus conventu*, *credo*, pergit, *vix unquam posse ad plenum corda quietari omnium. Esto namque quod primo vel secundo electus sine am-*

a) *Tom. IV. hist. univers. Paris. p. 574.*

SECULUM XIV.

pliori & autenticiori declaratione iuris obtineat, tandem via facti ad pacificam deductus possessionem, nihilominus corda latenter torquere non desinet scrupulus plurimorum: quibus constat & constitit iuris ambiguitas & facti in hoc casu atque modo, quo processum fuit ab initio in hac re a principibus & aliis. Numquid de successore utriusque & successoribus successorum tale dubium erit, quale nunc de Urbano & Clemente, cum ab illis religentur, de quibus dubium est, si cardinales sint vel non, sive novellis vocatis cardinalibus contingat quempiam successorum a duabus partibus non esse electum? Quam, quæso, his omnibus respondit eventus!

Status imper. Germanici.

III. Gravissimo discidio tenebatur respublica christiana iam exeunte sec. XIII. Bonifacium VIII. inter P. & Philippum pulcrum Galliarum regem. Quod continuatum magisque exasperatum ineunte sec. XIV. contulisse visum est tranquillitati imperii Germ. mitioremque reddidit papam Alberto I. R. R. ut iam ultro offerret coronam imperii, benigneque susciperet solemnes nuntios an. 1302. Romam missos, de quibus chronicon Colmariense ad finem partis secundæ; dum nimirum auctor ille scribere desiit eo ipso in loco, urbe scilicet Columbaria, seu Colmaria, ad quam tunc rediisse nuntios illos commemorat. *Nuntii*, inquit, *Alberti regis, quos superiore anno ad papam Romam miserat, nempe duo milites & tertius miles clericus in iure plurimum versatus, circa Purificationem redierunt, & ad reginæ præsentiam venerunt. Regina vero unum ex eis monachum militem (nobilem nempe) festinanter ad regem transmisit, rogans suppliciter, quatenus subito dignaretur ad eius præsentiam venire. Hoc rex subito adimplevit. Venerunt nuncii regis Romanorum infra octavam Ioannis Baptistæ Columbariam, dicentes, quod papa in consistorio coram pluribus millibus hominum dixisset, quod rex Romanorum esset verus & in gratia sua: & quando veniret, sicut rex teneretur, vellet eum consecrare in cæsarem.*

a) *Germ. hist. script. illustr. P. II. p. 63.*

Mox sequitur, ibidem apud Urstisium a) *de rebus gestis imperatoris Henrici VII.* libellus auctore Conrado Vecerio regio secretario, memorabilis imprimis ob detecta Guelphicæ factionis, quæ imperatori a coronatione Romana (quam a Sabinensi episc. cardinale accepit unctus ab Ostiensi, cum adhuc in Gallia pontifex moraretur) reduci fuerat exitialis, Gibellinæ opposita late etiam per Italiam diffusa Ecellinis olim auctoribus, ut nuperrime singulari opere Io. Baptista Verci ostendit.

Dum post mortem Henrici VII. in partes scinderentur electores, aliis Ludovicum Bavarum, aliis Fridericum Austriacum cæsarem proclamantibus, Gibellini cum Friderico Arragonum rege a partibus Ludovici Bavari,

vari, Guelphi vero cum Roberto Siciliæ rege a Friderico Auſtriaco ſtabant, nimirum Ioanni XXII. P. addicti, quem Ludovicus Bavarus exagitabat, hæreſeos etiam non unius accuſatum, pontificatuque extorrem denuntiatum, conſtituto Nicolao V. antipapa, a quo & Romæ coronatus fuit an. 1328. cum viciſſim pſeudo-pontifici tiaram pontificiam dediſſet Ludovicus ad Baſilicam Lateranenſem occurrenti. Scripſit tunc temporis Marinus ſanctus Venetus plures ſub expeditione Ludovici Bavari in Italiam epiſtolas a), quarum una ad Bertrandum in Lombardia legatum, perſuaſum ſe eſſe conteſtatur, pontifices priores quidem bona intentione tantum rebus impendiſſe imperii; cæterum ſi vidiſſent, quæ eveniſſent inde, aliter fuiſſe acturos. Mortuo Ioanne XXII. an. 1334. ſtatim Ludovicus Bavarus legatos ad Benedictum XII. eius ſucceſſorem miſit: *Sed heu!* ſcribit Io. Vitoduranus, *eorum expectatio inanis fuit, quia rex Franciæ & rex Boemiæ, qui imperatoris felicibus ſemper tunc ſucceſſibus invidebant, percipientes papam unacum cardinalibus velle propiciari imperatori, & ad gratiam eum recipere velle, ipſum averterunt propoſitum ſuum nobiliſſimum irritantes, ſicque legati imperatoris ſine fructu reverſi ſunt, fruſtra habitis multis laboribus & expenſis.* Narrat iterum iterumque ſubmiſſos legatos ac durius etiam habitos. Auctori huic ex ordine Minorum, qui tunc incentore præcipue Wilh. Occamo partes Ludovici contra ſummam ſedem agebant, in Ioannem XXII. cumprimis iniurio, fides undequaque non eſt adhibenda: dum conſtat ſub Benedicto XII. vacaſſe contentiones illas, licet equidem pontifex rege Franciæ inſtigante non relaxarit cenſuram, qua paſſim omnia conturbabantur, dum partes ubique gentium interdicto ſupponerentur. Extat in archivio San-Blaſ. Gaucelini ep. Albanenſis declaratio, an. 1339. pluribus chartis pro ſingulis eccleſiis concepta, quod monachi S. Blaſii poſſint licite divina celebrare, quum nunquam adhæſerint Ludovico Bavaro imp.

a) Ep. XVII. pag. 308.

In eum anathema poſtea Clemens VI. iterum an. 1343. ſtrinxit, egitque, ut Carolus Henrici VII. nepos in imperatorem eligeretur felici equidem ſucceſſu profectuque reſtitutæ ſacerdotium inter & imperium pacis & concordiæ. Reſcidit is, ut apud Raynaldum ad an. 1347. legere eſt, quæ a Ludovico Bavaro contra Romanæ eccleſiæ iura dignitatemque ſunt acta. Romam an. 1355. Innocentio VI. P. profectus ad capeſſendam coronam a Gibellinis ipſoque Petrarcha, qui ab eorum partibus erat, fruſtra eſt concitatus, Henrici VII. avi ſui exemplo ob oculos poſito, cui Gibellinorum conſilia exitio fuerunt, exacerbatis Guelphis, quos Carolus beneficiis & prærogativis ſibi conciliavit. An. 1365. Urbanum V.

SECULUM XIV. etiam Avenione convenit, eidemque an. 1368. Romam regredienti ſtratoris munus exhibuit; uno eo de imperio perinde ac chriſtiana republica male meritus, quod nihil non apud pontificem Gregorium XI. & electores egerit ad Wenceslaum filium in ſolium imperii ſublimandum ſucceſſorem & filium indignum, degeneremque, qui malo omine ipſas baptiſmi aquas infans conſpurcavit.

Imperio quidem Germanico an. 1379. poſt mortem patris admotus, inutilis magis quam gravis, ſuis vero imprimis familiaribus moleſtiſſimus, crudeliſſimusque fuit. De eo paucis Gobelinus a) in magno chronico Belgico, *Rex*, inquit, *Wenceslaus nihil dignum memoria geſſit, ſed Neroniana crudelitatis ſectator eſſe ſtuduit. Multos etiam viros ſolemnes ſine cauſa occidit: plures cruciatibus exquiſitis punivit, nonnullos propria manu ludibrii cauſa peremit.* Inter ſolemnes, quos memorat viros, primus cenſendus eſt S. Io. Nepomucenus pœnitentiarius, doctor & canonicus Pragenſis, invictus ille ſigilli ſacramentalis, etiamnum in lingua ſua incorrupta Pragæ ſervata aſſertor, quem Wenceslaus exquiſitis etiam tormentis fruſtra tentatum ad revelanda in ſacramentali reginæ confeſſione depoſita ſecreta, in flumen Moldavam præcipitavit, deſignatus apud Oefelium b) in Udalrici Onſora canonici veteris capellæ Ratisbonæ chron. Bavariæ his verbis: *Hic doctorem theologiæ ſubmerſit.*

a) *Apud Piſt. T. III. Script. rer. Germ. p.* 3558.

b) *T. I. Script. rer. Boic. p.* 36.

Rerumque orientalium. IV. Wenceslai frater Sigismundus glorioſus reique chriſtianæ ſtudioſus admodum ſec. XV. imperator, exeunte hoc ſec. XIV. rex Ungariæ infeliciter admodum contra Turcas pugnavit ingenti ad Nicopolim an. 1398. fuſus ſtrage. Magnas vires Turcæ hoc ſeculo acceperunt in chriſtiani orbis terrorem, ita ut multis antichriſti tempora adeſſe ſint viſa, atque etiam noſtris temporibus Grotius & nonnulli alii tempus hic figunt, quo Apoc. XX. animæ decollatorum propter teſtimonium Ieſu mille anni regnaſſe cum Chriſto dicuntur, ſumta epocha præciſe ab anno 313. quo Conſtantinus edicto pacem reddidit Eccleſiæ. Seculo hoc XIV. ſufflaminata ſemper magis recuperandæ terræ ſanctæ fuit ſpes, quæ a proximis ſeculis adhuc in animis fidelium ardebat, Romanis pontificibus imprimis faces ſubmittentibus. Egiſſe rem viſus eſt Clemens V. in concilio Viennenſi; ſiquidem vero annalibus coævis Steronianis apud Freherum c) eſt fides, deluſit ſpem, ipſe difficultatibus inſuperabilibus ſpe fruſtratus. Sic vero ſcribit Stero ad an. 1311. de Clemente: *Hic papa Wiennæ concilium generale convocaverat, cuius concilii V. ſeſſio inchoata fuit XVII. Kal. Novemb. ubi de paſſagio ultramarino & de recuperatione terræ ſanctæ tractabatur, per fratres hoſpitales S. Iohannis Ieroſolymitani* cru-

c) *T. I. Script. R. G. p.* 593.

crucem ultramarinam fere per totam christianitatem prædicari fecit: & plura millia christianorum cruce signati, cum ad curiam papæ venissent, papa absolvit eos a voto, & mandavit eos ad partes redire, & sic quasi delusi illorum labores, & sumtus maximi effectum nullum habuerunt, & sequente mense Martii XI. Kal. Aprilis in privato consistorio papa cassavit, & annullavit ordinem Templariorum, personis & bonis ipsorum ordinationi suæ & Ecclesiæ servatis.

Notatur apud Labbeum ad an. 1310. a) ex Serario synodus Moguntina, ad quam provinciam pertinet Nigra silva, in qua Hugo *comes Silvestris & Rheni* cum viginti fratribus comparuerit, conquestus synodum sui ordinis delendi causa ex commissione Romani pontificis esse congregatam, quos violentiam metuens demollitos dimisit, postea etiam iussus a pontifice absolvit, *de consilio & assensu coepiscoporum provinciæ, qui convenerant*, ut Nauclerus ad an. 1311. habet.

a) *T. I. Conc. P. II. p.* 1537.

Tam personæ quam facultates Templariorum perinde ac Hospitalium S. Io. Hierosolymitani in sanctum illum finem a sua institutione fuerant destinatæ, sed turpiter deflectebant a proposito; nec aliunde affulgere satis firma spes & opportunitas, nec temere faciendum esse periculum visum est etiam Ioanni XXII. quam ardens etiam desiderium reges Galliarum & Angliæ proderent, ut apud Raynaldum ad an. 1319. n. 19. videre est. Obtulit etiam eidem pontifici Marinus sanctus Venetus libros ad eadem pertinentes consilia, professus quidem sua sponte se ea concepisse, nec a rege aut principe, aut republica, aut hominum quopiam impulsum. Circa Clementis V. adhuc tempora refert Io. Vitoduranus b) in chron. ingentem unius hominis prædicatione in nostris plagis commotionem, quam ipse viderit tunc scholis nuperrime addictus. *Ingens*, inquit, *multitudo fidelium mota cuiusdam prædicatione ad eripiendum sepulcrum Christi & terram sanctam de manibus paganorum surrexit, qui præparantes se ad iter perficiendum incedebant bini & bini secundum ordinem armati, & valde disciplinati, petentes in singulis locis, quæ præteribant ab hominibus pro passagio, & pro tam salubri itinere voluntarie assumto consumando, qui magnam quantitatem pecuniæ taliter colligebant. Nam in singulis oppidis, villis vel civitatibus, quas cum vexillis cruce Christi splendide depictis perambulabant, homines ad visitandos eos turmatim confluxerunt, & eis certatim manus adiutrices porrexerunt: qui cæptum opus non compleverunt, sed mari apud Marsiliam, & aliis locis appropiantes, & ipsum procellosum forte videntes territi cum pecunia sic turpiter acquisita redierunt.* Aliud longe enormius exemplum Bulæus in

b) *Thes. hist. Helv. p.* 19.

histor.

SECULUM XIV.

hiſtor. univerſ. Pariſ. affert a) ad an. 1320. quo turbatum ſit regnum & præcipue Pariſienſis civitas a paſtorellis, qui quum viderent principes nimis tepidos & negligentes in expeditione Hieroſolymitana ſuſcipienda adverſus infideles ſuaſoribus duobus viris eccleſiaſticis, uno monacho Benedictino e cœnobio eiecto, altero presbytero ſeculari e parochia ſua pulſo, ſeſe ipſi conſcripſerunt, exiſtimantes ita in oraculis divinis contineri, ut ipſi civitatem Hieroſolymitanam ab infidelium oppreſſione liberarent. Sed cum incondita illa turba latrociniis & direptionibus omnia devaſtaret & depopularetur, a præfectis regiis compreſſa eſt & fugata. Intelligimus ex hiſtoria proximorum ſeculorum, monachos etiam expeditionibus eiusmodi ſacris ad licentiam fuiſſe abuſos.

a) T. IV. p. 185.

Fanatici hi erant & inconſulti admodum ſec. XIV. motus, quando iam non de recuperanda terra ſancta res erat, ſed de propulſandis Turcis undique terris chriſtianorum imminentibus, ad quæ avertenda pericula imprimis laboraverunt pontifices ex ordine S. Benedicti aſſumti. Clemens VI. primo ſtatim regiminis an. 1343. indixerat ſacram in Turcas expeditionem. Agebatur imprimis de imperio orientali Græcæ eccleſiæ ſchiſmaticæ, quæ a Turcis vexata, ut opem Latinorum obtineret, unionem cum eccleſia occidentali efflagitabat. Iam an. 1339. Andronicus iunior legatum Barlaam ad Benedictum XII. eius rei cauſa miſerat: idem etiam an. 1343. Andronici filius Io. Palæologus imbellis adhuc efflagitavit a Clemente VI. qui propoſitis indulgentiarum præmiis conciliatisque maris mediterranei dynaſtis claſſi præfecit Henricum patriarcham Conſtantinopolitanum apoſtolicæ ſedis legatum.: eoque ex improviſo, quum de expugnatione Smyrnæ publicas Deo redderet gratias, cæſo, Humbertum Delphinum Viennenſem propriis manibus cruce ſignavit an. 1345. Ad eumdem iterum an. 1349. advenerunt legati græci, & an. 1356. ad Innocentium VI. an. 1362. Urbanus V. ad Romanam ſedem promotus Ioannem Francorum, Petrum Cypri & Daciæ reges gratulatum advenientes cruce ſignavit, & an. 1365. cum Carolo IV. Avenionem vocato id negotii tractavit, in partes tracto etiam Carolo Gallorum rege, ut palam fit ex litteris Urbani apud Raynaldum n. 2. anni item ſequentis ad Ioannem Palæologum pro reſtituenda unione. Quare quidem Patriarcha Cpolitanus an. 1367. & an. 1369. ipſe Ioannes Palæologus in Italiam conciliandorum ſibi Latinorum animis auxiliisque cauſa conceſſit; ſed adduci nunquam potuerunt Græci, ut ſe Romanæ ſubmitterent eccleſiæ.

Atque hæc quidem in gratiam eorum Romanorum pontificum commemoravimus, quos quum tantam rei catholicæ operam navaſſe videamus

ad

ad unionem orientalis & occidentalis ecclesiæ restituendam, curam etiam intelligemus & apostolicam impendisse sollicitudinem in nos Nigramque silvam nostram, ordinis S. Benedicti coloniam. SECULUM XIV.

V. Antequam vero institutum nostrum propius attingamus, quæ ad statum patriæ nostræ attinent, generatim sunt explicanda, faciuntque, ut cætera etiam, quæ iam de statu utriusque reipublicæ prælibavimus, ad ea, quæ ad rem speciatim singillatimque afferuntur, facilius pleniusque intelligantur: qua de causa in aliorum etiam seculorum serie generaliora quædam præmittenda existimavimus. Quod quidem ad seculum XIV. in quo versamur, eo magis faciendum est, quod in eo circa Nigram silvam undequaque in omni plaga veluti ex quatuor ventis omnia turbata susque deque verterentur. Res patriæ.

Ab ineunte seculo iam an. 1302. tantam Rheni inundationem commemorant annales Colmarienses, ut homines ex Nuwenburg in Friburgum navigio potuerint pervenire. Ex ea vero parte, qua olim Eremus Helvetiorum in Nigram silvam protendebatur ad natale gentis Habspurgicæ solum, turbis Helveticis locum aperuit Albertus I. R. R. ut ab ovo rem explicat Huldricus Mutius lib. XXII. German. chron. apud Pistorium a) inde ab an. 1300. Trithemius vero hostile exordium ad an. 1303. ponit in chron. Hirs. passimque ad an. 1307. primum Uraniorum, Suitensium & Subsilvanorum fœdus reponitur. Henricus VII. mox ut cæsar fuit renuntiatus, quod tergiversabatur Albertus I. fecit, Helvetiorum privilegia firmans dato dipl. III. Non. Iunii an. 1308. In gestis venerabilis DD. Baldewini de Luczenburg Trevirensis archiep. & Henrici Imp. Germani apud Baluz. b) Lib. c. 7. inscribitur *de domini de Wirtenberch expugnatione*, Henrico nempe rebellis. *Nam cum ipse Henricus se ad Alpium montana transcendenda prepararet, dominus de Wirtenberch se ipsi regi tyrannice opposuit. Propter quod ipse rex dominum de Winsberch provincialem advocatum præfecit, & omnibus illarum partium regni fidelibus, castellanis & civitatibus districtissime præcepit, ut sibi tanquam suo vicario in omnibus intenderent & obedirent, & eius iussionibus per omnia parerent. Qui regis ad præceptum cum fidelibus regni & civitatibus dictum dominum de Wirtemberch armis bellicis sæviter persequendo suo in territorio in locum de loco fugere coarctavit, & eius quadraginta tam oppida quam castra viriliter expugnavit, & ad talem internecionem deduxit, quod tantum terruncula vix poterat obtinere, quod vita necessaria valeret, pauperrime vivendo, aliqualiter habere.* Refert hæc ad an. 1310. Constituit etiam Henricus VII. præfectum imperialem seu advocatum pro-

a) T. II. Scriptor. rer. Ger. p. 846.

b) T. I. Miscell. p. 118.

SECULUM XIV.

vincialem Rudolphum Habſpurgicum ex linea Laufenburgica, ad quam non attinebant ditiones illæ Helveticæ, quæ reipublicæ Helveticæ conſtituendæ locum primo præbuerunt, ut ſcriptor coævus Io. Vitoduranus ad an. 1315. his verbis declarat: *Quædam gens ruſticalis in vallibus dictis Suiz habitans, montibus fere excelſis ubique vallata, confiſa de montium ſuorum præſidiis & munitionibus firmiſſimis ab obedientia & ſtipendiis & conſuetis ſerviciis duci Lupoldo debitis ſe ſubtraxit: & ad reſiſtendum ſibi ſe præparavit.* Quibus occurrens Lupoldus eodem anno con ſociatis Uraniis & Subſilvanis ad Morgatum victus fugit, ut etiam apud Vitoduranum legere eſt. Interim graviſſimis cum Ludovico Bavaro bellis abſtrahuntur Fridericus & Lupoldus, conciliantur vero poſt eorum fata Otto & Albertus, Ottone an. 1331. a Ludovico conſtituto imperii vicario, ut apud Oefelium a) legere eſt, litteras etiam inveſtituræ pro Ottone & Alberto eiusdem Ludovici, qui an. 1330. urbes Schafhauſen, Rheinfelden, Neuburg, & Briſach ad finitimum Nigræ ſilvæ Rhenum Auſtriacis oppignoraverat. Hæc inter varia utrimque fœdera pagorum, urbium, quæ nos propius attinent, Baſileenſis & Friburgenſis, Argentinenſis cum urbibus imperii, Bertoldi ep. Argentor. cum duce Auſtriæ, aliorumque principum ſunt firmata, varioque ſub Marte ſequentibus annis pugnatum, pace an. 1340. ab Agnete regina Hungariæ conciliata: anno item 1351. ab Alberto II. ad Turicum ſoluta obſidione, quæ tunc ſæpius petebatur urbs iterum iterumque obſeſſa, accurrente etiam interim acceſſione Bernatum aliarumque urbium roboratur Helveticum fœdus, Carolo IV. imp. an. 1352. & ſequenti inducias paciſcente, iterumque an. 1356. iuxta Trithemium: qui poſtea ad an. 1386. ingenti numero recenſet nomina comitum, militum atque nobilium, qui in prælio apud Sempach cum duce Lupoldo occubuerunt; alii alios addunt aut omittunt. Ex illis, qui ad cenſum noſtrum hiſtoriam Nigræ ſilvæ perſequentes, attinent, ſunt ſequentes: Ioannes de Furſtenberg in Haslach, Walterus de Geroldseck, Ulrich & Otto de Stouffen: ſic Trithemio duo de Stouffen, duo de Signowe, duo de Friburg. Ægidius Tſchudius vero in hiſtoria Helv. ad an. 1386. multos ex Friburgo Briſgoiæ accumulat, omittit tamen Ioannem de Kageneck etiam Trithemius, habet autem Hugonem de Schonau & Henricum de Schellenberg, Tſchudius addit Wolf. Henricum & tertium adhuc de Bettmaringen, nonnullos etiam de Rheinfelden, unum *Hœesli* Lächler b) de Villingen. Univerſim Trithemius trucidatorum numerum fuiſſe quater centum nobilium virorum memorat. Quod vero ex eodem Trithemio retulimus de bino Caroli IV. ad Turicum congreſſu, ad unum revocat Albertus Argentinenſis, ubi

a) *T. I. Scriptor. R. B. p. 758.*

b) *p. 162.*

Sue-

Suevorum nomine Ioannes Windloch episcopus Constaniensis prærogativam illam veterem repetebat, ut *vexillum suum, & omnes Suevi sub illo præire deberent.* Id quum reclamaret dux Austriæ Albertus, Suevos indignatos ad sua rediisse Trithemius narrat, Eberhardum comitem de Wirtemberg virum magnanimum potentem, atque robustum cum multis Suevorum nobilibus præsentem testatus. SECULUM XIV.

Idem Trithemius eiusdem Eberhardi cum Carolo IV. bellum, simulque ad eumdem annum 1359. concordiam factam pacisque conditiones describit: *Quod comes Eberhardus fœdus, quod cum Austriæ ducibus contraxerat, revocando cassaret, & nullam deinceps ligam seu confœderationem contra imperatorem aut regnum cum illis omnino haberet: deinde iudicum fuit decreto sancitum, quod comes Eberhardus advocatiam regni, sive vicariatum, quem a Carolo imperatore super XXIV. urbes & oppida regni susceperat, resignare deberet &c.*

Apud Oefelium charta legitur Ludovici Bavari inscripta, a) *dem Edlen mann Ulrichen Grafen von Wurtenberg unserem lieben Landvogt &c.* Sed comites Wirtenbergici præfectura hac Sueviæ potentiaque sua, quæ sec. XIV. varias accessiones habuit, sunt abusi. Iam Volcmarus abbas Furstenfeld. in chron. apud eumdem Oefelium b) incessit comitem de Wirtenberch, *qui semper studuit malignari adhuc parum ducens pacem dissipare, non cessat suscitare prælia. Ex quo multi de ipso moventes querimoniam, coram rege pro eo, quod variis pressuris vexaret eos & turbaret, postulantes iudicium, ne post regis abscessum eos malis gravioribus perurgeret.* Pertinent hæc ad Henrici VII. tempora, quando pro corona imperii in Italiam erat profecturus circa an. 1312. Apud Carolum IV. civitates Sueviæ contra Ulricum & Eberhardum comites Wirtenbergiæ querelas deposuerunt, ut apud Rebdorf legitur ad an. 1360. c). Idem tamen imperator an. 1368. Eberhardo comiti de Wurtenberg eiusque filio Ulrico auxilium promittit contra Wilhelmum comitem de Eberstein Seniorem, & cognatum Wolf de Eberstein ob damna apud Wildbad in Nigra Silva illata.

a) *T. I. p.* 166.

b) *T. II. pag.* 541.

c) *Apud Freherum Scriptor. R. G. T. I. p.* 640. *&c.*

Frequentes vergente etiam hoc sec. XIV. in Suevia & ad Rhenum &c. ligæ & fœdera urbium & principum, comitum nobiliumque, episcoporum item & abbatum notantur, ut apud Schilterum videre est ad Kœnigshovii chron. Argent. p. 887. ubi charta fœderis huiusmodi affertur, adversus Anglos Alsatiæ tunc imminentes an. 1362. quod a Trithemio ad eum annum copiose describitur. Anglos visi sunt duces Austriæ in Helvetos concitasse, ipsi tamen eos sævientes in suis terris experti: quam in

SECULUM XIV. rem apud citatum Schilterum leguntur de Anglis, ne Rhenum transeant, communi consilio impediendis litteræ Leopoldi ducis Austriæ ad civitatem Argentinensem, & ad eamdem urbium Basileensis, Wormatiensis, Moguntinæ, Brisacensis, Selestad, Reutlingen an. 1375. notaturque a) Anglos tunc excitatos ab Ingeranno de Cusiaco terras Habspurgicas, quarum hæredem propter matrem principem Austriacam se crediderat, sibi vindicaturo. Qua de re egimus libro singulari de translatis Habspurgo-Austriacorum principum cadaveribus, quæ inter censetur cadaver Catharinæ filiæ Leopoldi gloriosi, nuptæ Ingeranni patri: ubi vero insignia b) familiæ Cusiacæ perperam sunt expressa. Anno D. 1377. teste Alberto Argentinensi c) facta est cædes seu conflictus inter civitates imperiales Sueviæ per dominum Eberhardum de Wirtemberg, qui succubuit, & ex parte eius occisi sunt comites & barones tres, scilicet dominus de Swarzenberg, dominus de Zollre, & dominus de Tuwingen. Filius autem prædicti domini de Wirtemberg per fugam evasit, cum aliis quam pluribus. Facta sunt hæc apud oppidum Reuttlingen pridie idus Maii. Ingentem numerum cæsorum in hoc prælio recensent Reuttlingenses cives in epistola ad cives Constantienses post hoc prælium data. Refert Trithemius in chronico Hirsaug. ad an. 1380. ligam civitatum regni Germanici pene omnium circa Rhenum, in Suevia quoque & in Francia orientali contra Bavariæ duces & quosdam alios regni principes, quos sibi molestos senserant atque contrarios an. 1388. item cives & oppidanos, regni facta inter se confœderatione, comitibus de Wirtemberg denuo bellum indixisse, sed prælio discessisse inferiores, quod & chronicon Elwangense apud Freherum testatur, pluribus autem bellum illud Crusius explicat d). Notat Trithemius ad an. 1393. *nobiles & potentiores comitatus terræ Wirtembergensis nescio, qua de causa vel occasione, adversum Dominum suum comitem conspirationem satis periculosam & temerariam suscitasse.*

a) *T. II. pag. 273. Als. dipl.*

c) *pag. 166.*

d) *Annalibus Suev. L. VI. P. III. c. 1. & 2.*

Nobis hodie causæ & occasio huius rei clam esse non possunt, quibus perspectæ sunt tot nobilium militum equitumque consociationes, controversiæ item, quas tum aliis principibus, cum vero imprimis Wirtembergico moverunt hactenus ad sese in libertatem vindicandum, communi etiam ac longe meliori causa tot monasteriorum in Wirtembergia immediatorum imperii germanici statuum, ut est a Besoldo assertum in documentis redivivis monasteriorum præcipuorum in ducatu Wirtembergico sitorum, ex quibus facile princeps Hirsaugiense cum aliis suo loco notatis

b) Vid. Dissertation sur l'expedition d'Enguerrand. VII. Sire de Couci en Suisse en 1375. inserée dans le second volume de la Bibliothe.e Militaire historique & politique par M. le B. de Zurlauben p. 146. &c.

tis ad Nigram Silvam pertinet, perinde ac nobilium equitum pars illa quartana, cui a Nigra Silva nomen inditum est. SECULUM XIV.

VI. Comites Wirtembergiæ sec. XIV. plurimum excreverunt, diversis titulis emendo, imprimis a ducibus de Urslingen & Schiltach (de quibus plura infra, ubi de monasterio Alberspacensi agemus) de Tecke, comitibus de Achberg Ulrico, Henrico, Ulrico & Conrado de Berg & Schelkingen, comitibus item Tubingensibus comitum de Calwe hæredibus, qui iura & ditionem suam per Nigram Silvam extenderunt, uti & gens Habspurgica. Inter chartas Alberti III. & Leopoldi fratrum ducum Austriæ a), Petro de Torberg inter alias provincias etiam præfectura Nigræ Silvæ committitur, iterumque N. LXXVI. cum aliis iisdem recensetur apud Senckenberg b) antequam ære sibi comparasset an. 1381. comitatum Hohenbergicum Lupoldus dux Austriæ a Rudolpho filio Rudolphi.

Nigræ Silvæ dynastæ.

a) *N. XI. apud Senckenberg Selecta iuris.*

b) *Tom. IV. p. 179. 275.*

Is potentior fuisse Sueviæ dicitur Alberto Argentinensi apud Urstisium c) agenti *de animoso & probo comite de Haigerloch & Hohenberg.* Propius nunc ad nos attinet charta, qua Albertus comes de Hohenberc prædia, quæ ab Ulrico de Gutenburg domino in Bernowe receperat, dono obtulit hospitali S. Ioannis in Leuggern, Spiræ an. 1300. Vocat hic parentem suum Albertum; Burchardus vero eum fratruelem suum adpellat apud Brugge an. 1301. Huc etiam referendæ tabulæ, quibus Albertus filius *illustris viri* Alberti comitis de Hohinberg feuda in Wilheim an. 1300. resignavit. Albertus Argentinensis imprimis celebrat Albertum, qui Constantiæ primum, postea Parisiis studiis operam dedit, licentiatus in iure canonico, cancellarius Ludovici Bavari, qui frustratus Constantiensi, Herbipolensique episcopatu Frisingensis episcopus fuit factus. In chartis archivii Præpositi ecclesiæ Viennensis ad an. 1338. & 1342. occurrit sigillum Alberti comitis de Hohenberg rectoris ecclesiæ Viennensis. In charta an. 1340. quam ex chartulario urbis Horbensis edimus, Albertus cancellarium Romani imperatoris & præfectum Alsatiæ se nominat. In charta an. 1341. titulos habet: *Der ehrwürdig, hochgebohrne und edel Albrecht von Hohenberg, Chorherr zu Constanz, und Kanzler des durchlauchtigen Fürsten Kaiser Ludwigs.* Occurrit etiam Henricus comes de Hohenberg an. 1331. An. 1353. Conradus de Hohenberg dominus in Wiltberg. An. 1359. Agnes de Brauneck uxor comitis Burkardi de Hohenberg domini in Wilperg: haud procul inde in Reüthi monasterium fuit, in quo circa finem seculi XIV. & sec. XV. etiam adolescente an. 1424. Agnes Priorissa notatur. An. 1365. soror Agnes de Hohenberg. Occurrunt anno 1363. Burkardus de Hohen-

c) *P. II. pag. 106.*

 berg,

SECULUM XIV.

berg, Rudolphus comes de Hohenberg annis 1377. 1380. 1383. 1387. dictus etiam dominus de Altensteig, qui eo anno 1387. collegiatam ecclesiam ad S. Crucem in Horb insigniter, ut in Austria sacra an. 1780. legere est a), dotavit; cognominis vero iam an. 1321. ibidem parthenium ord. S. Dominici confirmavit, quod iam seculo superiore a comitibus Palatinis de Tubingen fuit fundatum b). Ex dictis palam fit, serius inferiorem comitatum Hohenbergicum, in quo sita est Horba, ad domum Austriacam pervenisse, nec totum eum emptum fuisse an. 1381. a Leopoldo probo, paullatim concidentibus seculo hoc XIV. rebus familiæ Hohenbergicæ.

a) *T. I. pag.* 321.

b) *Ibid. T. II. p.* 318.

Iam an. 1315. Rudolph de Hohenberg Henrico de Lupfen eiusque filio Henrico arcem Lupfen cum appertinentiis oppignorasse, confirmante id eodem anno Friderico rege, chartæ testantur. Sita est arx illa ad Thalam inter Danubii & Nicri fontes. Nomen tamen illud pridem iam inditum fuisse nobili familiæ libro superiore ostendimus. Extat charta, qua Henricus de Lupfen eamdem arcem Friderico & Lupoldo Austriacis pro 1365. marcis argenti vendit: videnturque comites Hohenbergici eam a memoratis ducibus beneficii seu feudi loco accepisse. An. 1324. Henricus eiusque filii Bertoldus & Conradus fatentur, se a cognato suo Eberhardo de Lupfen canonico Argentoratensi 50. marc. argenti accepisse *gegeb. zu Lupfen auf der Burg*. Coram curia Argentinensi vendit dominus Henricus de Lupfen, decanus ecclesiæ Argentoratensis auctoritate Lutholdi de Krenckingen curatoris sui, domino Eberhardo canonico dictæ ecclesiæ, & Hugoni patruo suo armigero dictis de Lupfen castrum Almuth, & bona sua pretio centum marcarum, & recipit ab emptoribus iterum in feudum ad dies vitæ pro annuo censu. *Datum quoad dictum dominum decanum & dominum Eberhardum IX. Kal. Iulii, quoad dominum Hugonem vero III. id. Iulii* 1318. c).

c) *Vid. Chr. Frid. Sattler topogr. Gesch. Wirtembergs p.* 343. *&c.*

Nobilem familiam de Blumeneck, cuius iam sec. XI. meminimus, seculo hoc decimo quarto cognatione coniunctam fuisse cum comitibus de Lupfen & potentibus dynastis de Krenckingen, ex chartis discimus. Ineunte quin immo sec. XV. legitur Dietricus de Blumeneck Agnetis natæ de Landenberg, ac Ioannis comitis de Habsburg viduæ consanguineus interfuisse, quum unicam filiam Ursulam de Habsburg Rudolpho comiti de Sulz in matrimonium promitteret: dumque postea memoratam inter Ursulam & Henricum episcopum controversia esset, diremit eam Melchior de Blumenecke præsentibus fratribus suis & cognatis Baltasaro, Otmanno, Iacobo & Ludovico de Blumeneck. Dynastia illa fuit postlimi-

nio

nio a monasterio S. Blasii redemta e manibus Thuringi de Halwil an. 1448. cum omnimoda vero iurisdictione demum an. 1612. emta a Maximiliano de Pappenheim cum ditionibus Gutenburg & Bettmaringen, postquam familiæ nobiles earumdem dudum interiissent, Henrico & Wolfgango de Bettmaringen in prœlio apud Sempacum occumbentibus. Nobiles de Gutenburg, qui passim occurrunt in chartis sec. XII. sec. XIII. dicti sunt de Bernowe, ex quibus Ulricus (ein Ritter und Vrye) de Gutenburg dominus in Bernowe feuda sua Alberto comiti de Hohenberg in charta an. 1300. restituisse legitur, anno autem 1302. Rudolphus comes de Habsburg ea bona, quæ feudali hactenus iure possederat, ei propria fecit apud Losenberg. Ulrico coætaneus fuit Bertoldus, posterior vero Walterus, cui filii fuerunt Nicolaus & Hugo de Gutenburg. Hugonis qui apud D. Blasii sepultus iacet, mentio fit an. 1344. in charta Eberhardi de Lupfen canonici Argentinensis & Eberhardi de Lupfen Landgravii Stuelingæ, ubi etiam nobiles de Bettmaringen habitasse ad finem sec. XIII. leguntur a). Ibidemque Henricus de Bettmaringen tractatum iniit cum abbate S. Blasii an. 1315. ob homines ligios in Wizzen.

Landgraviatu de Stuhlingen familiam de Lupfen iam sec. XIII. potitam vidimus; legiturque an. 1327. Eberhardus de Lupfen parochus in Stuhlingen, canonicus Constantiensis an. 1328. a Rudolpho ep. Constantiensi in parochiam Stuhlinganam investitus. Occurruut item an. 1344. Eberhardus canonicus Argentoratensis, & Eberhardus Landgrafius de Stuhlingen domini in Lupfen, in charta, qua hic uxori suæ Chunigundæ de Roseneck pro 15. marc. arg. bona in Wizheim oppignorat: iterumque pro mille marc. arg. paraphernaliorum, oppidum & villam Stuhlingen: iterumque pro 150. marc. advocatiam in curtem monasterii Grafenhausen. An. 1341. Egbrechtus de Roth (familia Schafhusensis de Graffenhausen dicta) advocatias oppidi & monasterii in Grafenhusen, Signow, Amergasvelt, Lanzenfurt, Eberspach, Kameren, Hetistal, domum suam & duo molendina in Grafenhusen monasterio Schafhusensi pro CCC. marcis vendidit. Perperam Urstisius b) ad Bertoldi Constant. chron. an. 1093. cellam Nobiliacum a Richardo abb. Massiliensi, Sigefrido Schafhusensi abb. donatam forte Grafenhusanum monasterium esse putat. Nobiliacum nobis in Annal. Bened. c) Mabillonius designat. Eberhardus de Lupfen iam memoratus an. 1352. Diethelmo de Mundelfingen cum castro Almuth, de quo meminimus, & villam Aichheim vendit, vocatus Eberhardus senior (iunioris uxor Ursula de Hohenberg filio Ioanni comiti de Lupfen usumfructum quorumdam bonorum tradidit an. 1380.) in charta, qua, una-

a) *L. c. Vid. Sattlers topog. Geschichte des Herzogthums Wirtemberg p. 342. &c.*

b) *Germ. hist. P. I. p. 368.*

c) *T. V. pag. 469. 565.*

SECULUM XIV.

unaque ex fratre nepos Henricus de Lupfen, ob debita castrum oppidum & comitatum Stuhlingen oppignorant Haug de Lupfen & de Asen, & ecclesiæ in Griesen. Eidem tamen Eberhardo de Lupfen & Henrico de Blumegg Rheinhold dux de Urslingen miles oppignorat castrum Langenstein & hypothecam de Sulz ob factam sponsionem 370. marc. arg. an. 1384. Zeissolff de Lupfen Frier Hofrichter in iudicio aulico Rotwilæ nomine comitis Rudolphi certiorem reddit nobilem Hamman de Krenckingen dominum in Thiengen, quæ sint iudicata circa bona præscripti nobilis domini Henrici de Lupfen. Occurrunt etiam Lutoldus & Conradus sec. XIV. domini in Thiengen an. 1322. quod est oppidum Alpegoviæ meridionalis, cuius se Landgravium & comitem in Stuhlingen iam ad finem sec. XIII. scripsit Eberhardus de Lupfen. Erant dynastæ in Alpegovia milites de Werler, Tuffenstein, Hauenstein, de Ramerswihl, de Tomburg, præter eos, quos superiore libro nominavimus.

Nobiles de Valckenstein non uno in tractu Nigræ silvæ sec. etiam XIV. comparent. Frequenter, qui post initia sec. XIV. iudicem aulicum egit Rotwilæ, in chartis legitur Erkinger, Aigelhart de Falckenstein, & quidem anno 1305. simul eius frater Conradus & ex fratre nepos anno 1320. eiusdem item filius Bertoldus anno 1347. Aigelwart de Falckenstein anno 1348. Aigelwart de Falkenstein & N. de Gundelfingen eius uxor anno 1390. Bertoldus & Eberhardus de Falckenstein anno 1398. In sigillo Falckensteiniorum sec. XIV. rarius capricornus vel aries, quam falco alis expansis occurrit. Hoc sigillo usus fuisse cernitur Cuno de Valckenstein, qui volente commendatore ord. Teutonici Friburgi illud appendi iussit chartæ an. 1325. vidua item Diemudis de Valckenstein, cuius ex fratre Conrado nepos cognominis monachus fuit Ord. S. Wilhelmi in Oberried, ubi post initia sec. XIV. Ioannes abbas in Tennibach anniversaria funebria fundavit pro Cunone de Valckenstein. Valckensteinii passim testes occurrunt in chartis Friburgi; fuitque an. 1320. Lanz de Valckenstein a magistratu Friburg. legatus missus ad abbatem S. Blasii. Ioannes vero de Valckenstein Rumonis filius obsidem se scripsit pro abbate S. Blasii an. 1335. An. 1378. Ioannes de Valckenstein præfectus in Krenchingen sigillum suum chartæ adposuit falconem, alii ad finem seculi capricornum. Qui ex hac familia castrum huius nominis in colle Falckensteig ad fauces Nigræ silvæ inter Höll & Himmelreich versus Brisgoiæ amœnissimam planitiem utrinque montibus Nigræ conclusam tenebant, solebant Friburgi habitare. Ex his quum an. 1390. Wernerus de Valckenstein Friburgensem incolam captum e rupe castri Valckenstein præ-

cipi-

cipitasset, cives captum castrum exusserunt, cuius tunc domini erant præter Wernerum Clein Cunen de Valckenstein, frater Werneri Cunlin & Thomas de Valckenstein miles & civis de Friburg, Iacobi equitis filius, Dietrich eques, & Hans de Valckenstein. Ex his Werner Dietrich & Cunlin in carcerem coniecti a Friburgensibus urphedam dederunt anno 1391. quo etiam res composita est interventu Henrici equitis & Ioannis de Blumeneck fratrum, ut ex chartis urbis Friburg. constat. SECULUM XIV.

Comitum de Sulz iam iniecta est mentio, iudicii aulici Rotwilensis præfectorum: qua prærogativa apud P. Herrgott in Cod. probat. Geneal. Habsb. a) ad an. 1300. legitur: *Ich grav Hermann von Sulz der hofrichter mines herren des Romischen Kiniges Albrechtes.* Ad an. 1355. 1357. & 1359. legitur: *Ich Conrat von Wartenberg ein Fry hofrichter von mins gnedigen Herrn des Römischen Keisers Karlen gewalt an finer statt uf finem hofe ze Rotwil tun künde &c.* Sic Oswaldus de Wartenberg an. 1360. confirmat contractum inter Hermannum ducem de Tecke & monasterium Alpersbacense. Apud P. Herrgott legitur ad an. 1382. *Ich Oswald von Wartenberg ein Frye hofrichter an Stath und in nammen grafen Rudolfs von Sulz.* Idem apud eundem inter testes notatur b) in charta an. 1393. Ad an. 1401. reperi chartam hoc exordio: *Ich Egloff von Wartenberg genant von Wildenstein Fry hofrichter an statt und Namen des edlen Grave Rudolf von Sulz.* Passim comites de Sulz dominos se in chartis appellant in Wildeck, quod vicinum vico Göffingen dicitur in charta an. 1311. fratrum Hermanni & Alwig, quæ eadem nomina fratrum in chartis an. 1354. & 1355. occurrunt cum fratre item Rudolpho.

a) T. II. P. II. pag. 740.

b) pag. 141.

Ad finem vergente sec. XIII. comitatus Sulz ad dominos de Geroldseck transierat, se subscribere solitos passim in chartis dominos in Sulz Alberto Argent. ad an. 1347. perhibente c) *cum ingressi fuissent Stephanus* (teste Io. Vitodur ad eumdem annum, dux Sueviæ) *filius Ludovici principis* (Bavari) *& omnes civitates Sueviæ cum eo iuxta Zolre animo invadendi barones, quorum octodecim priori anno in Oberndorf ducis de Decke coniuraverant, & qui Carolum electum dicebantur fovere: oppidum Hechingen comitis de Zolre vacuum invenerunt, quod quibusdam pactis non fregerunt. Volentibus autem eis obsidere oppidum Sulz Walthери de Geroldsecke servitoris & consanguinei comitum de Wirtenberg, iidem comites quamvis essent præsides principis asserentes hæc sive eorum consilio incboata, restiterunt, quibus & eidem Walthero tanta affluxit nobilium multitudo in auxilium, quod civitates Sueviæ recesserunt de campo.* Wal-

c) pag. 83.

SECULUM XIV.

teri nomen fuit in familia de Geroldseck veluti gentilitium in ea præsertim linea, cui ex divisione post mortem Walteri I. Hohengeroldseck & Sulz obtigit, iterum ineunte seculo XIV. subdivisa. Ipsa Sulzensis linea, postquam post tres generationes indivisa fuisset, in Walteri I. filio Hamano, & Waltero II. nepote post quatuor Walteri huius filios Hamannum II. Conradum I. Henricum I. & Walterum III. dispesci cœpit vergente ad finem sec. XIV. ut in actis Acad. Palat. legitur a).

a) *Vol. IV. p. 291. &c.*

Eadem fuit debitorum scilicet cumulatorum causa, cur Wolfius comes Ebersteinensis partem comitatus Rudolpho VII. Badensi an. 1387. venderet, ut apud Schœpfl. in histor. Bad. b) legere est. In transactione Georgium inter & Henricum de Geroldseck an. 1370. facta inter primos Nigræ etiam Silvæ dynastas, occurrunt Wilhelmus senior & iunior de Eberstein inter instrumenta historiæ Geroldseckianæ num. 27. c) & mox sequenti eiusdem anni Ioannes de Schwarzenberg d) nobilis in Brisgoia Nigrasilvana familiæ dictæ a castro, cuius etiam nunc rudera prope oppidum Waldkyrch cernuntur, perinde ac castri Castelberg feudi Habsburgici eiusdem familiæ Schwarzenbergicæ. Ioannes de Schwarzenberg an. 1370. vadem se præstitit pro Henrico & Georgio de Hohengeroldseck in transactione pacis castrensis cum Hugone comite de Fürstenberg & Waltero von der Dicke, ob duo item, quæ in communi tenebant, castra Hohengeroldseck & Schiltach. Sigillum huius familiæ exprimitur in instrumento an. 1300. eiusdem historiæ Geroldseckianæ, in quo Ioannes & Wilhelmus de Schwarzenberg testes notantur in litteris reconciliatoriis inter Egonem & filium Conradum comites & cives urbis Friburgensis, quos inter hoc etiamnum seculo crebræ exarserunt pugnæ, ut passim alibi etiam in Nigra silva nostra. Articulatim describit Trithemius in chron. Hirsaug. bellum, quod comites inter de Wirtenberg & Eberstein intercessit an. 1367. in pago Nigræ silvæ *Wiringoe*, cœptum ad balneum ferinum vulgo Wildbad; rationem reddit ibidem Trithemius, quare hoc bellum vulgariter dictum sit der Schlegelkrieg.

b) *T. II. pag. 128.*

c) *p. 75. &c.*

d) *p. 79. &c.*

Anno 1395. perinde nomen der Schlegelbund accepit mutuum fœdus adversus societatem nobilium Heidelbergæ initum inter Conradum Moguntinum electorem, Rupertum seniorem comitem Palatinum, Nicolaum Spirensem episc. & Bernardum Badensem, cui Leopoldus Austriæ dux, Eberhardus Wirtembergæ comes, pluresque Sueviæ civitates accesserunt Pforzhemii, limite Nigræ silvæ, ubi sec. XIV. Rudolphina Badensium familia resedit, dum Rudolphus IV. in divisione terrarum cum Friderico II. fratre suscepta, principatus sui sedem Pforzhemii accepit, *marchio*

Pforz-

Pforzheimensis adpellatus, vel *Badensis dictus de Pforzheim*, ut apud Schœpflinum a) videre est. Apud P. Herrgott legitur charta N. 898. an. 1397. qua Bernardus marchio Badensis consentit in arbitros, qui dissidia, inter se suosque subditos & officiales Austriacos in comitatu Hohenbergensi, Horwe, & Rotenburgi nominatim orta, amice componant. Badensium porro marchionum ditiones in Nigra silva potissimum in marchionatu Hachbergensi sese protendebant Landgraviatuque Brisgoico, quem an. 1318. Henricus marchio Conrado & Friderico fratribus comitibus Friburgensibus oppignoravit. Extant etiam rudera castri Susenberg haud procul Kandra in aditu Nigræ silvæ Basileam versus in superiore Brisgoia. Brisgoiæ Landgrafium Schœpflinus in histor. Badens. an. 1315. b) notat Henricum & postea Rudolphum & Ottonem marchiones de Hachberg & dominos in Rœtelen. Ottone defuncto an. 1383. graves postea Rudolpho superstiti cum Henrico de Furstenberg fuere lites, marchione per iudicium Rottwilense immisso in Fürstenbergica bona Gussing, Lœffing, & Neustadt. Rebus postea compositis Verena Rudolphi filia Henrici filio Henrico nuptui data.

SECULUM XIV.

a) *Hist. Bad. lib. IV. c. 3.*

b) *T. I. pag. 380.*

Iam superiore libro ortum nexumque comitum de Friburg cum comitibus de Furstenberg a Rudolpho I. R. R. Landgraviatu Barensi auctis ostendimus. Ipsa Furstenbergica domus in partes abierat Egone seu Egenone familiam Haslacensem constituente in Nigra itidem Silva, ubi eius filio Gothofredo seu Goezoni an. 1321. hypotheca Tribergensis accessit. Chartam huius Gothofredi reperi in Urselingen an. 1334. datam, in qua patris sui Egenonis hypothecæ aliam addit Dietrico de Bern factam super castrum Bern, quod postea an. 1355. Henricus & Hugo filii eidem Dietrico tradiderunt. Ioannes III. qui in charta Alpersbac. monasterii 1346. legitur filius Hugonis & Adelheide de Krenckingen postremus stirpis, apud Sempach an. 1386. occubuit: unde Haslachum ad principem familiam Landgraviorum de Furstenberg rediit Henrico IV. Landgravio, cuius avus Henricus II. uxorio nomine dynastias Hausen & Wartenberg acquisivit. Primus is titulum Landgravii gessisse legitur an. 1318. primusque post mortem an. 1337. ut habet epitaphium, in parthenone Neidingen cum Conrado filio an. 1370. mortuo sepultus, ubi sororem Martham, filiam Verenam habuit moniales, & neptem Annam Priorissam, cuius soror Adelhaid monialis in Amptenhausen fuit ad finem vergente seculo XIV. eo ineunte vero Clara ad S. Claram Friburgi, ubi eius frater Egonis IV. filius Conradus II. & Fridericus II. Conradi filius sunt sepulti; apud Dominicanos vero Friderici frater Egon V. in Badenwiler filius Conradi II.

SECULUM XIV.

Sunt hi comites de Friburg, qui ſibi imprimis connubiis cum Hachbergicis marchionibus conſuluerunt. Cum urbe Friburgenſi tamen paſſim conflictati, belliſque impliciti imprimis an. 1364. fœderatis dynaſtis Nigraſilvanis de Uſenberg, Geroldseck, Schwarzenberg & Staufen, donec tandem an. 1368. comites libertatem urbi mille quingentis marcis argenti vendiderunt, ut apud Schœpflinum in hiſtoria, codiceque diplom. Badenſi ch. 286. &c. a) legere eſt. Supra p. 14. & 22. retulimus, quæ ſec. XIII. acta ſint de Badenwiler, ubi hodie ampliſſima magnificarum Romanoque nomine dignarum thermarum rudera effoſſa comparent, quin ulla unquam balneorum ibidem hodieque exiſtentium, aquis ſuapte natura tepidis, in emtionibus, & venditionibus caſtri & dynaſtiæ Badenwillanæ mentio fiat, etiam in recenſu iurium & utilitatum caſtri & dynaſtiæ huius, quæ articulatim notantur in inſtrumento an. 1368. quo a Conrado comite de Furſtenberg, illiusque cognato Henrico domino in Furſtenberg (poſtquam arx & dynaſtia Badenwillana ex hereditate Strasbergica, ad quam familiam per Margaretham filiam Henrici de Friburg devoluta, devenerat ad Furſtenbergicos) urbis Friburgenſis cives iterum reſignarunt redemtam Eginoni comiti de Friburg, cuius in eccleſia Badenwillana hodieque extat lapis ſepulcralis annum obitus 1385. deſignans apud Schœpflinum b), qui paullo poſt perhibet, Conradum III. Eginonis IV. filium comitem & Landgravium Briſgoiæ an. 1397. caſtrum ſuum Badenwiler Rudolpho & Heſſoni marchionibus de Hachberg, ut & Conrado comiti Tubing. domino in Liechtenegge tradidiſſe, mutuam pecuniam ut ab eis acciperet: qua reddita ipſe eiusque heredes recepturi ſint arcem, quæ vergente ſeculo ad Leopoldum Auſtriæ ducem pervenit cum urbe cuius nobiles cives an. 1370. ſocietatem in gratiam Alberti & Leopoldi Auſtr. inierunt, ut charta archivii Friburg. nos docebit. Iterum ſequenti ſeculo reddita Ioanni ultimo ſurculo ſtirpis comitum de Friburg, uti deinceps etiam ſunt compellati, poſtquam iam an. 1368. ut vidimus, pro civitate Friburgenſi dynaſtia Badenwillana Eginoni IV. eſſet tradita. In excutiendo dominatu Furſtenbergicorum comitum eiusdem cum Friburgenſibus proſapiæ exemplum iam præierat urbs Villinga an. 1324. ſeſe redimendo a Götz, ſeu Gotfrido & Ioanne filiis Egonis III. ſatoris lineæ Haslacenſis, quæ ditio Haslacenſis poſt mortem Ioannis ad imperium rediit cum conſenſu domini directi epiſcopi Argentoratenſis, an. 1389. reſtituta Henrico IV. eo feudali nexu, quo adhuc obnoxia eſt eccleſiæ Argentoratenſi, quum iam an. 1303. Friderici I. comitis vidua Adelhaidis, per quam ditio Wolfacenſis Furſtenbergicis obtigit, Friderico epiſcopo Argent. dynaſtias Furſtenegg & Oberkirch vendidiſſet.

a) T. V. pag. 486.

b) Hiſt. Bad. T. I. p. 255.

Floret

Floret hodie in Nigra silva illustris familia, enata sec. XIV. ex scultetis oppidi Oberkyrch a): ex quibus primus ad finem seculi XIV. Obrecht Schultheiss de Neuenstein notatur, quum iam eo ineunte alter ramus Robart de Ullenburg effloruisset. Exorta autem an. 1479. inter Albertum & Gebhardum de Neuenstein ob hæc nomina lite, per arbitros pronunciatum est, unam Robart & Schultheiss eamdemque esse familiam. Idem pronunciatum est an. 1529. ob eamdem caussam nexumque feudatarium, quo olim obnoxii erant comitibus de Friburg, episcopis postea Argentoratensibus, comitibus de Eberstein, de Lupfen, marchionibus de Baden, comitibus de Pappenheim ob feuda in Landgraviatu Stuhlingano, principatus hodie Furstenbergici, quam apud aulam dudum meruerunt Neuensteinii pater & filius Carolus Fidelis de Neuenstein, cuius frater Ioan. Nepomucenus officio magni decani in Ducali monasterio Campidonensi fungitur, soror vero M. Iosepha abbatissa est principalis collegii Obermunster Ratisbonæ.

SECULUM XIV.

a) *Vid. Schœpflinus Alsat. illustr. T. II. p. 711.*

Circa medium sec. XIV. fertur prima pulveris tormentarii tormentorumque bellicorum inventio Friburgi Brisgoiæ esse facta per monachum quemdam seu religiosum Franciscanum Bertoldum Schwarz. Inventorem Bertoldum an. 1388. a Wenceslao R. R. supplicio affectum volunt nonnulli cum Crusio in annal. Sueviæ b), qui c. 9. Bombardarum apud Augustanos primam mentionem occurrere ad an. 1372. primumque c. 12. missilium eiuscemodi usum in Wirtembergia an. 1378. statuit, ac Ioannem Aroviensem tria tormenta ænea Augustæ fecisse in atrio Ulrichiano: quorum maximum torqueret globum ferreum 127. librarum, alterum 70. minimum 50. librarum ad spatium mille passuum.

b) *L. V. P. III. c. 13.*

Affert Adelzreiter ex archivio Bavarico tabulas testes, Austriacis anno 1330. Villingam urbem beneficiario iure possidendam esse concessam, quam vidimus comitibus Furstenbergicis obnoxiam, donec ære suo perinde ac Friburgum Brisgoiæ redemta Austriacis se submitteret principibus. Ioan. Vitoduranus c) atrocia narrat, quæ obvenerunt civibus Villinganis mala tempore Ioannis XXII. P. a comitibus in Furstenberg Haslacensibus.

c) *pag. 33.*

Ad nos etiam pertinet, quod an. 1342. gestum narrat d) a civibus de Waltshut, *unacum Silvanis & civibus de Balneis, dum suburbia castelli Klingnou, ob iniuriam quamdam eis a diœcesano possessore castelli illatam in cinerem & favillam penitus redegerunt.* Ad an. 1343. e) maximam Rheni inundationem notat, quæ de Laufenburg oppido *fere duodecim domos cum pontis abstractione abduxit; insuper*, pergit, *ultra mu-*

d) *L. c. p. 63.*

e) *pag. 66.*

SECULUM XIV.

muros oppidi Sekkingen influens rapidiſſime, habitatores univerſos fere eius excluſit & effugavit cum pluribus etiam domibus, quas miſerabiliter diſſipando, & a locis ſuis avellendo abduxit. Subſtitit integro hoc adhuc ſec. XIV. linea Habsburgo - Laufenburgica uſque ad an. 1408. quo Ioannes IV. ultimus huius ſtirpis defunctus eſt, poſtquam iam an. 1386. civitatem cum comitatu a Ioanne III. emerat Lupoldus eodem adhuc anno apud Sempach infeliciter occumbens. Manſit tamen adhuc apud ſuperſtitem lineam Laufenburgicam feudi loco dynaſtia Laufenburgica atque etiam Seconienſis, ut apud P. Herrgott in Geneal. Habsb. a) notatur. In tractu hoc urbium ſilveſtrium ad Rhenum nobiles de Howenſtein, ſeu Hauenſtein, non confundendi cum cognominibus ad montem Hauenſtein in Helvetia „ occurrunt in chartis ſec. hoc XIV. iamque etiam in monumentis San - Blaſianis ſec. XIII. Quo quidem anno 1272. Rudolphus comes de Habsburg, Meinhardo comiti Tyrolenſi fideiuſſorem obtulit Henricum de Owenſtein, de quo quidem haud contenderim: certe tamen ad Nigraſilvanos pertinet Ulricus de Howenſtein miles, qui Wernerum & Henricum de Howenſtein fratres unacum earumdem ſorore ita adhibuit, ut emptionis tabulas ratas haberent apud Laufenberg in loco, qui dicitur Verlisburch an. 1289. Anno 1304. Ioannes & Ulricus de Howenſtein fratres motam inter eos & S. Blaſii cœnobium litem amice demum compoſuerunt feria V. poſt feſtum S. Iacobi, ut charta autographa appenſo ſigillo docet: ubi in averſa autographi parte manu coæva hæc leguntur: *littera domini Ioannis militis dicti Spivertil ſuper caſtro ſuo Howenſtein.* Paſſim in necrologiis San - Blaſianis familia dicta de hoc caſtro notatur. An. 1356. Ioannes de Howenſtein eques anniverſarium ſibi ſtatuit in eccleſia Seggingenſi ad diem ſecundam Ianuarii celebrandum: ubi porro in feſto S. Petri Cœleſtini quot annis anniverſaria funebria peraguntur Rudolpho de Howenſtein.

a) *T. I. lib. I. c. 12.*

Legitur apud Bolland. b) epiſtola Fr. Ioan. Brandenberg canonici Seconienſis, in qua dicitur circ. an. 1330. templum & monaſterium S. Fridolini conflagraſſe, ac annis ſequentibus eo ſe Albertum Auſt. Rom. regem cum pluribus imperii principibus contuliſſe, quo cladem incendii arbitraretur. Eſt a meis ſodalibus in Pinacotheca Auſtr. animadverſum, confundi hic tempora cum re ipſa, incendio nimirum an. 1272., quod ſuperiore libro commemoravimus, ſacraque ex illo S. Fridolini lipſana erepta; ex quibus pars an. 1357. Rudolpho archiduci fuit donata a Margaretha de Grynnenberg abbatiſſa monaſterii Seconienſis. Apud Bruſchium Annæ a Weſſemburg abb. an. 1306. defunctæ, Eliſabetha de Buſnang, princeps &

b) *Ad d. VI. Mart.*

& matertera Alberti R. R. fubftituitur, quæ an. 1307. & 1316. præfuerit: poft eamque Agnes de Brandis, quæ an. 1343. novum templum Seconienfe, magnificum equidem in honorem fanctorum Fridolini & Hilarii conftruxerit, præfueritque etiamnum an. 1349. & poft eam Anna comitiffa Tulenfis defuncta in die S. Galli anno D. 1356. tum Margaretha de Buffenang, & demum Margaretha Grunenberg, quam modo memoravimus, an. 1357. reliquias S. Fridolini Rudolpho archiduci flagitanti donaffe, ut ex authenticis palam fit tabulis ad ipfas facras reliquias repofitis, iterumque Viennæ recognitis, cum pars reliquiarum inde levata ad novam monafterii S. Blafii ecclefiam transferretur an. 1780.

Illuftri B. de Zurlauben in acceptis refero chartæ, quæ fervatur in fcriniis regalis olim abbatiæ in Kœnigsfelden notitiam, qua *Adelheidis de Kaiferftul, canonica ecclefiæ fecularis Secconienfis Conftantienfis diœcefis teftatam* facit factam an. 1307. decimarum, quas Arnoldus dictus Trutman de Berona ab ecclefia Secconenfi iure hereditario emphiteutico poffederat, refignationem filio eius Marquardo, appenfo figillo *vener. dominæ Elizabeth* de Buffinanch, Dei gratia abbatiffæ ecclefiæ Secconienfis. An. 1321. Adelaidis abbatiffa Secconienfis monafterio in Kœnigsfelden tabulas venditionis decimarum in Tottnickon &c. confignavit. Ad nos propius attinet charta eiusdem monafterii in Kœnigsfelden, qua *frater Mangoldus de Nellenburg, vices gerens per Alemanniam fuperiorem Prioris Hofpitalis S. Ioannis Ierofolymitani* notum facit, *quod caufa mota inter fereniffimam dominam Agnetem reginam, nec non monafterium in Chungsvelt, ac commendatorem domus in Chlingnowe, fub conceffione curtis ze Togren, omnes commendatores in confilio Bafileæ habito unanimiter confuluerunt, ut prædictam curtim prædicto monafterio collocarent.* Edimus chartam datam *ze Waldshut* die lunæ proximo ante feftum nativitatis B. M. V. qua Scultetus & cives Waldshutani declarant, a Ioan. Wolen cive *ze Waldshut*, habitante *ze Loffenberg*, & illius uxore villam Togern, quam tenebat a domo equeftri *ze Klingnow*, fuiffe venditam abbatiffæ & conventui *von Kungsvelt*. Teftes fubfcribunt *Her Iohans von Wefenberg Ritter, her hans Caplan unfer gnedige Vrowen von Ungern, Iohans Bilgrin, burger von Zurich, Iohans und Peter de Munchingen*, quæ nobilis familia in Waldshut habitabat, paffim apud P. Herrgott in codice probat. Geneal. Habsburg. notata, uti etiam equeftris de Weffenberg & de Honfteten, ex qua Ioannes ultimus eft inter teftes memoratæ chartæ munitæ figillo civium Waldishutanorum, ubi, ac in Laufenburg fedem etiam habuerunt nobiles de Wolen, Wollon, Wollun ex Argovia inferiori oriundi, ubi eft

paro-

SECULUM XIV.

parochia eius nominis; fueruntque aliquando ministeriales comitum de Habsburg, postea possessores arcis Habsburg; quam Henricus an. 1415. Bernatibus Argoviam invadentibus cessit. Familia hæc in actis Murensibus celebratur, atque occurrit apud citatum P. Herrgott ab anno 1227. usque 1329. Villam Togern a Ioanne de Wolen monasterio Kœnigsfeldensi venditam, eodem anno inter manus abbatissæ & conventus collocavit Cligno-vii frater Rudolphus de Buttikon commendator, & fratres domus Chlingenowe ord. S. Ioannis Hierosol. Acta sunt hæc in mense Septembri & Decembri anni 1335. dum iam mense Maio Ioannes de Wolen *ze Loffenberg gesessen*, chyrographum dedisset Wernero scribæ, *dem Schriber*, in Waldshut pro debito 50. librarum, oppignorata curte, quam a memorata Agnete regina in Togern possidebat. In appendice libri singularis *de translatis Habsburgo-Austriacorum principum cadaveribus ex ecclesia cathedrali Basileensi, & monasterio Kœnigsfeldensi in Helvetia ad conditorium novum monasterii S. Blasii* edidimus chronicon Kœnigsfeldense transscriptum a *Clewi Fryger von Walzhuot lermeyster*, quem fuisse curatorem bonorum monasterii Kœnigsfeldensis ad litus Nigrasilvanum in Waldshut coniicere licet. Iam notavimus in memorato libro singulari a) diploma Friderici & Leopoldi ducum Austriæ, quo claustro Kœnigsfeldensi ius patronatus ecclesiæ inferioris in Waldshut donant b); dotem vero ecclesiæ in Staufen, & curiam in Rheinfelden in litteris fundationis an. 1311. exprimit Elisabetha vidua Alberti R. R. eo loci a parricidis occisi 1309. c) quæve causa fuit constituendi monasterii.

a) *pag.* 142.

b) *Apud Senckenberg. Selecta iuris T. IV. p.* 233.

c) *pag.* 141.

Metropolis Moguntina.

VII. Status Hierarchicus Nigræ silvæ, ad quem iam propius instituto nostro progredimur, admodum fuit turbatus sec. XIV. collisusque cum politico, quod metropolim imprimis sedem Moguntinam attinet. Narrat Volcmarus coævus scriptor apud Oefelium d), principes quosdam videlicet episcopum Coloniensem, episcopum Moguntinum, ducem Bavariæ & quosdam alios quasdam munitiones sibi convenientes, vel suis provinciis adiacentes suo coniunxisse dominio tempore Adolphi regis, has vero repetiisse Albertum. Iam an. 1300. telonia ad Rhenum revocaverat, detrectantesque ac primum quidem, Gerhardum II. Moguntinum bello petiit, quod pluribus explicatur P. II. Chron. Colmar. apud Urstisium e), paucis vero laudatus Volcmarus memorat civitatem Bingam Albertum impugnasse pariter & expugnasse, & alias munitiones regni manu valida repetiisse & resumsisse.

d) *Tom. II. Script. R. B. pag.* 538.

e) *pag.* 61.

Mortuo interea temporis an. 1305. Gerhardo an. 1306. Petrus ex episcopo Basileensi ad Moguntinam sedem translatus fuit Henrico VII.

cuius

cuius aliquando medicus fuerat, gratus, pius ac doctus, officio recte perfunctus. Synodum ab eo an. 1312. in causa Templariorum celebratam iam memoravimus. In altera an. 1316. celebrata egregias constitutiones pro reformatione status monastici fecit encyclicis editis, quæ extant T. IV. Conc. Germ. a). SECULUM XIV.

a) pag. 259.

Dum an. 1318. de episcopo Constantiensi eligendo ageretur, *& spes esset*, utor verbis Alberti Argentinensis b), *de Mathia, custode monasterii Morbacensis, ordinis S. Benedicti Basileensis diœcesis fratre Hugonis comitis de Buchecke, servitoris Roberti regis Siciliæ post exclusionem electorum promovendo: ecce moritur Petrus archiepiscopus Moguntinensis. Quo intellecto in curia, Ioannes papa, ad preces prædicti Roberti regis Siciliæ, ob servitia prædicti Hugonis eidem Mathiæ de Buchecke, dilecto etiam ducibus Austriæ, de Moguntinensi archiepiscopatu providit.* Prout res in gestis Balduini de Luczenburg, fratris Henrici VII. Imp. narratur lib. I. c. 4. apud Baluzium c), defuncto Petro, *Moguntinense capitulum venit ad dominum Baldewinum totaliter congregatum, & ad sanctam Moguntinensem sedem in capitulo concorditer ipsum postulaverunt. Et ecce non post multum temporis intervallum venit quidam nigrorum de ordine monachorum Matthias nomine electus & confirmatus a papa in archiepiscopum Moguntinensem destinatus, qui se omnimode in domini Baldewini gratiam donavit, electionem domini Ludovici regis per dominum Baldewinum adprobavit, & cum illo sibi utiliter conspiravit. Unde dominus Baldewinus ipsum a capitulo in archiepiscopum receptari feliciter procuravit, de sua postulatione facta gratiarum multimodas referendo actiones.* Accepit postea Matthias a pontifice coadiutorem Henricum placidum Austriæ ducem & canonicum Moguntinum, at is *resignans postmodum uxorem duxit, & obiit an.* 1327. post infelix prælium Amphingense, in quo cum fratribus captus fuit.

b) pag. 121.

c) T. I. Miscellan. p. 141.

Anno sequenti 1328. etiam Mathias Moguntinus moritur, dumque canonici sodalem Gerlacum eligunt, Ioannes XXII. P. Henricum de Virneburg, æque canonicum opponit, improbata etiam Balduini Trevirensis archiep. postulatione, ut Albertus Argent. perhibet d); Carolum item imperat. *in odium Henrici Moguntini Pragensem episcopum subditum Moguntinensi promoveri in archiepiscopum procuravisse & duos episcopatus in Bohemia sibi subiici, & a Moguntinensis ecclesiæ ditione absolvi, & eidem Pragensi ius coronandi regem Bohemiæ, quod antea habuit Moguntinus concedi, iurans idioma Bohemicum a Germanico distinctum.* Adiecti ei sunt suffraganei Olomucensis episcopus & Litomerinus novus ex

d) pag. 135.

SECULUM XIV.

ord. Præmonſtratenſi; effectu vero caruit, quod Udalricus Onſorg in chron. Bavar. ad an. 1365. apud Oefelium a) teſtatur, imperatorem Carolum obtinuiſſe in Avenione a papa, *quod eccleſias Bambergenſem, Ratisponenſem, & Miſnenſem Urbanus V. ſubiicere deberet archiepiſcopo Pragenſi.*

a) T. I. p. 367.

In paralipomenis rerum memorabilium ad chron. Urſperg. b) refertur, circa hæc tempora Carolum Moguntiæ comitia celebraſſe, aſtitiſſe autem Cunonem de Falckenſtein canonicum Moguntinum cum capitio pretioſo, aureis & ſericis ligaturis conſuto, quod imperator ſuo capiti imponens inquit: *ſumne in capitio Cunonis plus militi quam clerico ſimilis?* Gerlaco autem præcepit, ut clerum reformaret, tolleretque abuſum in veſtibus, calceis, capillis & toto vitæ habitu. Fuit hic Cuno de Falckenſtein unus ex tribus canonicis de capitulo, quibus circa an. 1347. adminiſtrationem Moguntinenſem *de conſilio principis & voluntate Henrici de Virnenburg archiep. Mogunt.* datam Albertus Argent. perhibet c); dumque an. 1348. prior ex illis Conradus de Kirkel, miniſter Moguntinenſis eccleſiæ a Ioanne iuniore comite de Naſſawe multis armatis capitur, Cuno in miniſterio ſubrogatur d); de quo idem plura ad an. 1353. quo ipſo dum ex improviſo moritur Henricus de Virneburg *præfatus de Falckenſtein*, teſte Henrico Rebdorf apud Freherum e), *cum Gerlaco epiſcopo, pertractante hoc rege, concordatur &c.*

b) Add. Piſt. T. II. Script. R. G. p. 896. Tritlhem. in chron. Hirſ.

c) pag. 139.

d) pag. 145.

e) T. I. Script. R. G. p. 639.

Expetebatur nihilominus Cuno de Falckenſtein poſt mortem Gerlaci an. 1371. a parte capituli Moguntini, iam tum archiepiſcopus Trevirenſis, qua vero contentus ſede Moguntinam detrectans Ioanni Luxemburgico Wenceslai R. R. cognato reliquit, hicque dum vix eam tenuit, mortuus an. 1373. Ludovico marchioni Miſnenſi a Gregorio XI. a ſede Bambergenſi in Moguntinam translato *contra dominum Adolphum de Naſſaw*, ſunt verba Martini Fuldenſis apud Eckardum f) *epiſcopum Spirenſem, per collegium Moguntinum ibidem poſtulatum & electum. Quo non obſtante Adolphus prædictus eccleſiam præfatam attemtavit &c.* atque etiam an. 1381. rebus utrimque compoſitis, obtinuit eiusdem item poſt Conradum II. frater Ioannes II. circa finem ſec. XIV.

f) T. I. pag. 1730.

Eccleſ. Conſtantienſis.

VIII. Modo meminimus ex Alberto Argentinenſi, Gerardo de Senar, alii Eberhardum de Bernar nominant, epiſcopo Conſtantienſi mortuo, qui Henrico II. de Klingenberg an. 1306. defuncto ſucceſſerat, electos in diſcordia Henricum de Klingenberg Præpoſitum, & Henricum de Werdenberg canonicos Conſtantienſes in curia Romana litigaſſe: *excluſis autem*, pergit Albertus g), *dictis electis Rudolphus de Monteforti per ipſum*

g) pag. 131.

ipsum papam ad Constantiensem ecclesiam est promotus, cui etiam vacans monasterium S. Galli committitur. Habetur eiusdem convocatio ad synodum dioecesanam an. 1327. a) de qua plura refert Io. Vitoduranus ad eum annum b), & iam antea de turbis c), quas Rudolphus de Hohenberg concitaverat contra Nicolaum de Frauenfeld Rudolphi successorem: *eoquod episcopatum eumdem tam per papam, quam per electionem legitimam canonicorum eiusdem ecclesiæ adeptus fuit, suo filio abiecto domino Alberto, iuris perito egregio, canonico ecclesiæ præfatæ, non propter demerita propria, sed propter tyrannidem patris, quæ vehementer timebatur, & verisimiliter suspicabatur ecclesiæ sæpe dictæ imminere, si filius in electione prævaleret.* Etsi vero specimen quoddam avaritiæ erga religiosos suæ dioeceseos idem Vitoduranus in Nicolao de Frauenfeld referat alicubi d), postea tamen eumdem vicissim laudat ad an. 1343. & 1344. e) *dum contra iura parcitatis & tenacitatis sibi a primordiis nativitatis inditæ, super egenos, qui nimis propter Karistiam, ut supra disserui, tunc in Alemanniæ partibus crudeliter sævientem multiplicati fuerant, pia gestans viscera, misericordiæ operibus mirabiliter impendebat. &c.*

a) *Tom. IV. Conc. Germ. pag.* 291.
b) *pag.* 28.
c) *pag.* 34.
d) *pag.* 52.
e) *pag.* 72.

Narrat postea ad an. 1345. f) vacasse post mortem Nicolai sedem episcopalem Constantiensem *ultra spacium integrum anni solaris, cum scandalo totius terræ. Nam*, pergit, *decanus eiusdem ecclesiæ & dominus Albertus de Hohenberg contra se in Avenione apud papam Clementem VI. cum multo tædio & dispendio morabantur. Tandem decanus episcopatum obtinuit post graves sumtus & pecuniæ immensas donationes.* Fuit hic Udalricus III. sub quo Constantiæ, ut passim per Europam sec. XIV. dira fuit Iudæorum persecutio, quod inter alios multis locis laudatus Io. Vitoduranus, & Albertus Argentinensis commemorant.

f) *pag.* 78.

Successorem habuit Udalricus III. Ioannem IV. Alberti claudi Austriæ ducis cancellarium, sub quo an. 1352. teste Bucelino in chronol. Constant. Carolus IV. Imp. Constantiam advenit. Ioanne episcopo an. 1356. in suo palatio occiso *per quosdam milites & multis vulneribus confosso*, ut habet chron. Hen. Rebdorf, inducit Leopoldum ex canonico Bambergensi factum episcopum Constantiensem Gallia Christ. ex Hartmanno annalista Einsidlensi. Extat Romæ in bibl. PP. Oratorii Msc. sec. XV. Leopoldi de Bebenburg *De potestate & iurisdictione Electorum sac. Imperii in electione regis Romanorum & de translatione Imperii de Græcis ad Francos.* Eo in codice pag. priori hæc adnotata leguntur: „Ex chronica mona„sterii S. Blasii sub gestis Caroli IV. imperatoris Dominus Balduinus ar-

SECULUM XIV.

„chiepiſcopus Trevirenſis, ad quem D. Leupoldus de Bebenburg hunc „libellum ſcripſit, comes fuit de Lutzelburg, filius ſcilicet dni Hainrici „imperatoris avi Caroli IV. qui eamdem eccleſiam XL. annis, & amplius „laudabiliter rexit, mortuusque fuit menſe Ianuario, anno dni 1354. „Ipſe autem dns Leupoldus primum promotus fuit in epiſcopum Baben-„bergenſem, atque ex poſt menſe Martio II. Nonas anno dni 1357. ei-„dem dno Leupoldo ad petitionem prædicti dni Caroli imperatoris per „dnm Innocentium PP. VI. proviſum fuit de eccleſia Conſtantienſi, „poſteaquam iam vacavit I. anno I. menſe & XVI. diebus per mortem „dni Ioannis Roindlock epiſcopi Conſtantienſis, in palatio ſuo occiſi. „Attamen quomodocumque idem dns Leupoldus poſſeſſionem aſſecutus „non fuit, ſed dns Hainricus de Brandis abbas loci Heremitarum.“

Udalricus nempe immediate poſt Ioannem IV. electus cedere maluit, quam iura cameræ apoſtolicæ ſolvere, Henrico abbate Einſidlenſi in eius locum ſuffecto, ſub quo B. Henricus Suſo ordinis Prædicat. Conſtantia oriundus obiit an. 1365. inter præcipuos theologiæ myſticæ doctores non tam clarus verbo quam factis ſanctitateque vitæ, quam Ulmæ multis annis duxit familiaris imprimis P. Walthero de Bibera, monacho Wiblingenſi.

a) *Tom. IV. p.* 449.

Memoratu item dignum eſt, quod Bulæus in hiſt. univerſ. Pariſ. a) commemorat de Ulrico Conſtantienſi in rectorem univerſitatis Pariſienſis electo an. 1377. gubernante ſub Henrico III. & iterum an. 1384. quo Henricus cathedram nepoti ex fratre Manegoldo abbati Augiæ divitis reliquit, ſed ſchiſmate contendentium Clementis VIII. & Urbani VI. infectam, dum Clemens Manegoldo, Urbanus Nicolao de Riſenburg eam deſtinat, quam poſtea Nicolaus poſt mortem Manegoldi aliquamdiu quietus tenuit, poſtea ſuis exoſus ceſſit Burchardo I. de Howen, matre Uta de Furſtenberg genito, qui non obſtante ſchiſmate, favente Urbano VI. concorditer electus a canonicis fuit.

Spirenſis.

IX. Variæ, quas notavimus in Sede Moguntina viciſſitudines ſec. XIV. ſubinde etiam epiſcopatum Spirenſem attinuerunt. Poſt Sibottonem de Lichtenberg an. 1302. renunciatum epiſcopum, eiusque poſt mortem an. 1314. ſucceſſorem Emichonem de Leuningem Mathias Moguntinus archiepiſcopus fratri ſuo Bertoldo de Bucgecke ordinis Teutonici, equiti & Commendatori *quaſi invito*, ut ſcribit anonymus apud Urſtiſium b) de rebus geſtis huius Bertoldi, epiſcopi paullo poſt Argentinenſis, *cum armatæ militiæ miles ſtrenuus fuerit, per dominum papam de ipſo epiſcopatu*

b) *P. II. pag.* 168.

tu

tu procuraverat provideri. Hic Bertholdus, qui ſemper in ordine vixit egregie, ſibique Baſileæ domum ſui ordinis domui contiguam conſtruxerat ſpecioſam, in qua cogitavit vitam habere quietam cum difficultate & dubio barbam raſit, in vita & aliis, pro epiſcopo ſeſe gerendo. Et ecce Rhenum deſcendens fratrem in Schiltenberg decumbentem invenit. Qui in omni virtute honoris & corporis craſtina nativitatis beatæ Virginis anno Domini 1329. ab hac luce ſubtractus, in medio Moguntinenſis eccleſiæ eſt ſepultus. Hugo autem frater eorum, qui & ipſe interfuit, ad curiam illico eſt profectus. Audita vero morte archiepiſcopi, comes de Wirtemberg & alii barones munitiones eccleſiæ Spirenſis occupantes, eidem Bertholdo, ne epiſcopatum Spirenſem poſſet ingredi, reſtiterunt. Qui Bertholdus diu ſtans in Wormatia ſumtuoſe, ab amicis & aliis extitit deſolatus. Conradus autem de Kirkel, theſaurarius Argentinenſis, ſe de ſeipſo fideliter intromittens, initis cum prædictis baronibus quibusdam compoſitionibus, ipſum Bertholdum ad eccleſiam Spirenſem, & eius munitiones traduxit, promiſſis inter alia domino de Wirtemberg, & poſt Argentinæ ſolutis, marcis mille trecentis.

Bertoldi an. 1329. vel 1330. ſucceſſor Waldramus de Veldentze, cui familia comitum de Wirtemberg eodem teſte a) abb. Argent. auxilio fuit, favore Balduini Trevirenſis & proviſione Ioannis XXII. P. factus epiſcopus, ab eodem Balduino tot epiſcopatuum adminiſtratore an. 1332. obtinuit, ut epiſcopatum tot debitis gravatum ſuſciperet regendum in temporalibus; quem poſt mortem Walrami an. 1336. *a debitorum gravaminibus relevatum, & multum melioratum*, ut ex Baluzio Gallia Chriſtiana adnotavit, *duxit reſignandum*, Gerlacumque ſeu Gerardum eligendum. Sub hoc epiſcopo Spiræ combuſtus eſt an. 1356. pertinax & obſtinatus hæreſiarcha, ut Trithemius in chron. Hirſaug. refert, *ex eorum ſecta, quos Germani Begardos adpellant, nomine Bechtoldus in civitate Spirenſi occulte circuiens & in ſecreto ſimplices docens, varios & abominabiles ſeminavit errores.* Quos ibidem recenſet Trithemius, refertque ad an. 1363. mortem Gerhardi de Erenberg epiſcopi Spirenſis. *Huic*, ſubdit, *electione canonica in epiſcopatu ſucceſſit Lambertus de Buren abbas monaſterii noſtri Ordinis in Gengenbach, Argentinenſis diœceſis, & præfuit annis decem & octo, quibus in pontificatu Spirenſi exactis ad eccleſiam Bambergenſem fuit translatus.* Conſentit chronic. præſulum Spirenſium apud Eccardum b); mox ſequens catalogus eum etiam epiſcopum Brixinenſem fuiſſe c). Spirenſem autem auctoritate factum fuiſſe perhibet Caroli IV. cuius etiam cancellarium fuiſſe chronic. Gengen-

a) *L. c. pag.* 169.

b) *T. II. pag.* 2272.

c) *p.* 2275.

SECULUM XIV.

bacense apud Lunigium a) testatur, a quo res gravissimas imperii administrandas acceperat. Ad Bambergensem ecclesiam auctoritate & mandato Urbani VI. translatum Trithemius memorat ad an. 1381.

a) *Tom. III. Spicil. eccles. p.* 291.

Hoc anno eodem teste post Lamberti huius translationem *Adolphus de Nassau nobili & antiquo comitum genere ortus, Spirensium episcopus ordinatus præfuit annis quindecim, vir & ipse ingenii perspicacis & acuti, qui pro libertate ecclesiastica nonnullas cum civibus suis contentiones habuit, quæ tamen non diu permanserunt, sed interpositione amicorum dissensio ad concordiam pacis revocata fuit.* De hoc Adolpho diximus paullo ante ad sedem etiam Moguntinam assumto. Eiusdem familiæ fuisse Nicolaum Adolphi successorem vult Trithemius; chronicon vero & Catal. episcop. Spirensium apud Eccardum b) eum de Wisbaden nominant. Chronicon illum octo annis habuisse lites perhibet cum Adolpho pro ipsa ecclesia Spirensi, & tandem eam obtinuisse in curia Romana contra præfatum Adolphum: & post hæc septem annos tanquam bonum & providum præsulem gubernasse ecclesiam suam usque ad an. 1396. quo mortuus Rhabanum de Helmstad successorem habuit.

b) *L. c. pag.* 2272. 2275.

Argentoratensis.

X. Ante Bertoldum de Bugecke, quem modo meminimus e sede Spirensi ad Argentoratensem translatum, ab ineunte sec. XIV. præfuit huic ecclesiæ Fridericus I. de Liechtenberg antecessoris sui Conradi frater, quem superiore libro diximus præsente Alberto I. Argentorati electum, præsenteque Gerhardo Moguntino confirmatum ab eodemque consecratum fuisse. Sed an. 1306. in obsidione Friburgensi interfectus episcopatum Ioanni I. reliquit, cuius extat charta an. 1315. in Alsat. diplom. c) qua ecclesiam parochialem S. Nicolai collegiatæ S. Thomæ tradit. Extatque in archivio San-Blasiano charta qua an. 1326. auctoritate pontificia monasterio S. Blasii unit proventus parochiarum in Birmensdorf. Sub eo Argentorati floruit Ludolphus Prior Carthusianus, qui vitam I. Ch. scripsit, commentaria in psalmos edidit, & alia multa, ut de eo Bulæus ad an. 1320. d) refert.

c) *T. II. pag.* 116.

d) *Hist. univ. Paris. T. IV. p.* 186.

De rebus gestis Bertoldi, de quo passim sumus locuti, scribens anonymus testatur e), ei Gebhardum de Friburg Præpositum Argentinensem habentem in se magnam capituli partem, & aspirantem ad episcopatum obstaculum fuisse, sed destitisse a proposito, Bertoldumque anno 1328. iura & muntiones ecclesiæ obtinuisse quiete. Attamen continua fere bella gessit cum comitibus de Wirtemberg, marchionibus de Baden, dominis de Geroldsecke, comitibus de Oetingen, Landgraviis Alsa-

e) *pag.* 110.

Alſatiæ inferioris, ipſo Ludovico Bavaro, cui homagium præſtare detrectabat a): ſimultates etiam cum clero habuit & capitulo Argentoratenſi, captus an. 1337. in villa Haſelach. Ludovicus Bavarus poſtea Columbariam veniens, eum ac Baſileenſem epiſcopum ſuo ſervitio attrahere conatus eſt; Argentinenſis autem congregationem epiſcoporum provinciæ Moguntinæ perſuaſit: quibus Spiræ congregatis fruſtra Henricus Moguntinus eum conciliare Ludovico ſtuduit. Bello idcirco petitus tandem coactus fidem dedit. Multis enarrat Volcmarus apud Oefelium b) ſcriptor coævus, coniurationem factam Argentorati contra Ludovicum, *ut ipſum dolo tenerent & occiderent.* Ludovicum nihilominus damna epiſcopo illata reſarciſſe prodit charta apud eumdem Oefelium c); ſtipulata pecuniæ ſumma, pro qua etiam ſumma pecuniæ, ut habet charta, *eidem epiſcopo ſpectabiles & nobiles viros fideles Fridericum Burggravium de Nurembergh, Gerlacum comitem de Nazzau, Rudolphum ſeniorem de Baden, & Fridericum marchionem de Baden, Bertoldum comitem de Niffen, Rudolphum comitem de Hohenberch, Eberhardum comitem de Geminoponte, & Ulricum comitem de Wirtemberg, Ludovicum de Lichtenberg, Ioannem de Ochſenſtein, Chraftonem & L. de Hohenloch in ſolidum vades dedit.* Propitium is Carolum IV. habuit d), qui eidem an. 1351. Ortenaviam Rudolpho IV. de Baden oppignoratam redimendam conceſſit, ſequenti ſeculo a Guilielmo II. epiſ. cum urbe Argentinenſi bello implicato, ſponte Ruperto cæſari redditam, ut apud Guillimannum notatur e). Floruit ſub eo Thomas Argentinenſis inſignis ordinis Eremitarum S. Auguſtini theologus, imprimis vero celebratiſſimus Ioannes Taulerus ord. Præd. theologiæ myſticæ tunc cum Ioan. Ruysbrockio, quem ſæpe adibat, colebatque ad profectum vitæ interioris, ſtator: quibus Eiſengreinius in catal. f) teſtium veritatis iungit Ioannem Fuſt ord. FF. B. M. de monte Carmeli Priorem Argent. virum eruditione & eloquentia clarum, theologum ſacrarum legum exercitatiſſimum.

Hi omnes fato functi ſunt ſub Bertoldi ſucceſſore Ioanne II. in cuius epiſcopatum, ut Guillimannus memorat g), incidit memorabilis ille terræ motus, quo Baſilea pene tota ſubruta, & Argentinæ quoque haud parva accepta damna an. 1356. feſto die D. Lucæ evang. duravitque per annum pene integrum non eodem tamen tremore & terrore, ut tamen anno ſequenti in feſto S. Sophiæ validius concuſſi Argentoratenſes in campis primum, deinde a magiſtratu revocati in hortis urbis tentoria fixerint ad habitandum. Ioanni II. poſt Ioannem III. ſucceſſit ſupra laudatus Lambertus de Buren, quem ad ſedem Argentoratenſem tranſiiſſe perhibet Gallia Chriſtiana an. 1371. precibus imperatoris, annuente Gregorio P.

Ut

SECULUM XIV.

a) *pag.* 172.

b) *T. II. Scriptor. R. B. p.* 551.

c) *T. I. pag.* 772. *&c.*

d) *Alb. Argentin. p.* 179.

e) *De epp. Arg. pag.* 411.

f) *pag.* 142.

g) *l. c. p.* 394.

SECULUM XIV.

Ut adeo (non obſtante ingenti ſec. XIV. contentione nobilitatis Germaniæ, quæ deinceps præbendas cathedrales cum eccleſiis ſibi appropiavit, ceu canonicas) nulla ſit ſedes epiſcopalis, quæ hierarchiam in Nigram ſilvam exerceat, in qua non unus alterque epiſcopus ſec. XIV. ex ordine S. Benedicti fuerit aſſumtus. In eccleſia quidem Argentoratenſi poſt Fridericum II. Lamberti an. 1375. ſucceſſorem Ludovicus ex abbate B. Mariæ Heremitarum ſeu Einſidlenſi (nulla ratione habita translationis Guillelmi electi Ultraiectenſis epiſc. pontificia auctoritate factæ) ad ſedem Argentoratenſem electus eſt a capitulo, ſed quum ad capeſſendam huius eccleſiæ poſſeſſionem in viam ſe dediſſet, repentina morte correptus eſt in arce Felicone, ut ex annal. Herem. notat Gallia Chriſtiana, corrigitque chronologiam, annum ſc. 1402. ſiquidem Guillelmus II. poſt Ludovici mortem & Burchardum II. cedere coactum iam an. 1394. poſſeſſionem cathedræ Argentoratenſis adierit die lunæ 14. Decembr.

Monaſterium Schutteranum.

XI. Tria ſunt diœceſis Argentoratenſis monaſteria, quæ Nigram ſilvam noſtram propius attinent, ad eius confinia ſita: ex quibus Schutteranum, quidquid aſperum & nemoroſum olim habuit medium inter duo reliqua Gengenbacenſe & Ettenheimenſe, dudum depoſuit, ridetque inter amœniſſima Ortenaviæ prata. Meminimus ſuperiore libro Rudolphi II. huius monaſterii abbatis, qui ſe an. 1300. in die palmarum abdicavit proprietate quarumdam perſonarum, quas reſignavit Bertoldo abbati S. Georgii. Apud Schannatum in Vindemiis litterariis legitur inſtrumentum transactionis an. 1304. a) inter monaſterium Schutteranum & oppidanos de Kenzingen & Endingen ratione damni illati lapideo Offonis ſepulcro, per arbitros nobiles Henricum marchionem de Hochberg, & dominum Walterum de Geroldzeck. Sub eo an. 1305. lites inter monaſteria Schuteranum & Alpersbacenſe compoſitæ ſunt. Obiiſſe dicitur Rudolphus abbas IV. Idus Martii an. 1324. ſucceſſiſſeque Leutfridum, *ſub quo Cunradus, comes de Haburg*, ut in citato chronico legitur, *& ſui hæredes iurant promiſſione fideli non moleſtare abbatem in curia & parochia Wiprechtzkyrch anno* 1327. *Eodem tempore fuerunt domini conſanguinei de Claromonte, qui vocabantur comites Friburgenſes.*

a) *Collect. I. p.* 22.

Sequitur deſolatio monaſterii Schuttern deſcripta ex libello pontifici oblato pro unione eccleſiæ parochialis in Kondringen, ubi habetur b), *quod Schutteranum monaſterium propter diſcordias & incurſus hoſtiles nobilium & potentum, diverſorum etiam raptorum, & perſecutorum præcipue fautorum Ludovici de Bavaria damnati, adeo attenuatum exiſtat in ſubſtantia uſque ad penuriam cedroſam, quod dicti abbas & conventus* de-

b) *pag.* 23.

devenerunt in pulverem paupertatis, nec habent unde valeant sustentari, dicunturque ex nimia necessitate coacti, monasterio derelicto, per alienas partes miserabiliter mendicare: quare supplicant Ioanni papæ XXII. pro Krondingen incorporando, quod tandem factum est anno 1332. Alias aliarum ecclesiarum incorporationes ab eodem pontifice cum consensu Ioannis episc. Argentoratensis aliunde in hoc monasterium benefici commemorat Fr. Guillimanus de episc. Argentin. a).

SECULUM XIV.

a) pag. 316.

Accessit cumulus miseriæ & ruinæ ex bello Argentinensi anno 1333. cum Waltero de Tuwingen, domino in Geroldsecke, in Swannowe & in Schutera, quique oppidum Erstein tenuit nomine pignoris, quod læsi a Waltero primum expugnarunt Argentinenses, ut perhibet Albertus Argentinensis b). *Ipsi quoque*, pergit, *& episcopus prædictus* (Bertoldus) *item Basileenses & Friburgenses, & omnes civitates imperii harum partium castrum Swannowe fortissimum, & in omni Alemannia, propter nimia mala inde facta, famosum, illico vigorosissime, & cum omnibus paramentis, quæ excogitari quasi poterant, obsederunt, facientes pontem cum navibus ultra Rhenum. Transeuntes quoque de obsidione oppidum Schutter & Solenne monasterium ignis incendio vastaverunt, muris oppidi funditus demolitis: quibus postea reparatis, denuo ab Argentinensibus demoliuntur anno domini* 1334. *in autumno.* Dira hæc fata omnia sustinuit Leutfridus abbas, cui an. 1337. successit Isenbertus, huic an. 1350. Wilhelmus I. deinceps an. 1370. Henricus II. de Luzelburg, an. 1390. Fridericus III. Widergrün de Stauffenberg. Sub Henrico Lambertus, quem paullo ante ex abbate Gengenbacensi inter episcopos Spirenses laudavimus, anno 1386. vero Waltero domino in Geroltzek episcopus Bambergensis advocatiam in Schuttern contulit in feudum, ut legitur in append. hist. Geroltz. c).

b) pag. 172.

c) pag. 89.

XII. Intentatum illud bellum etiam oppidis imperii Offenburg & Gengenbach, ad quæ obsidenda, ut idem Albertus narrare prosequitur d), Bertoldus episc. Argentor. nitebatur exercitum suum traducere Rhenum, funestum esse potuisset monasterio Gengenbacensi, ubi certe ab Argentinensibus eversum fuit & devastatum monasterium inclusarum virginum Deo dicatarum, fundatum prope civitatem Gengenbach a Diethérico abbate. *Walterus dictus de Minzenbach cum consensu Dietrici abbatis in Gengenbach vendit & donat domno Ulrico quondam præposito, nunc autem magistro infirmitorii monasterii S. Georgii, quadam bona ac decimas maiores & minutas in valle Huserbach. Dat. apud S. Georgium fer. III. infra octavam paschæ* 1312. Diethricum seu Theodericum testatur chro-

Gengenbacense.

d) L. c. p. 172.

SECULUM XIV.

nicon monasterii Gengenbacensis apud Lunigium anno 1302. præfuisse (quem tamen iam in charta 1300. notavi) mortuum an. 1323. decima nona Nov. Alberonem autem eius successorem 29. Ian. an. 1329. quo ei Walterus successit: qui in monumentis monasterii S. Georgii compositionem fecisse legitur cum illo monasterio an. 1344. super quibusdam mancipiis. Chronicon annum obitus eius incertum esse dicit, præfuisse autem adhuc an. 1345. & Bertoldum an. 1349.

Huic celebratissimus ille Lambertus de Burn, Wilhelmi de Burn, equitis aurati filius successit: *quem parentes capessendi imperii cultus gratia*, pergit chronicon Gengenbacense, *in hoc monasterium collocarunt, qui postea habitum Benedictinum in Neovillensi cœnobio suscepit, & adeo doctrina & pietate profecit, ut ex eodem loco in abbatem monasterii Gengenbacensis postularetur. Verum hanc dignitatem adeptus, multo maiori diligentia litteris incubuit, atque sua eruditione apud omnes magnum sibi nomen comparavit.* Anno 1357. mancipia quædam monasterii sui Gengenbacensis cum San-Georgiano permutavit, iterumque an. 1372. iam episcopus retenta tunc adhuc abbatia cum Eberhardo abb. S. Georgii. In append. historiæ Geroldseck legitur transactio inter eum & Walterum vocatum de Tuwingen dominum in Geroldzecke, Henricum de Geroldsecke & Georgium fratrem eius an. 1360. a) In tanti viri gratiam edimus ex archivio San-Blasiano Philippi Cavallicensis episc. chartam an. 1360. iussu summi pontificis visitantis eodem anno provincias Trevirensem, Moguntinensem &c. atque adeo monasterium S. Blasii in cella Wittnau *præsentibus venerabili Patre domino Lamberto abbate Gengenbacensi O. S. B. Argentinensis diœcesis &c.* Sedes episcopales Brixinensem, Spirensem, Argentinensem, quas tempore præsertim magni occidentalis schismatis dexterrime rexit præstantissimus vir, iam nominavimus. *Talis enim*, ut habet chronicon Gengenbacense citatum b), erat Lambertus, *ut qualibet ecclesia speraret eum in turbatis illis temporibus non sine fructu.* Addit anno 1374. Anglis in Alsatiam irrumpentibus, atque plurima devastantibus loca pro viribus restitisse Lambertum, atque tandem ut expellerentur effecisse, obiisse autem Bambergæ die 15. Iulii sepultumque Forchthemii prope Bambergam, secus ac Guillimanno visum c), Lambertum ad suum monasterium Gengenbacense se recepisse, & in eo privatam vitam aliquamdiu vixisse, ibique sepultum esse. Lamberto discedente sæpe laudatum chron. Stephanum de Wilsperg substituit successorem in abbatia Gengenbacensi an. 1378. Cui an. 1398. defuncto Conradus de Blumenberg successerit.

a) *Pragmatische Geschichte des Hauses Geroldseck Urkund. pag. 67.*

b) *pag. 291.*

c) *De episcop. Argent. pag. 401.*

XIII.

XIII. Supereſt Ettenheimenſe diœceſis Argentinenſis Nigraſilvanum ord. S. Benedicti monaſterium, cui ad finem ſec. XIII. Nicolaum I. abbatem præfectum iam ſuperiore libro memoravimus. Occurrit is in charta emptionis cuiusdam Silvæ an. 1302. immunitatem item a tributis omnium bonorum in banno Ettenheim a Friderico epiſcopo Argentinenſi certis obtinuiſſe conditionibus an. 1304. itidem charta docet. Emit an. 1311 curiam dominicam in Ringesheim &c. decimas quasdam in Herbolzheim an. 1316. & an. 1318. prædium cum multis bonis in Gravenhauſen. Supereſt adhuc an. 1322.

SECULUM XIV.

Ettenheimenſe.

Quo anno obierit incertum, perinde ac annus, quo ei Heſſo nobilis Alſata de Berlino abbas fuerit ſubſtitutus. Comparet autem an. 1326. in documentis fundationis & dotationis inter vivos Capellaniæ in Ettenheim. An. 1361. emiſſe domum Argentorati legitur, decimas item & alia bona monaſterii S. Trudperti in ditione Gerolzeckenſi an. 1363. Quo anno obierit, ignoratur.

Nicolaum II. ei ſucceſſiſſe documenta teſtantur, qui an. 1368. cum Alberto præpoſito & conventu monaſterii in Yttenwiler ord. S. Auguſt. tractationem iniit decimarum eius loci cauſa. Eodem anno teſte Schœpflino a), Henricus IV. marchio Badenſis cum tribus filiis Ottone, Ioanne & Heſſone, quos ei Anna Burchardi de Uſenberg filia genuit, monaſterio Ettenheimenſi advocatiam vici Minnewilre ſalvo iure reluitionis pro 150. libris denar. Argent. vendidit. Intelligenda eſt advocatia Mynchwyrana, quam Nicolao abb. cum conſenſu Wilhelmi epiſcop. Argentinenſis in hypothecam fuiſſe datam documenta Ettenheimenſia docent. An. 1369. Nicolaus abbas, quo etiam vicum Witelbach emit, cum Ioanne epiſc. Argent. litem compoſuit circa mortuaria hominum ligiorum. Prædium item in Ringelsheim emit an. 1371.

a) *Hiſt. Bad. T. I. p.* 362.

Advocatiam Mynchwyranam marchiones de Hachberg an. 1388. redemerunt ſub Nicolai ſucceſſore Iacobo abbate ex nobili proſapia de Eſchach, quem a venatore quodam ob patratum flagitium comprehendi iuſſo trucidatum perhibent an. 1396. & in eccleſia clauſtrali ſepultum, Laurentium I. vero ſucceſſorem datum.

XIV. Apud Ettenheim Bleicha fluvius diœceſim Argentoratenſem & Conſtantienſem perinde ac Ortenaviam & Briſgoiam diſterminat, ubi primum occurrit monaſterium S. Trudperti, cuius inſignem præſulem Wernerum II. ſuperiore libro laudavimus mortuum an. 1302. eiusque ſucceſſorem Bertoldum anno 1310. Henricum II. an. 1319. cum Keraslito

S. Trudperti monaſterium.

SECULUM XIV.

chronographo domestico, & Bucelino aliquando in eo monasterio novitiorum magistro, tenent San-Trudpertenses, falsi tamen ab an. 1317. usque ad an. 1324. in actis domesticis nomen abbatis non exprimi. Sic etiam desideratur nomen abbatis San-Trudpertini in chartis monasterii S. Blasii an. 1312. & 1323. quarum prima Clemens V. in mandatis dat abbati S. Trudperti, ut bona illicite distracta a monasterio S. Blasii ad illud revocet, in altera vero Ioannes XXII. abbati S. Trudperti idem committit, quod bona a monasterio in Sizenkilch, congregationis San-Blasianæ cella, alienata attinet: qui etiam an. 1326. monitorias dedit ad debitores monasterii in Sizenkilch, ad solvendum iuxta mandata apostolica; quæ chartæ superstites iterum tamen nomine carent abbatis.

Is vero fuit Wernerus III. qui, ut monasterium a continuis advocatorum pressuris liberaret, advocatiam ipsam, qua infeudati erant nobiles de Stauffen, an. 1325. ab eisdem emit. Tempore huius abbatis oppidum Munster conflagrasse creditur in valle situm, monasterium inter S. Trudperti & Staufen, ubi arx eius nomine, a quo dynastæ nobiles nomen acceperunt, quos attinet charta an. 1302. in archiv. episcopi Basileensis Brundruti servata hoc initio: *Diethelmus domicellus de Stofen per me & vice & nomine fratrum & sororum meorum Ioannis videlicet, Wilhelmi, Beatricis, Susanne, Elyzabeth & ... dictæ Stefelin.* In archivio autem civitatis Friburgensis extat charta, qua se an. 1337. Diethelmus de Stoffen fœdere iungit cum urbe Friburg. *Mit Wissen, Gunst, und Willen des edlen mines gnedigen Herren Grafen Cunraz, Herren zu Friburg.* Idem fœdus anno sequenti renovavit *Otte von Stoffen* Diethelmi filius.

Fuit sec. XIV. iam ad finem vergente abbas monasterii S. Trudperti Diethelmus nomine ex prosapia dynastarum de Staufen, qui post Nicolaum ab an. 1363. usque 1383. utilissimus pastor, eamdem sibi laudem conservasset, nisi familiæ suæ ultimo regiminis an. 1410. advocatiam monasterii iterum contulisset. Apud P. Herrgott in cod. probat. Geneal. Habsb. a) legitur charta an. 1386. n. 870. quo Leupoldus dux Austriæ tertius hoc nomine, agnomine Probus, donationem castri Scharffenstein monasterio S. Trudperti a Ioanne de Stouffen & Elisabetha de Thierstein olim factam confirmat. Abbatis nomen in ea non exprimitur, nullum Keraslitus & Bucelinus nobis manifestant ab Henrico II. annoque 1319. usque ad Benedictum, ut ipsi adpellant, nos Diethelmum de Stoufen, quo nomine cum Ioanne S. Blasii abbate ad finiendam controversiam, quæ ob census aliquos inter utrumque monasterium ver-

a) Vol. II. p. 752.

vertebatur, in compromissarium elegit, Diethelmus nempe de Stouffen, Bertoldum de Nüwenfels an. 1395. feria II. ante nativitatem B. M. V. SECULUM XIV.

Neque vero uspiam alibi, ut iam monuimus, nomen abbatis exprimitur in monumentis San-Blasianis chartisque autographis, quæ in gratam Sodalium San-Trudpertinorum memoriam servantur, eiusdem, quod iam commemoravimus, argumenti ex commissione apostolica res tum monasterii S. Blasii cum etiam cellarum eiusdem San-Blasianæ congregationis ab iniustis possessoribus vindicandarum tuendarumque, ut memoravimus, iterumque an. 1347. Clemens VI. demandavit abbati S. Trudperti, ut iniuste a monasterio Sizenkilch alienata restitui faciat. Quamobrem monitorias dedit abbas S. Trudperti an. 1348. quibus ad solutionem sub excommunicatione constringit debitores, quam etiam sententiam excommunicationis reiterat an. 1352. abbas S. Trudperti (quem P. Stanislaus Wülperz vir diligentissimus in epitome rerum San-Blas. Melchiorem adpellat) in Iacobum de Nuwenfels, ob non solutos census monasterio in Sizenkilch. Sic an. 1362. itidem abbas S. Trudperti sub excommunicatione monet debitores præpositurae & cellæ in Berau, anno sequenti ab Urbano V. iussus pariter rebus & iuribus monasterii S. Blasii prospicere, quod unum saltem & præcipuum ipsum congregationis S. Blasii attinens principale monasterium in testificationem grati animi edimus commissorium.

XV. Servantur in archivio S. Blasii aliæ huiusmodi non paucæ chartæ aliis etiam remotioribus abbatibus demandati negotii contra morosos debitores ac invasores iurium monasterii & congregationis S. Blasii. Edimus ipsius Henrici VII. monitorias ad magistratus urbium & oppidorum an. 1309. (quo etiam privilegia antecessorum suorum confirmavit) datas, quandoquidem monasterium S. Blasii insigniter est auctum bonis. Etiamnum superest autographus rotulus anonymus, seu recensus bonorum sub Bertoldo II. abb. comparatorum ab an. 1284. usque ad an. 1308. quousque nimirum abbatiam tenuit. Notatu dignam is constitutionem reliquit pro luminaribus ecclesiæ ardentibus. Superest item eiusdem ætatis recensio censuum, *qui pertinent custodi monasterii S. Blasii, ex quibus idem custos luminaria debet monasterio procurare.* Monasterium S. Blasii.

Haud improbabiliter creditur eius auctor Henricus de Baffendorf, scholasticus & custos id temporis, circa an. 1309. mortuus sub Henrico III. abbate, qui ab anno 1308. usque ad an. 1314. præfuit, successorem nactus Udalricum: cui an. 1315. Lupoldus dux Austriæ, ut apud P. Herr-

SECULUM XIV.

gott a) legere eſt, capellam Novæ cellæ cum prato donavit, cuius cellæ originem & progreſſum anonymus quidam conſcripſit, quam monaſterio Steinenſi primum contulerunt *duo fratres de genere & natione de Tuffenſtein, ſcilicet Hugo & Dietbelmus nomine.* Cuius familiæ iam ſuperiore libro meminimus, affertque citatus P. Herrgott chartam an. 1317. b) qua Ulricus de Tuffenſtein venditionem bonorum monaſterio S. Blaſii factam confirmat. Laudatus vero Lupoldus parochiam in Tottmos, eccleſiam concurſu populorum ad præſentem uſque diem pietate in Deiparam virginem filium e cruce depoſitum geſtantem, frequentatiſſimam S. Blaſio donavit *ob præſtita*, ut habet charta a nobis T. II. Taphographiæ Auſtriacæ in appendice libri ſingularis de cadaveribus principum Auſtriæ in novam cryptam San-Blaſianam ex Helvetia translatorum edita, *Domino Friderico R. R.* fratri ſuo *obſequia*, perinde in monaſterium S. Blaſii benefico anno 1321. Nihilominus in Ludovici Bavari libello primariarum precum & alimoniarum an. 1322. quem Oefelius c) edidit ex regeſto Bertoldi de Tuttlingen notarii regii, legitur: *Item abbati S. Blaſii in Nigra ſilva pro Ulrico dicto Tyrnvogel, notario Wilbelmi comitis de Montfort pro beneficio.* Et mox: *Item abbati S. Blaſii in Nigra ſilva pro Walthero ſacerdote de Schafbuſa pro beneficio, datum in Nwnburch XIII. Kal. Nov. regni noſtri anno octavo;* anno nempe 1321.

a) *Cod. probat. Geneal. Habsburg. Vol. II. p. 605.*

b) *pag. 610.*

c) *T. I. Scriptor. R. B. pag. 736.*

Anno ſequenti monaſterium incendio conflagravit: nempe ut habet autographa deſcriptio: *Anno Domini 1322. venerabili abbate Ulrico huius nominis I. monaſterio præſidente, in vigilia beatorum Apoſtolorum Philippi & Iacobi monaſterio, capella B. M. domo infirmorum, refectorio, coquina, officinis, ſive kemenata domini abbatis, capella S. Benedicti, nec non duabus domibus ignis incendio devaſtatis.* Periit etiam irreparabili Mſſ. codd. damno bibliotheca tot maiorum noſtrorum laboribus tantisque ſumptibus comparata. Ingens hæc & incomparabilis quidem, imprimis vero lugenda fuit diſciplinæ monaſticæ, dum multis annis monachi per extera monaſteria & cellas diſperſi fuerunt, iactura. Litteras commendatitias, quas huius incendii cauſa iam laudatus Leopoldus Auſtr. ad ſummum pontificem dedit, in append. T. II. Taphogr. Auſtriæ edidimus. Videntur etiam nobiles quidam feuda ſua huius damni cauſa monaſterio reſtituiſſe, veluti Diethelmus, & Ioannes de Stofen an. 1328. & iam an. 1327. Ulricus de Goſſove: alii tamen ſerius, veluti Wernerus de Riethen an. 1342. Burchardus de Eſchenz dictus Stahelegg an. 1368. Nicolaus de Elſaſs; alii citius veluti Conradus comes de Schalckingen an. 1321. Fueruntque ab ineunte hoc ſeculo inſignes nobilesque mona-

na-

nasterio S. Blasii nexu feudali obstricti, veluti episcopi Basileenses ineunte seculo ob montem Vellenberg, nobiles item de Klingen, de Ruttikon, Gutenburg, de Nüenfels, de Iestetten, de Fulach, de Kirchaim, de Crozzingen armigeri, & alii complures divites vasalli, qui combusto monasterio auxiliatrices manus præbere potuerunt. Multi certe post incendium monasterio accesserunt benefactores ex vicina præsertim nobilitate, veluti an. 1326. Hugo de Gutenburg, Diethelmus de Krenkingen, Diethelmus de Münchingen miles, Hugo & Eberhardus comites de Lupfen. Henricus & Conradus comites de Furstenberg ius feudale remiserunt prædii in Emmingen, quod unacum decimis Conradus de Gisingen donaverat: ibidemque an. 1331. Bertoldus de Honstetten: an. 1333. Mangoldus de Hornstein: legiturque in veteri anniversariorum rotulo Cal. Oct. notatum anniversarium Hermanni, & Bertoldi de Hornstein.

SECULUM XIV.

Mortuo interim an. 1334. abbate Udalrico Petrus I. eidem eodem anno suffectus nihil antiquius habuit, quam bibliothecæ iacturam resarcire: emebat libros, ubicumque eos invenire poterat, alios commodatos certatim describebant Blasiades, collectionesque plurium voluminum ex scriptis vitisque Patrum imprimis faciebant pro lectione etiam mensali.

Prima pro officio divino fuit cura, ut revocati iterum ex monasteriis exteris monachi eidem vacare possent. Cuius rei etiamnum extant monumenta duo imprimis codices pergameni, quibus *ordo operis Dei* continetur, quo preciosæ reliquiæ ordinis Fructuariensis continentur: sed is forte serius fuit conscriptus a Ioanne Volckio, quem chartæ San-Blasianæ circa an. 1360. cantorem attestantur virum a pietate, doctrina & solertia commendatissimum, qui ætatem in seculum usque decimum quintum traduxit.

Huic coætaneus sub Ioanne abbate vixisse, ad finem adeoque sec. XIV. aut initia sec. XV. se alicubi testatur anonymus S. Blasii, qui veluti post naufragium tabulas colligens libris tribus Constructionum inscriptis, origines monasterii utcumque, profectumque sub prioribus abbatibus ad seculi duodecimi tantum initia, Rustenum inquam abbatem, commentario priori est complexus, addito secundo & tertio libro de venerabilibus pietateque insignibus fratribus S. Blasii. Additur *claustrum animæ cum dispositione officiorum & officialium suorum, secundum quod disponi solet & ordinari claustrum materiale.* Alia quoque eumdem auctorem se scripsisse innuere videtur de Luigarda comitissa de Wirtemberg, ut vocat, moniali in Berau agens: *Sicut*, ait, *lector plenius suo loco*

repe-

SECULUM XIV.

reperiet. Dudum eſt, quod chronicon S. Blaſii aliquando a noſtris Studgardæ viſum in lucem protrahi deſideremus: quæ a noſtris ſuperiore ſeculo ex illo chronico ſunt notata ad verbum propemodum leguntur in chronico, quod apud Schannatum in Vindemiis Litterariis editum eſt ſub nomine chronici Wirtembergici ſec. XV. ad finem, aut initio ſec. XVI. ſcriptum, aut certe compilatum.

Supra notavimus codicem ſec. XV. bibliothecæ PP. Oratorii, in cuius pagina priori hæc leguntur: *Ex chronica monaſterii S. Blaſii ſub geſtis Caroli IV. Imperatoris dominus Balduinus archiepiſcopus Trevirenſis, ad quem dominus Leupoldus de Bebenburg hunc libellum ſcripſit, comes fuit de Luzelburg &c.* Quæ hodie nuſpiam reperiuntur.

Deſideratur item chronicon Ottonis de S. Blaſio hoc ſeculo ſcriptum, a Nauclero & aliis chronographis citatum. *Verum*, inquit Caſparus abb. in lib. Originum, *in ſua chronica de hoc noſtro monaſterio alia non recenſet, niſi primo conſtructionem & dedicationem veteris monaſterii, deinde libertatem ab Ottone I. datam, ſeu quod idem eſt, eius diploma: poſtmodum dedicationem novi monaſterii aliarumque capellarum: denique de hiſtoria abbatum agit, ducto tamen initio a Wernero I. ad reliquos omnes uſque ad Petrum progreditur narrando electionis & mortis cuiuscumque tempora.* Aut ipſe Otto aut alius San-Blaſianus collegit in compendio, quæ ad monaſterium S. Blaſii attinent, in membrana, quæ adhuc ſupereſt: *Inc. IIII. Kl. Aprilis obiit Beringerus Prior. Anno Domini* 1036. *dedicatum eſt vetus monaſterium ſub Beringero Priore.* Finem deinde in Petro I. abbate facit.

At chronicon Ottonis de S. Blaſio a Nauclero & aliis citatum res in orbe geſtas a Chriſto nato uſque ad an. 1332. complectebatur, teſte laudato Caſparo abb. Periit nupero incendio an. 1768. codex pergamenus, quo continebatur *D. Ottonis a S. Blaſio chronica I. omnes ſacræ hiſtoriæ genealogias figuris ab origine orbis uſque ad Timotheum & Titum Pauli diſcipulos continua ſerie diſtinguens.*

Neque hic prætereundus eſt Henricus IV. abbas S. Blaſii, qui Petro I. an. 1348. ſucceſſit, ac ſtatuta reliquit, quæ charitatem in ſuos, diſcretionem item ac ſollicitudinem diſciplinæ regularis ſpirant. Eidem an. 1353. Carolus IV. imp. confirmat diploma Conradi III. pro libertate advocatiæ S. Blaſii, adprobat præterea chartam Henrici IV. imp. ſuper donatione prædii in Schluchſe. Lupoldus item & Albertus Auſtriæ duces opem nobis præſertim annis 1369. 1370. in ditionibus Helveticis præſtiterunt. Dum an. 1356. in die S. Lucæ evang. eccleſia *perma-*

gna

gna parte, ut ex veteri Mſc. chron. epiſcop. Baſileenſis me certiorem reddit illuſt. B. de Zurlauben, *ac altare maius totaliter, & fere tota civitas Baſilienſis per terræ motum horribiliter corruit, Ioannes Senne de Munſingen matre dictus de Buocbeck epiſc. Baſil. maximis laboribus & impenſis fatigiisque operatus eſt, ut eccleſia ſub ſuo regimine fuerit reparata. Cuius altare ſummum ipſe, ſibi aſtantibus epiſcopo Citonenſi* (Sidou) *& abbatibus ſancti Blaſii & Bernwiler* (Benweil) *monaſteriorum Conſtantienſis & Baſilienſis diœceſ. craſtina die S. Io. Baptiſtæ, qui fuit dies dominica anno dni* 1362. *cum devotione eximia reconſecravit: reimpoſitis reliquiis, quæ in ruina altaris per Dei gratiam illæſæ repertæ fuerunt: quæ per Adelberonem epiſcopum, ut ſupra ſcribitur, impoſitæ fuerunt: conſecratione tamen prima per Adelberonem facta tempore S. Henrici Imp.* Abbas S. Blaſii hic indigitatus fuit Henricus IV., cui, dum poſtea infelicia magni ſchiſmatis ingruerunt tempora, a Clemente VII. commiſſum eſt, ut Burchardum de Hewen epiſcopum Conſtantienſem ſuo nomine confirmaret, contra quem Urbanus VI. Nicolaum de Ryſenburg tuebatur; inde factum eſt, ut obtinente Urbano VI. an. 1385. Henricus deponeretur & Conradus Goldaſtus abbas in Stein abbas S. Blaſii nominaretur, qui tamen nunquam in abbatiam admiſſus eſt, mortuo etiam interea temporis Henrico abb. an. 1391. & in eius locum Ioanne I. ſubſtituto: qui dum perinde Clementi VII. adhæreret, novis moliminibus Conradus Goldaſtus abbatiam occupare tentavit, anno ſequenti tamen ſponte ceſſit, conſentiente etiam Burchardo ep. Conſtantienſi.

XV. His temporibus monaſterium Ochſenhuſanum, ita iam rebus auctum, ut cum potioribus Sueviæ cœnobiis contendere poſſet, in abbatiam erectum eſt, favente Bonifacio IX. ſub quo an. 1392. Nicolaus Fabri a fratribus Ochſenhuſanis eſt electus eodemque anno a Burchardo epiſc. Conſtantienſi inauguratus. Fuit is ultimus an. 1389. e S. Blaſio adſcitus Præpoſitus, ſucceſſor P. Henrici Lawin, San-Blaſianis parum, quod domeſtica noſtra prodant monumenta, tunc obmolientibus, qui felici filiæ ſuam perpetuam gratulantur ſortem. *Cellarum congregationis San-Blaſianæ fata.*

Fuit abbatibus S. Blaſii pro incolumitate conſervationeque aliarum ſuæ congregationis cellarum viribus longe imparium ſeculo hoc XIV. ſatis negotii. Monaſterium in Guttnaw mox altero poſt combuſtum monaſterium S. Blaſii anno igne conflagravit, cum monaſteria Burglenſe, Berowienſe, Witnovienſe, Sizenkilchenſe vix e ruinis, quas ſeculo ſuperiore pari ſuſtinuerunt fato, ſurrexiſſent tum matris ſuæ, cum etiam aliis auxiliatricibus manibus.

 Sizen-

SECULUM XIV.

Sizenkilchense monasterium an. 1305. beneficam expertum est Agnetem Austriacam, Alberti R. R. filiam, Andreæ Hungariæ regis viduam. Accesserunt postea Otto & Rudolphus marchiones de Hachberg, ut apud Schœpflinum in cod. diplomat. a) videre est, cui verisimile fit, Ottonem de Hachberg in ea ecclesia sepultum an. 1384. b), quod firmat lapis sepulchralis quatuor super pavimentum eminens basibus, atque etiam, quod ibidem iam an. 1371. cum fratruele Rudolpho anniversarium instituerat, alterum vero an. 1374. Catharina de Thierstein, Rudolphi filia pro nuru sua Adelheida de Lichtenberg.

a) *T. V. pag.* 507.
b) *T. I. pag.* 390.

Monialibus in Berau, ubi an. 1317. Udalricus abb. numerum monialium quadragenarium fixit, beneficum se exhibuit Rudolphus de Hewen an. 1325. & postea Lutoldus de Krenckingen, ubi neptes suæ Agnes & Anna monasticam vitam ducebant, instituitque pro uxore sua Adelhaida de Usenberg anniversarium an. 1353. Anno 1362. Hugo de Griesheim prædium in Bettmaringen tradidit.

Passim etiam his cellis nostris pontificia auctoritate, ut iam exempla dedimus, protectores sunt dati, qui morosos debitores, aut iurium & bonorum invasores ad officium revocarent. Certatim item variarum sedium episcopi indulgentias iis elargiebantur, qui pias aperirent manus, iuvarentque cultum sacrum.

Seculo hoc XIV. monachi ordinis S. Pauli eremitæ fundato primum in terris nostris an. 1349. monasterio Rohrhaldensi, in nostra etiam inter Villingam & Donaueschingen vicinia, ut ad annum 1358. notat in annal. huius ordinis P. Nicolaus Benger c) ab illustrissima familia Fürstenbergica cœnobiale eremitorium in Silva Thannen obtinuerunt, ubi corpus B. fratris conversi Cunonis cognomento silentiarii ab immemorabili tempore devoto fidelium accursu honoratur. Iidem ascetæ ab Henrico IV. abb. S. Blasii an. 1362. locum *ze der wilden Horbe* in nemore Gruenwald suis cum limitibus pro construendo novo monasterio impetrarunt, Friderico priore Provinciali promittente, nunquam ultra decem monachos se admissurum.

c) *Vol. II. L. I. p.* 249.

Postulati e S. Blasii ad monasteria Murense & Engelbergense in Helv. abbates.

XVI. Monasterium S. Blasii antequam voracibus flammis an. 1322. esset consumtum, in simili funesto casu ineunte hoc seculo adfuit monasterio Murensi in Helvetia: dum eorsum postulatus abbas post mortem Hartmanni an. 1303. Rudolphus ex nobili familia de Bossikon, illud maiori quam antea amplitudine restituit intra spatium sex annorum, posteaque an. 1309. abbatiam resignavit. Legitur præterea in codice membra-

bra-

braneo coævo, quo abbates ad alia monasteria e S. Blasio evocati notantur in hunc modum: *Sub abbate Petro, Lutoldus dictus Schaler de Basilea, abbas in Mure.* Accepit autem pedum Petrus an. 1334. & tenuit usque ad an. 1348. Lutoldus abbatiam Murensem rexisse videtur ad annum fere 54. SECULUM XIV.

In memorata iam membrana porro legitur: Sub abbate *Henrico Rudolphus in monte Angelorum.* Henricum IV. ab an. 1348. usque ad an. 1391. fuisse abbatem S. Blasii modo vidimus, Rudolphum vero Engelbergensem extitisse abbatem an. 1398. manu synchrona litteris est consignatum apud Engelbergenses, quibuscum iam antea nova fuit confœderatio, dum an. 1348. Henricus abbas Engelbergensis Henrico abb. S. Blasii communionem bonorum operum & confraternitatem ultra obtulit, publicis litteris perinde ac an. 1320. Udalrico abb. S. Blasii Conradus abbas & totus conventus in Salem.

XVII. Deplorabilis est florentissimi olim Hirsaugiensis monasterii primus statim huius seculi XIV. aspectus, quum Henricus abbas anno seculari 1300. electus mox, teste Trithemio in chron. Hirsaug. ad h. a. *licentiose vivere incipiens, otio & inertia torporeque ignavus tepuit, & rem familiarem simul & monasticam turpiter neglexit.* Vidimus libro superiore ex chartis authenticis Hirsaugienses bona quædam alienasse necessitate constrictos; Trithemius nihilominus Henricum statum rerum temporalium, quem in bona conditione repererit, valde malum fecisse commemorat: multa bona monasterii tempore sui regiminis oppignorasse, multa penitus vendidisse, & multa sine consensu fratrum suorum in perpetuum alienasse, quorum pecuniam male exposuit: unde anno tandem 1317. ut dilapidator substantiæ monasterii, seniorum monitis, ut Trithemius ad an. 1315. notavit, contemtis, depositus fuit. Monasterium Hirsaugiense.

Diffidebant in electione fratres, resque inter Gerardum custodem, & Sigismundum Priorem conventualem iudicio metropolitæ Moguntini, quum eos episcopus Spirensis concordare non posset, fuit transigenda, adiudicata Sigismundo abbatia, quem senior, sanior ac maior pars capituli elegerat, cui etiam cessisset Gerardus vir bonus, nisi cognatorum contentione fuisset in transversum actus.

Vocatur is in chartis Symond apud Besoldum a), Symon in charta an. 1327. qua Henricus ex Palatinis Tubingensibus cum Calvensibus comitibus cognatione iunctis, tandemque eo titulo hæredibus protectionem monasterio Hirsaugiensi promittit. Sequitur mox ad eumdem diploma

a) *Monast. rediv. T. I. p.* 345.

SECULUM XIV.

Ludovici Bavari an. 1334. a) quo venditiones oppignorationesque ab Henrico deposito factas cassat. Additur charta an. 1343. b) Eberhardi & Ulrici comitum de Wirtemberg (ad quos partim a Palatinis de Tubingen, partim a comitibus de Schelklingen comitatus hoc seculo devenit) c) monasterio Hirsaugiensi arcem, oppidumque Calw cum personis & bonis vendentium: unde palam fit melioratus monasterii status studio & labore Sigismundi atque etiam Wichardi, qui ei an. 1341. successit, cognominem successorem nactus an. 1354. Wichardum secundum, utrumque monasterio utilem.

a) *L. c. p.* 347.
b) *Ib. p.* 349.
c) *Vid. Sattl. topographische Geschichte des Herzogthums Wirtemberg p.* 204. 272.

Gerardus episcopus Spirensis Wighardo I. & monasterio Hirsaugiensi confirmavit incorporationem ecclesiarum in Pforzheim, Stamheim & in Hessenheim, in oppido Wyle item & Calwe. Sub Wighardo II. an. 1362. incorporationem ecclesiæ parochialis in oppido Wile factam monasterio Hirsaugiensi per Clementem. VI. P. ratam habet Eberhardus de Sickingen Præpositus ecclesiæ SS. Trinitatis Spirensis diœcesis.

Wichardo II. an. 1369. Wignandus, huicque an. 1380. Godfridus successit per Lambertum abbatem Gengenbacensem, sæpe a nobis celebratum, tunc adhuc Spirensem episcopum *in abbatem confirmatus ex more solemniterque benedictus. Præfuit huic monasterio,* teste Trithemio, *in magna solicitudine & malitia temporum annis IX. mense I. diebus XV. homo mansuetus, pacificus & amator quietis & pacis: qui monasterium in utroque statu graviter collapsum reperit, quoniam nec regularis observantia in eo tunc viguit, nec illi rerum abundantia fuit.* Godfrido huic anno 1390. successit Wichardus III. cui an. 1398. Wenceslaus R. R. omnia antecessorum suorum privilegia confirmavit, ut apud Besoldum legere est.

Iam de Wignando agens Trithemius d) ingemuit se historiam continuare de gestis abbatum Hirsaugiensium minime potuisse e) *cum & negligentia claustralium bene gesta rectorum litteris non commendaverit.* Legitur in annal. Zwifalt. P. Arsenii Sulger f) Wichardi III. abb. Hirsaugiensis epistola ad abbatem Zwifaltensem an. 1395. data, qua ob monasterium Hirsowe *gravibus debitorum oneribus inundatum,* quosdam fratres, ad benignos Patres monasteriorum ordinis nostri transmittendos, unanimi consensu decretum scribit, mittitque eapropter F. Henricum *monachum professum presbyterum idoneum & discretum.*

d) *pag.* 352.
e) *Ad annum* 1369.
f) *T. II. p.* 7.

Cellæ congregationis Hirsaugiensis.

XVIII. In hoc certe meliorem fuisse conditionem cellæ, quæ congregationis Hirsaugiensis præcipua fuit, monasterii in Reichenbach, elucescit ex emptionibus, quæ sec. XIV. recensentur in brevi Reichenbaci histo-

historia P. Martini Marck monachi Wiblingensis a). Ius piscandi an. 1307. comparavit monasterio Conradus Prior in Reichenbach, quod Conradus abbas Hirsaugiensis & Conradus Prior Reichenbacensis Hermanno de Hohenberc vendiderat, hicque eo fine fratri Ioanni de Trochtelfingen tradidit, ut post eius mortem seniori conventus Reichenbacensis cederet. An. 1318. Luitfridus Prior & conventus aut aliam partem iuris piscandi in Sulzowe emerunt, aut controversam redemerunt. Anno 1360. Innocentius VI. P. abbati in Alperspach commisit, ut Reichenbacensium bona indebite alienata auctoritate apostolica monasterio denuo vindicet. Addit triennio post, quum Reichenbacensium ædes in oppido Horb damnum passæ essent, ab eius loci civibus 131. libras pro earum resarcitione numeratas. An. 1367. novam ibidem emerunt domum. Charta sic orditur: *Ich Pfaf Heinrich Beck Kyrchherr zu Mule*, qui nimirum oppido prope est vicus. An. 1339. Othmannum, Henricum, Bertholdum & Wilhelmum Ebersteinii comites petente Sigismundo abbate Hirsaug. (*durch bete abt Symons*) Reichenbaci advocatiam & protectionem suscepisse chartæ docent; nec non circa ea tempora Marquardo ab Ehingen, qui in charta an. 1328. Prior & administrator Reichenbacensis dicitur, quondam Priori pro alimentatione sua prædium in Sulzau, Reubotum tunc Priorem, concessisse. In charta an. 1343. Volmarus legitur Prior Reichenbacensis. An. 1360. Gotfridus de Stanheim, an. 1374. & 1375. Henricus Guldin.

SECULUM XIV.

a) *Coll. Scriptor. rer. hist. monast. T. II. P. II. p. 46. &c.*

Iam acta ab an. 1332. produnt, fuisse litem Reichenbacensibus cum Hirsaugiensibus, qui sibi ius asserebant constituendi Priorem in Reichenbach ac removendi. Ulricus comes de Wirtemberg an. 1354. Rupertum abbatem Albensem, & Bebenhusanum misit, ut Prioris & conventus Reichenbacensis contra Wichardum abbatem Hirsaugiensem querelas audirent, quas frivolas omnes iudicarunt. Iterum nihilominus paullo post recruduerunt eædem contentiones ob Volzonem Priorem a Wichardo depositum, atque in eius locum constitutum Gotzonem: fuit vero per arbitros an. 1358. Wichardi probata sententia, ac assertum ius. Apud Schœpflinum in cod. diplom. hist. Zaringo-Badensis b) in divisione monasteriorum ad comitatum Ebersteinensem pertinentium an. 1399. facta inter Bernardum marchionem Badensem, Bernardum & Wilhelmum fratres comites Ebersteinios, de advocatia etiam Reichenbacensi legitur conventum: *von der Canzley wegen des clousters Reichenbach und auch umb die Dörffer auf dem Wald daselbst, die zu der Gravschaft von Eberstein von alters her gehöret hant: das wür beede Parteyen dieselbe Vogtey und Dörffere gütlich mit einander theilen sollen.*

b) *T. V. pag.* 573.

SECULUM XIV.

Memoravimus libro superiore cellæ Hirsaugiensis, seu monasterii Rothensis cum abbate Hirsaugiensi simultates, deditionemque eius cellæ factam ab Eberhardo abb. Syfrido episcopo Augustano, in qua diœcesi situm est monasterium, ab Hermanno de Lyningen, uxore eius Adela & Diemone comite de Bratfelden, Deo & B. Petro apostolo Hirsaugiæ traditum, ea conditione, ut servitium Dei secundum Regulam S. P. N. Benedicti ibidem institueretur, fuitque sequens formula obedientiæ manualis fratrum monasterii in Roth, quam præstiterunt abbati Hirsaugiensi, tanquam suo prælato principali flexis genibus in manum abbatis dicendo: *Ego Frater N. iuro & promitto vobis obedientiam secundum Regulam sancti Patris nostri Benedicti: & monasterio Hirsaugiensi perpetuam fidelitatem.* Non cessasse nexum monasterium inter Hirsaugiense & Rothense etiam postquam episcopo Augustano est commissum, palam faciunt litteræ Sibotonis episcopi Augustani ad Præpositum in Rota an. 1238. qua ei significat monasterium Hirsaugiense, materno affectu ob perpensa in proventibus ex direptione damna ius patronatus in Septringen in perpetuum concessisse. Extat recognitio comitum Ludovici & Friderici de Oetingen, in quorum ditione situm est monasterium Rothense, facta an. 1349. domino abbati Hirsaugiensi de non vendendo vel gravando advocatiam in Rot. Anno item 1381. Ludovicus & Fridericus senior, & Fridericus iunior de Oetingen, tres fratres spondent se de nullo homine monasterii Rothensis steuram recepturos, nisi de propriis suis hominibus.

Inter cellas congregationis Hirsaugiensis numeravimus etiam Prioratum in Schönrein, Herbipolensis diœcesis, quod monasterium ita fuit Hirsaugiensi obnoxium, ut nisi auctoritate abbatis & capituli Hirsaugiensis nullum emtionis contractum facere possent. Sec. XIV. varia subiit fata, ut ex charta an. 1318. constat; venditum tamen monasterium hoc ab abbate Hirsaugiensi, patri uxoris Gerardi de Vineck, iterum pretio 2000. libr. emere debuerunt Hirsaugienses, a comite Gerardo de Vineck eiusque uxore an. 1362., hæc addita simul conditione, ut penes memoratum comitem eiusque uxorem adhuc viginti annis ususfructus illius persisteret, an. 1370. a monasterio Hirsaug. iterum monasterii illius proventibus oppignoratis eidem comiti de Vineck.

Monasterium Gottesaviense.

XIX. Monasterium Gottesaviense in Alpegovia septentrionali comitatu Vorcheimensi, in Silva quæ dicitur Lushart, a fundatore Bertoldo comite de Hennenberg Hirsaugiensibus traditum inhabitandum ineunte sec. XII. Rudolpho V. de Baden cognomine Wecker domino in Pforzheim in-

instaurationem suam sec. XIV. debet, ad extremam paupertatem redactum, gratamque memoriam suis annalibus mandavit, ut iam ex Glafeyo Schœpflinus notavit a), itemque ad finem huius seculi Albertum Gottesaviensem abbatem, quem an. 1396. b) Bernardus I. marchio Badensis cum Marquardo Albæ dominorum abbate ad monasterium Albæ dominarum adduxit pro componendis, quæ dudum inter abbatissam & conventum agitabantur, controversiis. Idem in codice diplomat. c) affert transactionem inter Gottesaviense monasterium & præposituram Hœrdtensem de Rheni alveis prope Pfortzheim & Winden factam an. 1336. Gottesaviensi abbate Nicolao.

SECULUM XIV.

a) *Tom. II. Histor. Bad.* p. 51. 81.

b) *T. V. pag.* 552. *Consul. Glaffey anecd.* p. 158.

c) *T. V. pag.* 422.

XX. Iam aliquoties meminimus permutationum ab abbatibus S. Georgii factarum, quæ frequentes admodum hoc seculo fuerunt in rebus & personis, præsertim servilibus, seu hominibus ligiis: qualem e. c. permutationem fecit an. 1300. Rudolphus II. abb. Schutteranus, an. 1303. Henricus episcopus Constant. Augiæ maioris administrator cum Bertoldo abbate S. Georgii, qui an. 1290. Burchardo II. successerat; an. 1308. abbas Udalricus I. de Tecke, cum Ioanne de Blumenberg, seu de Blumenegge, ut sigillum præsefert instrumento appensum, quod edimus, datum in Egebettingen, seu Ewattingen, ditionis Blumeneggicæ in Alpegovia: eodem anno 1308. & 1311. idem cum Henrico abbate S. Blasii, cum abbatissa in Rottenmunster ord. Cisterc. prope veterem urbem Rotweil, ad sinistrum decurrentis Nicri litus an. 1316. an. 1321. & an. 1330. cum Conrado abbate in Salem: an. 1329. & 1332. cum Udalrico abb. S. Blasii: an. 1332. cum monasterio Amptenhusano.

Monasterium S. Georgii.

Udalrici I. qui an. 1334. obiit successor Henricus III. B. de Stein similem permutationem facit cum Diethelmo Augiæ divitis abbate, an. 1337. ab eo *gratiosus princeps* vocatus, ut Gallia Christiana annotavit, eiusque mortem subitaneam in monasterio Gengenbacensi an. 1347. ad quod ex visitatione Lotharingica, Westrica & Alsatica diverterat: cum quo similem permutationem facit an. 1336. Conradus abbas Salemitanus, & an. 1337. Hugo de Thanneck, an. 1341. Henricus de Sunthausen an. 1344. Walterus abbas Gengenbacensis, an. 1347. monasterium Rottenmunster, forte cum Henrici successore Ualrico II. nobili de Trochtelfingen, uti an. 1348. Henricus abbas S. Blasii.

Sub Udalrico hoc ita deflagravit monasterium, ut per viginti annos absque habitatoribus fuerit, divinusque totaliter sublatus sit cultus, ut Gallia Christiana notavit, confirmationem etiam privilegiorum, quam edimus,

SECULUM XIV.

mus, an. 1354. a Carolo IV. factam, exauctorationem item Udalrici II. an. 1359. Ioannem II. autem comitem de Sulz ex Augia maiore postulatum illuc an. 1364. lugentibus monachis S. Georgii remissum, revocato iterum Udalrico II. Rotwilæ postea an. 1368. defuncto. Sub Ioanne II. an. 1357. per officialem curiæ Constantiensis protectorium pro Prioratu in Rippolzau, qui ad monasterium S. Georgii pertinet, ab Innocentio VI. P. ad abbatem Alperspacensis monasterii fuit directum *ad preces dilectorum filiorum Prioris & conventus monasterii in Rippolzowe per Priorem soliti gubernari*, O. S. B. *Quatenus*, sunt verba Brevis apostolici, *ea, quæ de bonis ipsius monasterii alienata inveneris illicite, vel distracta, ad ius & proprietatem eiusdem monasterii legitime revocare procures &c.* Iam ante conflagrationem monasterii Udalricus II. monasterio Alpersbacensi an. 1322. bona in Bozenwiler, & an. 1330. in Haigerloch vendiderat. Udalricus II. etiam mox primo regiminis sui anno 1369. pratum in Sulz alienasse legitur; deinceps vero monasterium iterum restituit, & cum asceteriis annexis reformavit: qui an. 1373. vogteiam superioris Kürnach redemit a nobilibus de Neunegg, curæ quatuor civium Rotwilensium datam cum consensu & confirmatione Ioannis comitis a Furstenberg domini in Haslach, a quo advocatiam illam in feudum habebant nobiles de Neunegg. Sub eo liber traditionum monasterii S. Georgii est conscriptus & 1377. a notario Hermanno fidem publicam accepit, perinde ac instrumentum fundationis S. Ioannis prope Tabernas ord. S. Benedicti parthenonis, uti in Alsatia diplom. a) legere est. Testes fuerunt *super huiusmodi ostensione & exhibitione dictorum privilegiorum Hamannus de Falckenstein nobilis, Conradus de Tanhan persape magister civium in Villingen, & Ulricus de Valckenstein famulus prædicti Hamanni ad præmissa vocati & rogati. Et ego Hermannus de Hailbronnen doctor puerorum in Villingen publicus auctoritate imperiali notarius &c.*

a) *T. I. pag.* 204.

Sub Eberhardo eiusque successoribus Henrico IV. & Ioanne III. quorum ille Eberhardo an. 1382. Ioannes autem Henrico an. 1392. suffectus est, recurrunt iterum cum Henrico, & Ioanne abbatibus S. Blasii inter alias frequentes mancipiorum seu hominum ligiorum permutationes, quas diligentissimus abbas Georgius II. Geisser collegit, exempli loco autem hic, quas iam notavimus, sufficere possunt, ad frequens commercium hoc demonstrandum tunc temporis.

Monasterium Alperspacense & Kniebus.

XXI. Frequens est ad medium fere sec. XIV. in chartis monasterii Alperspacensis abbatis Walteri nomen iam 1299. 1303. & 1308.

Multa

Multa is negotia habuit cum Erckengero Eigelhart de Valckenstein ab ineunte fere sec. XIV. usque ad an. 1331. quo Hugo de Capelle, eius vasallus bona in Britnow vendidit Alperspacensibus dem Abt und Convent Alperspach schwarzen Ordens. Iuxta chartam an. 1303. Udelhilt comitissa de Furstenberg, & Henricus eius filius quædam bona monasterio Alperspacensi tradidit; an. 1346. vero Ioannes comes de Furstenberg, titulo venditionis. Legitur anno 1303. Wernerus de Zimmern vendidisse monasterio Alperspacensi villam in Altoberndorf. Occurrit etiam Wernerus de Zimmern in charta Hermanni de Tecke an. 1347. in qua fit mentio Luzmanni ducis de Tecke, cognati. Charta est in gratiam monasterii Alperspacensis perinde ac charta an. 1337. Friderici de Tecke, & an. 1323. eiusdem, cui præmittitur nomen Luzmanni fratris atque an. 1306. Hermanni ducis de Tecke: quod idem nomen in chartis 1347. 1360. 1362. &c. legitur. Eius monasterii advocatum se dux Fridericus de Tecke profitetur in charta an. 1319. apud Besold. a), qua homines quosvis Alpirspacum migraturos a tributis & oneribus pronunciavit immunes. An. 1337. quo Bruno abbas occurrit, dux Fridericus de Tecke monasterio Alperspacensi Wöslingen, & Petercell donavit. In libello primariarum precum & Alimoniarum a Ludovico Bavaro collatarum apud Oefelium legitur b): *Item abbatibus Bebenhusen & Alperspach pro Hermanno ducis de Tecke filio, Constant. diœcesis pro beneficio.* Sequitur apud eumdem Besoldum confirmatio privilegiorum monasterii Alpirspacensis a Carolo IV. an. 1361. data, eiusdemque mandatum ad ducem Hermannum in Oberndorf, ubi nempe dux Teccensis sedem habuisse creditur, ut ab advocatia Alperspacensi abstineat. Vidimus Rudolphi comitis de Sulz chartam an. 1364. qua iura enumerat monasterii Alperspacensis in Dornheim. Insertum est Ludovici ducis de Tecke diploma an. 1251. eiusdem argumenti, quod apud Besoldum latine extat. Habetur apud eumdem Conradi ducis de Urselingen electi advocati charta, qua promittit se monasterio in privilegiis suis nihil præiudicaturum, constitutoque iure advocatico, certo nimirum salario contentum fore, & eiusdem Conradi reversales an. 1364. quod ei ad dies vitæ advocatia in Alpirspach sit commissa. Edenda a nobis charta an. 1311. manifestat duces de Urselingen monasterii Alperspacensis iam ab ineunte sec. XIV. fategisse inter alio Nigræ silvæ dynastas sponsores, Henricum nempe de Lupfen, Wernherum de Zimmern, Erkinger Eigelwart de Valkenstein, Henricum de Wartemberg, Henricum de Hornberg, Renhart & Petrum de Ru-

SECULUM XIV.

a) pag. 153.

b) T. I. Scriptor. R. B. p. 739.

SECULUM XIV.

Ruti fratres, Ioan. Venden de Rieth equitem, Ulrich Bletzen veterem consulem, Ulrich an der Waldstrassen &c. Meminit Albertus Argent. a) Werneri Suevi de Urselingen arce montana Nigræ silvæ haud procul a Rothwila. Idem ad an. 1354. b) Ioannis archiep. Mediolanensis morte relata scribit, tres fratrueles Mathæum, Barnabam, & Galeatium, filios quondam Stephani dominia occupasse, dedisse autem ipsum archiepiscopum pecuniam dudum Wernero de Urselingen capitaneo societatis, qui in patriam est reversus & breviter in Suevia sepultus. Haud abs re dicuntur duces de Urselingen esse e ducibus Spoleti orti. Edimus chartam an. 1284. in qua Henricus de Hacke, & Reinolt eius frater domini in Urselingen, eorum vero cognati & nepotes domini Bertoldi & domini Reinoldi filii duces de Spoleto, & Comato *von Spolit Comaten* notantur. An. 1361. dux Conradus de Urselingen Beatrici Teccensi fuit nuptus, qui postea cum Friderico Teccensi (quem Schœpflinus memorati Friderici I. ducis Teccensis filium fuisse coniicit) decertavit de pincernatu abbatiæ S. Galli & advocatia Alperspacensi an. 1371. ita reconciliatus, ut castrum Wasneck & vicos Waldmessingen, Petzendorf, Boihingen, Oberndorf nec non castrum Brandeck & advocatiam Alperspacensis monasterii XI. mille & quingentarum librarum pretio, suumque ius in præfecturam Schiltach dimiserit. Rainoldus dux de Urslingen eiusque soror Anna an. 1381. arcem & oppidum Schiltach, in valle Kenzingana Nigraque silva sitam, pro 6000. fl. vendidisse traduntur. Apud Schœpflinum in hist. Bad. c) legitur an. 1400. dux Reinoldus coniugi suæ Annæ de Usenberg consensu Hessonis marchionis de Hachberg omnia sua bona legasse, eique mortuæ substituisse sororem suam Annam ducissam Ursling. Conrado de Geroldseck nuptam. Actum in iudicio aulico Rothwilensi. Alia apud eumdem d) leges a Bernardo I. march. Badensi transacta cum eodem Reinoldo & Anna de Usenberg an. 1420. & an. 1438. post mortem Annæ, seu Anastasiæ cum Iacobo marchione renovata pacta.

a) *pag.* 147.
b) *pag.* 163.
c) *T. I. pag.* 478.
d) *T. II. p.* 104.

Edimus chartam anni 1363. seu arbitrium Ludovici senioris comitis de Ottingen &c. inter Raynoldum de Urslingen & Fridericum de Tecke duces circa oppidum Oberndorf, feudum monasterii S. Galli. ubi etiam fit mentio Hermanni ducis Teccensis. Adfuit Fridericus hic binæ, quam supra memoravimus, obsidioni Turicensi sub Carolo IV. præfectus etiam Alsatiæ Austriacus, ac postea capitaneus urbis Augustanæ contra Eberhardum comitem Wirtembergiæ, cui prius adfuerat, quum a Carolo IV. imp. bello peteretur. Suo etiam marte Fridericus cum nobili-

SECULUM XIV.

bilibus de Hochschliz congressus, oppidum Mundelheim a se obsessum obtinuit, retinuitque ope comitum de Werdenberg, Albegk, Veringen, Zollern contra insultus Walteri de Hochschliz episcopi Augustani an. 1369. ibidemque an. 1372. arce instructa, sedem habuit, ac post mortem an. 1389. sepulturam. Permissu Friderici comitis de Zolre senioris domini in Schalgsbrug, Ioannes & Burckardus de Triberg, qui Conradi filii fuerunt, villam in Pfeffingen an. 1352. monasterio Alperspacensi donarunt testibus item Henrico de Triberg, adpellato de Breitenbach, Conrado dapifero de Stoffenberg.

Monasterio Alperspacensi an. 1386. de curia bonisque in oppido Sulz cum suo villico litigandum fuit. Teste Crusio in annal. Sueviæ a), Walterus de Geroldtzecke dominus in Sultze prædium quoddam apud Dornhaimum, quod civi Rotwilensi Hermanno Guto concesserat, recepit, & propter eius fidelia servitia ipsius causa Alperspacensi monasterio tradidit. An. 1350. Walterus itidem domum areasque in Sulz immunes a steuris & servitiis pronuntiat. An. 1375. monasterio Alperspacensi traditur curia, quæ Brunoni abbati ex hereditate advenerat. Edimus chartam an. 1346. transactionis inter Brunonem abbatem, & urbem Friburgensem de vogteia in Nortwil, de cuius vici vendendis possessionibus iam an. 1338. Hugo de Ysenberg cum equite domino Snewelin Berlapen sculteto & Ioanne Snewelin consule Friburgensi egerat. An. 1369. Lupoldus Austriæ dux Brunoni abb. tutorias concessit Friburgi Brisgoiæ. In charta Rudolphi comitis de Sulz an. 1378. Henricum Hach Priorem lego, nullum vero post Brunonem abbatem præter Ioannem comitem de Sulz an. 1380. Conradum annis 1386. 1388. 1390. & 1391. an. 1393. Brunonem, an. 1396. Conradum de Gomeringen eiusdem ac primis familiæ an. 1398. Henricum Hagum.

a) *Lib. IV. P. III. c. 12. p. 237.*

Iam an. 1341. Walterus præpositus totusque conventus in Kniebus se monasterio Alperspacensi regulæque S. Benedicti submisit, Brunone abbate Alperspacensi, cuius rei instrumentum dabimus. Anno 1373. legitur Prior & conventus ze Kniebus monasterio Alperspacensi vendidisse domum in Oberndorf. Bucelinus b) & Besoldus illud inter monasteria Virginum posuit, quod a Ioanne de Horne, qui eo corpus & bona sua tradidit, an. 1330. fundatum, an. 1513. igne conflagratum interiit.

b) *Germ. S. T. II. p. 551.*

Monasterium S. Petri.

XXII. Abbatum monasterii S. Petri veluti necrologium texit Gallia Christiana c), quod concordat cum catalogis, qui sunt in manibus meis. Gotfridus abbas Friburgo Brisgoiæ oriundus de Lefsbach ab an. 1295. præfuit, substitutus Eberhardo, an. 1322. fato functus 26. Sept.

c) *T. V. pag. 1057.*

SECULUM XIV. In necrologio Amptenhusano legitur ad diem 22. Iunii, nullo tamen expresso nomine monasterii.

Successor eius Bertoldus II. qui an. 1331. bona quædam in Nortwil Waltero abbati & conventui Alperspacensi vendidisse legitur, gratam apud San-Blasianos habet memoriam, quam publice testatam volui edita charta anni 1340. qua executor seu commissarius a R. in Christo P. D. Gaucelino episc. Albanensi, SS. P. Benedicti XII. pœnitentiario, parochias filiales matricis ecclesiæ S. Blasii in Zuing und Bahn non esse suppositas interdicto ob Ludovicum Bavarum declarat, idemque singulari charta pro ipso monasterio S. Blasii eodem fecit anno.

Walterus, qui an. 1349. successit, legitur in necrologio Amptenhusano, sed non exprimitur utrum primus sit, qui obiit an. 1291. 2. non. Octob. an secundus hic, qui obiit an. 1353. Ioannes I. vero eius successor an. 1372. & an. 1375. Petrus de Thanheim seu de Danham, ut vocatur in necrolog. Amptenhusano notatus ad diem 25. Octobr. Nec concordant dies obitus in successoribus Iacobo I. perperam in Gallia Christiana *Stanelin* dicto, cum fuerit ex patritio genere urbis Friburgensis *Stæbelin*, mortuus an. 1380. Hugo II. an. 1382. Henricus II. a Stain an. 1392. Henricus III. Salati de Friburg an. 1392.

Cui videtur substituendus Ioannes II. qui quidem in veteri catalogo abbatum S. Petri non legitur, eum tamen monumenta San-Petrina ad an. 1398. præpositum in Iesingen in Wirtembergia produnt, electum abbatem, forte non admissum omnino, aut brevi admodum tempore, quum Erhardus iam an. 1393. abbas ponatur: quo anno San-Petrini *fratrem Mathiam*, ut habent litteræ, *dictum Frey*, *presbyterum nostri conventus*, *confratrem discretum & honestum* ad monasterium Zwifaltense misisse leguntur apud P. Arsenium Sulger in annal. a) allata eam in rem epistola. An. 1398. 30. Maii Erhardus abbas S. Petri *executor seu commissarius a sede apostolica specialiter deputatus* monasterio S. Blasii ecclesiam in Rotweil Brisgoiæ vico cum omnibus iuribus & pertinentiis suis auctoritate apostolica incorporavit, annexuit & univit, inducendo abbatem & conventum iam dicti monasterii S. Blasii in corporalem possessionem ecclesiæ parochialis &c., ut habet instrumentum quod edimus.

a) *T. II. p.* 5.

S. Udalrici virorum & Seldense virginum cœnobium.

XXIII. Monasterium seu Prioratus abbatiæ Cluniacensis a B. Udalrico Cluniacensi vidimus sec. XI. in Nigra silva constitutum, seculo hoc XIV. a suo fundatore *S. Ulrich* nomen accepit, cessavitque appellari *Villmarzell.* Priorem habuit ab an. 1291. Ulricum, qui an. 1315. con-

cam-

cambium fecit cum Hermanno marchione de Hachberg, ut charta Friburgi eo anno feria VI. proxima ante festum B. Ioan. Baptistæ docet hoc initio: *Nos frater Hermannus margravius de Hohberg commendator, & fratres domus ordinis Hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani in Friburgo &c.*

Sub eius successore Ioanne an. 1316. firmata est servitus vici Bolschweyl (ubi primum fuit monasterium monialium ab eodem S. Udalrico constitutum) ad diurnum monasterio S. Udalrici, ubi necessitas postulaverit, præstandum auxilium: *Der vorgenant Prior und das Closter Villmarszelle hant auch das Recht, wo sie Noth angot, da sollen sie Inen beholfen sein einen ganzen Tage, also das sie zenacht wider heym sigen ane Iren eigen Herren &c.*

Apud Schœpflinum in hist. Badensi a) notatur ad an. 1324. Henricum III. marchionem Hachbergensem eiusque filium cognominem inter & Conradum Dietericum Snevelinum militem, eiusque generum Ottomannum de Keysersberg pactum esse, ne a monachis in Selsa vel Tennenbach homines emant. Puto Seldam esse legendum, qua in plaga hodieque Barones de Bollsweil familiæ Snevelinæ rerum potiuntur. An. 1342. Conradus Snevelin cum Petro abbate S. Blasii conventionem facit circa homines ligios. Conradus comes de Tubingen an. 1384. sub Ioanne Peyer Priore S. Ulrici restituit monasterio curtem in Hecklingen, quam a monasterio habuerat. Wilhelmus de Matin an. 1385. occurrit Prior S. Ulrici an. 1371. Præpositus in Selden memorato parthenone Cluniacensi. Is postea Præpositus in Sant-Gylen testimonium dedit de hominibus ligiis monasterii S. Ulrici charta Germanica, quæ extat in libro vernaculo de vita & miraculis S. Udalrici unacum iis, quæ hactenus attulimus: notaturque Wilhelmi successor ad an. 1397. Henricus Prior, sub quo Gruningen, ubi auspicium fecerat in Brisgoia S. Udalricus vitæ monasticæ, ut suo loco memoravimus, fuit adhuc parochia pertinens ad S. Ulricum.

a) T. I. p. 356.

Waldkyrchense monasterium.

XXIV. Monasterium Ord. S. Bened. in Waldkyrch iam sec. XIV. videtur relaxasse disciplinam monasticam, dum D. Catharina Bar. a Stoffien, quæ an. 1303. Adelheidi Bar. a Martorf, apud canonissas Buchaugienses successerat, Waldkyrchensi simul ac Buchaugiensi collegio præfuit, teste Bruschio in chronologia monasteriorum præcipuorum Germaniæ.

De parthenone hoc Waldkyrchensi id solum reperi ex archivio Friburgensi, an. 1381. Annam de Sulz, abbatissam Waldkyrchensem, cur-

 tem

SECULUM XIV. tem in Wendlingen carthusiæ Friburgensi vendidisse. Charta servatur Friburgi in archivio regiminis Austriaci, quo pertinet dynastia nobilium de Swarzenberg ab arce montana oppido Waldkyrchensi incumbente. An. 1398. Henricus Marcgravius de Hachberg, Lantgravius Brisgoiæ die Merc. post S. Mariæ Magd. iudex sedit in Waldkyrch, quum Wilhelmus dynasta de Schwarzenberg unacum coniuge sua & curatore eius, Egone comite Friburg. curiam suam in Teningen vendidit, teste Schoepflino in historia Badensi.

Sulzbergense. Idem Schœpflinus a) nobis, quod ad sec. XIV. attineat de parthenone Sulzbergensi (nec aliquid aliunde de eo accepimus notitiæ) memoriæ prodit, monasterio Sulzbergensi an. 1347. curiam dictam Alzenach in Gundlingen pro 380. marcis argenti venditam esse. An. 1388. item Sulzbergam b), qua erat oriundus Schœpflinus, ab Ottone de Staufen 500. marcis argenti Hessonem marchionem de Hachberg, vel emisse vel reluisse, atque a monasterio virginum Benedictini instituti, quod ibidem sub invocatione S. Cyriaci viguit, advocatum electum, quod datis ei litteris protectionis ipse est testatus.

a) *T. I. p.* 357.
b) *pag.* 368.

Alba dominarum. XXV. Iam meminimus, agentes de monasterio Gottesaugiensi, discordiarum circa finem sec. XIV. inter abbatissam & conventum parthenonis Albæ dominarum ortarum, cuius rei gratia Bernardus marchio Badensis præsens adfuit an. 1396. adductis secum abbatibus Alberto Gottesaugiensi ord. S. Bened. & Marquardo Albæ dominorum ord. Cisterc. *Grauens Ordens*, qui etiam sigilla sua addiderunt legibus sane præclaris, ad res monasterii in utroque statu bene ordinandas datis, prout in cod. diplomat. Hist. Zaringo-Bad. c) legere est n. 305. num. 313. d). Ibidem habetur eiusdem Bernardi Badensis, Bernardi item & Wilhelmi fratrum comitum de Eberstein anno 1399. facta divisio monasteriorum (nominatim advocatiæ monasterii Albæ dominarum) pertinentium ad comitatum Ebersteinensem, qui fuit sec. XIV. iam inter marchiones de Baden & comites de Eberstein partitus. In charta an. 1346. marchiones Rudolphus de Baden, dominus in Pforzheim, & Hermannus de Baden, (qui se *zu dem alten Eberstein* adpellat; Wolf vero comes *vom neuen Eberstein* an. 1387.) Rudolpho de Baden partem suam comitatus vendiderunt. Testes fuerunt *die ehrbaren, vesten, edlen Knechte Rufen von Thalheim, Hannsen von Selbach, und Crafften von Großuiler.*

c) *T. V. pag.* 544.
d) *Ib. p.* 572.

Alba dominorum. XXVI. Situm est utrumque monasterium Alba dominorum Ord. Cisterciensis, & Alba dominarum Ord. S. Bened. in decanatu Coppenheimensi

mensi diœcesis Spirensis, ut apud Steph. Alex. Würdtwein notatur in Subsidiis diplomat. a). Monasterium Albæ dominorum ineunte sec. XIV. rebus polluisse indicio est, quod facultates adfuerint, quibus a Friderico marchione Badensi vicum Malsch, & castrum Waldensfels pro mille trecentis libris Hallensibus emere potuerit, ubi iam an. 1306. Rudolphus senior de Baden b), Friderici patruus (qui instrumento venditionis memorato sigillum suum appendit cum Henrico de Eberstein avunculo Rudolphi, qui fuit frater Friderici & iunioris Rudolphi Hessonis marchionis Badensis) censum monasterio Albensi contulit teste Schœpflino c).

SECULUM XIV.

a) T. X. pag. 319.

b) Cod. dipl. Hist. B. T. V. p. 365.

c) T. II. Hist. Bad. p. 21. & 26.

In catalogo abbatum Albensium circa hæc tempora Henricus I. ad an. 1313. & Rudigerus ad an. 1317. legitur. Nullum vero nomen abbatis apparet in litteris reversalibus abbatis & conventus de reemtione villæ Malsch. Crusius in annal. Sueviæ d) Henricum II. addit, quem desidero in catalogo abbatum, qui est in manibus meis: ubi miser monasterii status adolescente seculo XIV. notatur, ut etiam apud Besoldum e) in charta Ludovici Bavari, qui Ulrico comiti de Wirtemberg, præfecto Sueviæ (Landvogt) monasterium Albense contra marchionem Hermannum de Baden, tueri demandat, urbibus etiam Rottweil, Eßlingen, Reutlingen &c. an. 1339. ut Ulrico, Albensibusque adsint auxilio. Eodem pertinent plures adhuc apud eumdem Besoldum chartæ usque ad annum 1349. dum Carolus IV. anno sequenti 1350. Hermanno marchioni de Baden advocatiam restituit. Anno 1349. iterum eo in statu fuit monasterium, ut ab Erkengero nobili de Mercklingen, & Guta de Lichtenstein eius coniuge 29. iugera agrorum, anno autem 1359. alia omnia eorumdem bona in eodem vico Mercklingen emere potuerit.

d) T. V. pag. 366.

e) pag. 85.

Occurrit tunc temporis Rupertus abbas notatus in catalogo ad an. 1353. cui adhuc monacho Walcherus de Gugelingen pater centum viginti florenos legaverat, ea conditione, ut filio suo Riperto seu Ruperto annui quidam proventus emerentur.

Marquardo eius successori an. 1367. Mechtildis de Oetlingen, Richelini de Merkalingen vidua, & filia Conradi Oetlinger agros & prata in eodem vendidit districtu, iterumque alia Conradus Meiser, dictus der Loser, nobilis in Malmozheim eiusque uxor Mechtild de Oetlingen eidem Marquardo, qui in catalogo abbatum notatur ad an. 1388. Ad eum annum apud Schannatum in Vindem. litter. coll. I. p. 153. notatur Kal. Ianuarii obiisse *Adelheidis de Flebingen, soror domini Marquardi abbatis, benefactrix huius monasterii.* Et: *anno Domini* 1394. *Mauritii abbatis,*

obiit

SECULUM XIV. *obiit Ioannes Cunzman de Ettlingen advocatus domini Bernardi marchionis.* Deest in contextu scilicet annus Mauritii abbatis, qui tamen non comparet in catalogo abbatum, qui est penes me. Interponendum tamen aliquem abbatem inter Marquardum, quem iam an. 1367. præfuisse vidimus, & Henricum III. qui in catalogo ad an. 1403. notatur, vix dubitandum est.

Tennenbacense Monasterium.

XXVII. Gallia christiana a) ordine nobis copiosam seriem abbatum monasterii Tennenbacensis eiusdem ord. Cisterc. repræsentat, absque tamen nota aliqua chronologica. Nullus etiam alibi comparet, nec apud Schœpflinum, qui non pauca in historia Badensi periodo II. marchionum Hachbergensium, quæ ad hoc monasterium pertineant, atque ad seculum XIV. recenset b); veluti an. 1310. Henricum III. Hachbergensem Tennenbacensibus nonnulla bona, quæ in Glashausen sita fuerunt, vendidisse. An. 1324. eumdem Heinricum, eiusque filios Heinricum & Hermannum consilio Hugonis & Burchardi, dynastarum in Usenberg cognatorum suorum, cum abbatia Tennenbacensi in gratiam rediisse, iuribusque suis, si quæ habuerint in bona, abbatiæ huic in Malterdingen vendita, perpetuo valedixisse, posterisque suis eamdem abbatiam diligenter commendasse: eodem anno marchionem Heinricum de Hachberg, eiusque filium cognominem emtionem confirmasse, qua abbas Tennenbacensis homines & bona in valle Reichenbach prope Keppenbach, a Walthero de Valckenstein comparasset: eosdem marchiones eodem anno cum Conrado Dieterico Snevelino milite, atque Ottomanno de Keysersberg, Snevelini genero, super castrum Schnefelden transegisse, *ut prædicti equites in castro suo nullum damnum marchionibus inferant; neve invitis marchionibus quemquam in illud recipiant; a monachis in Selsa & Tennenbach homines emant, castrum denique vendant aut mutent.*

a) T. V. pag. 1089.

b) T. I. pag. 354. &c.

Affert ibidem epitaphium Agnetis, uxoris Henrici III. comitis de Hachberg, Ulrici comitis de Hohenberg filiæ, quod hic apponimus in distinctionem duarum familiarum de Hohenberg, & Hachberg, quæ facile inter se confunduntur. *Anno Domini 1310. V. Id. Aprilis obiit nobilis Domina Agnes marchionissa de Hachberg, filia domini Ulrici comitis de Hohenberg.* Fuit anno 1310. ante summum altare sepulta, mater trium filiorum Henrici, Rudolphi, & Hermanni, qui posterior per Germaniam superiorem an. 1318. magister & commendator an. 1347. conventus domus Friburgi Brisgoiæ ord. S. Ioannis Hierosf. abbatiæ Tennenbacensi bona quædam vendidit eodem teste c): Carolusque IV. an 1372. Ottoni I. marchioni Badensi eiusque fratri Hessoni advocatiam

c) L. c. p. 363.

catiam monasterii Tennenbach contulit; quo etiam anno Otto dominus de Hachberg, qui an. 1386. in praelio Sempachensi interiit, sepultus Tennenbaci ante summum altare, sigillum suum chartae Tennenbacensi appendit. Eodem anno Gregorius XI. abbati Tennenbacensi demandavit, ut iniustos detentores rerum monasterii S. Blasii ad restituendum adigat. Deest nomen abbatis in charta, quae in archivio San-Blasiano servatur.

Seculum XIV.

XXVIII. Ex coenobiis pluribus sanctimonialium Cisterciensis ordinis in Nigra silva unum fere est nobile Guntersthalense, haud procul Friburgo, quod sec. XIV. quasdam ostentet abbatissas; nempe Mechtildem I. Opfingerin, quae obiit an. 1366. & Catharinam Mörserin defunctam an. 1373. quas quarto & quinto loco ponit Gallia christiana a), postponitque Annam Lepinam, quae videtur eadem esse ac in alio catalogo, qui penes me est, Anna Behrenlappin de Bolschweil quarta numero: post quam quinta Adelheid de Munzingen, sexta Margaretha Brennerin de Brennberg, septima Mechtild Opfingerin seu de Opfingen: octava Catharina Mörserin de Morsingen, quae possunt esse gentilitii stemmatis, aut natalis soli cognomina, convenientibus annis mortis in Gallia christiana positis. At posita morte fundatricis Adelheidis I. abbatissae an. 1281. sola Heintruda & Clara Horenbergerin, seu de Hornberg vix dici possunt explere aetatem ad Mechtildem I. quae an. 1366. est defuncta.

Sanctimoniales Cisterc. in Guntherssthal, & alibi, ordo SS. Dominici & Francisci.

a) *T. V. pag.* 1094.

Ineunte hoc sec. XIV. Ordo SS. Dominici & Francisci monialium pagis etiam Nigrae silvae fuit illatus. Ac ille quidem in Bertoldespara apud Neidingen, quo se Carolus Crassus imperio excidens contulisse fertur; cuius moniales circa annum 1303. quae usque ad finem seculi XIII. quo a Conrado comite de Furstenberg, canonico Constantiensi, sui ex fratre Friderico nepotis Henrici nomine, bonis ac immunitate sunt auctae, regulam S. Augustini fuerant secutae, institutum dein S. Dominici sunt amplexae. Ordo S. Francisci vero a B. Luitgarda, quae ab ineunte fere seculo XIV. vitam solitariam in valle Kinzingana egerat, postea in Wittichen monasterium ord. S. Francisci, quod hodieque floret, instituit.

XXIX. Indigitavimus libro superiore horridum Nigrae silvae nostrae recessum, quem Sanctimoniales Guntersthalenses sec. XIII. Wilhelmitis reliquerunt inhabitandum, quem nec ipsi diutius sustinentes in suburbium Friburgense se contulerunt. Eum tamen postea frater Ioannes de Urberg sacerdos, & postea per 40. annos Prior cum fratre Burchardo laico repetierunt, donec *praedictos duos fratres tribulatione multiplici examinatos, & vere igne tribulationis probatos misericors dominus, qui non*

Wilhelmitae Friburgi, Oberriedt & alibi.

SECULUM XIV.

relinquit sperantes in se unxit unguento misericordiæ suæ. Taliter vicum, quem Volcardus adhuc puerulus frater carnalis Ioannis Prioris prædicti bene possessionatus, se & sua divino nutu ordinem recipiendo tradidit eis &c. Videtur hic is ipse esse, qui in charta an. 1308. occurrit Volcardus Prior, quod tamen haud memorat F. Conradus Sturn coævus, qui ceu testis in chartis ineunte sec. XIV. legitur, in brevi monasterii Oberriedensis chronico, quod sic concluditur: *Deinde quoque annis fere viginti transactis rite & legitime ac sano freti consilio religiosarum & secularium personarum curiam in Bucheim, ad quam ius patronatus spectat, cum censibus a Waltbero de Falckenstein filio Hiltebrandi de Falckenstein pro CL. marcis puri argenti & legalis emerant, anno ab Incarnatione Domini* 1309. *Id. Dec. in die Luciæ V. & M. hæc chartula edita & scripta est a Fr. Cunrado, dicto Sturn conventuali in Oberriedt, prout in instrumentis litterarum super his bonis ab initio confectarum, & a relatione veridicarum personarum, quibus hæc constiterant, & qui tunc temporis vixerant, noverat & audivit.* Dicitur hic iam monasterium in Oberriedt, quem in locum translatum subsistit a Friburgensi colonia distinctum. Apud Bolland. a) ex Petro Sylvio ord. S. Guilielmi primum in provincia Alemanniæ positum adpellatur: *Domus vallis comitis, dicta Stella Mariæ iuxta Villagium de Oberrecth ultra Vriborch. Domus de Vriborch*, pergit, *dicta Cella Mariæ.* Subdit immediate monasterium *Porta Mariæ*, prope Hagenau in Alsatia dictum, ex quo laudatus Conradus Sturn primum Priorem & fratres missos testatur, Schœpflinus vero (cuius etiam in Alsatia diplomatica charta an. 1345. b) refertur, qua conventus fratrum Wilhelmitarum extra muros Argent. perpetuum lumen se habituros ad sepulcrum Ulrici Landgravii Alsatiæ promittunt) in hist. Badensi c), an. 1394. ordinis S. Wilhelmi monachos in valle S. Mariæ prope Hagenoviam a Bernardo marchione in tutelam receptos, perpetuam missam pro eo se dicturos promisisse testatur. Tomo V. Gallia Christ. in append. p. 495. legitur instrumentum Wilhelmi episcopi Argentinensis, pro fratribus ordinis S. Wilhelmi in Eley anni 1395. cui aliud pro eodem monasterio insertum est Friderici episcopi Argent. an. 1387. Friderico abinde ad sedem Traiectensem translato.

a) T. II. Febr. pag. 480.

b) T. II. pag. 181.

c) T. II. pag. 79.

Edimus chartam an. 1340. ideo, quod in ea multi episcopi nominentur, qui indulgentias 40. dierum monasterio Wilhelmitarum in Friburg, cuius bona & privilegia confirmavit Gregorius XI., concesserunt, itemque quas alii episcopi anno 1337. monasterio eiusdem ordinis in Sion, haud procul a litore Rheni Helvetico e regione Nigræ silvæ. Ter-

Tertio huius ordinis monasterio, haud procul ab Alpibus Sueviæ ad oppidum Mengen, Fridericus Austriæ dux an. 1304. a), (quo eidem monasterio nobiles de Ruolfingen patronatum capellæ in Ruolfingen concesserunt) parochiam S. Martini in Mengen contulit; confirmavitque Ioannes XXII. P. an. 1320. & Henricus episc. Constant. an. 1337. Eamdem munificentiam ratam habuerunt Albertus & Otto duces Austriæ. Quos inter & comites de Wirtemberg lites ortas fuisse Trithemius in annal. Hirsaug. ad an. 1343. narrat propter quædam oppida & dominia, quæ comes quidam de Schelkingen, seu Schalkingen forte Conradus, an. 1321. erga monasterium S. Blasii liberalis, Australibus pro pecunia vendiderat, in quibus memoratus comes de Wirtemberg se nonnihil iuris habere contentebat; contractisque copiis oppidum Mengen obsidione cinxit & devastavit.

SECULUM XIV.

a) *P. Marq. Herrgott cod. probat. geneal. Habsb. Vol. II. p.* 588.

XXX. Monasterium Carthusianorum prope Friburgum, ut ad Nigram silvam redeamus, initia ac fundationem suam accepit a Ioanne Snewelin maiore (cui amplissimæ familiæ etiam monasterium Wilhelmitarum Oberriedense sua incrementa debet) qui anno 1346. illud in suo fundo ac villa instituit, insuperque pro quinque religiosis sustentandis 250. marcas argenti contulit. Anno 1355. notatur Gerardus Hold, rector Carthusiæ Friburgensis.

Carthusia prope Friburgum.

Monasterium confirmavit Leopoldus dux charta data Basileæ anno 1375. & an. 1387. Friburgi (ubi chartæ servantur) Albertus III. filius Alberti II. cognomento curvi seu contracti, qui an. 1330. monasterium Gemnicense ordinis Carthusiensis fundavit, lapidemque primarium in fundamento posuit, teste auctore Anonymo Carthusiano Gemnicensi in chronico Alberti huiusce apud Hier. Pezium b). *Cumque*, pergit, *prædictus princeps magnificus & fundator noster dux Albertus contractus hanc dotem & domum suam in Gemnico (ubi etiam cum domina fundatrice sepultus quiescit) in cunctis ædificiis magnifice consummasset, in ornamentis & clenodiis splendide decorasset, in reditibus & proventibus copiose dotasset atque ditasset, tamque spectabilem & illustrem fundationem studiosissima diligentia perfecisset: & cum adhuc manum eius extentam ad plus dandum Patres restringere voluissent, dicentes, sufficit domine gratiosissime! nobis, & successoribus nostris largissime providistis; tunc quasi spiritu ait prophetico: Nembt dye weil man Euch gybt gern. Es chumbt dy Zeyt, das seyn alles zwenig wyerdt werden. Meyne chynder was Ich Euch wyerdt geben, das büett und phflegtt gar eben.*

b) *Tom. II. Scriptor. R. Austr. p.* 376.

SECULUM XIV.

Ordinis S. Benedicti profectus sec. XIV. alibi gentium.

XXXI. Præter Friburgensem Carthusiam haud scio an accessio aliqua instituto sacro iuxta Regulam S. Benedicti sit facta sec. XIV. quo quidem ineunte Ordo Cœlestinorum in Gallias est invectus. *Mandato quippe*, ut Bulæus ex Saussayi annal. eccl. Aurelian. notavit a), *Philippi regis Petrus de Sora, cantor ecclesiæ Aurelianensis & confessor regius in Italiam profectus, inde monachos Cœlestinos ordinis S. Benedicti secundum statuta B. Confessoris & pontificis Cœlestini conviventes adduxit in Gallias duodecim numero, quos Philippus rex quo decuit honore complexus est &c.*

a) *Tom. IV. Hist. univers. Paris. p.* 950.

In Italia novus institutus est ordo montis Oliveti sub Regula S. Benedicti per Bernardum de Ptolomæis, & duos socios Senenses in comitatu Senensi diœcesique Aretina, adprobatus an. 1317. a Ioanne XXII. Idem an. 1319. monasterium Cassinense ordinis S. Benedicti caput sublimaturus in ecclesiam cathedralem evexit, ut notatur ad eum annum apud Raynaldum n. 33. Legitur bulla etiam eiusdem pontificis an. 1322. qua episcopi designandi ius conventui monachorum Cassinensium attribuit, eamque ecclesiam exemptam ab omni alia, nisi Romani pontificis iurisdictione, declaravit. Quod singulare est Ioannis XXII. beneficium, etsi forte Cassinensis episcopatus iam antea fuisset, ut Baluzius in notis ad vitas Paparum Avenionensium innuit. At Urbanus V. ut religio Benedictina ibidem melius servaretur, abbatiam Cassinensem in ordinem antiquumque abbatialem statum redigendam existimavit (ipse ex ordine Benedictino assumtus) bulla an. 1366. data apud Montem Pessulanum, *ubi* novum fundavit ordinis S. Benedicti monasterium, seque sui ordinis, imprimis vero monasterii Cassinensis, unde religio Benedictina exordium sumsit, studiosum monstravit: *qui papa*, ut auctor coævus Martinus Fuldensis, cui res facile cognita esse potuit, testatur apud Eccardum b) *fecit colligi magnam pecuniam in ordine nigrorum monachorum, cuius ipse professus fuit, pro reparatione monasterii sancti Benedicti in monte Cassino.*

b) *Corpus hist. medii ævi T. I. p.* 1730.

Disciplinam monasticam instaurare Romani pontifices student.

XXXII. Memorat auctor vitæ Urbani V. apud Raynaldum ad an. 1370. n. 16. eum monasterium Cassinense collapsum in ædificiis, quæ propter terræ motum erant pro maiori parte diruta, fecisse reparari & reædificari; at, quod longe præstabilius erat, advocasse monachos, & collegisse religiosos & devotos de diversis aliis monasteriis, in quibus scivit vitam monasticam melius & strictius observari: quos ibidem instituit, & ordinavit perpetuo residere, amotis abinde pluribus vagabundis & insolentibus, qui vitam secularem potius, quam regularem erant ibi soliti observare: tertio deliberasse eidem in abbatem præficere aliquem, qui iuxta regu-

regulam B. Benedicti vivens ad sic vivendum præfatos monachos suo exemplo alliceret, & etiam compelleret, ubi ad contrarium inclinatos inveniret: & quum, licet diutius perquisitum, talem iuxta suum votum in cœnobiis monachorum nigrorum non inveniret, ne in suo huiusmodi sancto desiderio frustraretur, ad habendum fratrem Camaldulensium sub regula eadem famulantium aspectum habuisse. Substiterat tunc in Italia institutum etiam Cluniacense, sed perinde a vigore disciplinæ monasticæ delapsum, ut alibi gentium, quod Trithemius in chron. Hirsaug. (a de nostra Germania deplorans „Apud omnes namque (inquit) ordinis nostri „monachos per totam pene Germaniam his temporibus regularis disciplinæ observantia penitus defecerat: studium litterarum monachorum rarissimus curabat: venationibus, otio & commessationibus erant dediti, „& nihil minus, quam internæ conversationis exercitium aut lectionem „curabant scripturarum.“ Hæc ille, aliaque a nobis infra recapitulanda, ad an. 1354. dudum vero antea ad an. 1317. „Miseria (inquit) fuit tunc „videre Hirsaugiam, quando & spiritualis conversationis veneranda cunctis olim integritas, habitatores omnino deseruit, & rerum temporalium quondam opulentia copiosa penitus defecit. Horum omnium causa malorum ex triplici fundamento non bono sumit exordium: dum „aut mali cœnobitæ suis convenientem pravis moribus, & non secundum Deum pastorem eligunt: aut boni etiam non satis provide ad „constitutionem abbatis procedunt. Nonnunquam etiam non bonum „merentur accipere, qui sine observantia viventes in monasterio, Deum „suis peccatis non metuunt irritare.“

Seculum XIV.

a) T. II. pag. 226.

Exoptabile cumprimis erat & salutare sec. XIV. institutum S. Benedicti secutis, quod pontifices eamdem regulam professi studiose suos sodales ad officium revocare contenderint. Ex quibus Benedictus XII. primo statim regiminis anno die decima Ianuarii an. 1335. prælatos omnes ad suas ecclesias redire coegisse memoratur apud P. Pagium in Breviario Rom. Pont. ex auctore secundæ & tertiæ eiusdem pontificis vitæ, additurque ex auctore quintæ vitæ, id eum etiam præcepisse abbatibus & omnibus obtinentibus Prioratus &c. compulisseque de curia recedere, ac mandasse eosdem etiam invitos in suis ecclesiis & beneficiis residere. Testatur se in suo ordine Cisterciensi dignitates gessisse in celebri, quam *Clementinam* vocant, bulla b) quam primam pro Cisterciensi Reformatione iam memorato an. 1335. edidit: „Huius quoque (inquit) ordinis ab „adolescentia nostra perseveranter iugum sustulimus, & in eo alumni effecti per temporum curricula diuturna crevimus, tam in illo, quam extra

b) T. I. Bullarii Rom. p. 210.

SECULUM XIV.

„tra ipsum successivis prælationum honoribus, & tandem conscendimus, „quamquam immeriti summi cathedram pastoratus. Licet autem exigente „apostolici magisterii cura, cuiuslibet ordinis adprobati incrementum fe„lix & floridum plenis affectibus in eo zelemur, a quo cœlicæ ac terre„næ salutis perfectio derivatur; eumdem tamen Cisterciensem ordinem „acie internæ devotionis & charitatis aspicimus, & ea, quæ ipsius salu„tem & prosperitatem respiciant, quatenus æterni Patris beneplacitis gra„tificari credimus, favorabiliter promovemus. Sane recensentes memo„riter quod ab olim, dum eramus intra ordinem prælibatum, certa nos „experientia instruebat, quod super quam plurimis articulis inferius ex„plicatis ordo ipse apostolicæ provisionis remediis indigebat. Nos ha„ctenus, & moderno tempore super eis & nonnullis a dilectis filiis Guil„lermo Cisterciensi, & Ioanne de Firmitate, Ioanne de Claravalle, & „Rainaldo de Morimundo monasteriorum dicti ordinis Cabilonensis & „Lingonensis diœcesis abbatibus, diligenti collatione præhabita super his „omnibus plenarie informati dignum duximus &c." Palam hinc fit, ordinis Cisterciensis primores abbates sua consilia contulisse & symbola; nihilominus Martinus minorita apud Eccardum a) de Benedicto XII. P. ad an. 1336. agens, *Iste*, inquit, *suo ordini scilicet Cisterciensi & Hospitariis nova statuta salubria edidit, quæ tamen utrique despiciunt & contemnunt.*

a) *Corpus hist. medii aevi T. I. p.* 1634.

Quid vero de ordine Benedictino monachorum nigrorum secundum ea, quæ modo ex Trithemio retulimus, tenendum est? Quorum reformationi idem pontifex haud minus prospectum esse voluit celebri, quæ vocatur *Benedictina*, bulla, de qua idem Trithemius ad an. 1336. *Anno*, inquit, *prænotato Benedictus papa XII. Ordinis nostri compassus ruinæ, ac desolationi novam pro eius reformatione constitutionem edidit, quam ex eius nomine Benedictinam adpellamus, & incipit:* Summi magistri dignatio &c. *In qua quidem constitutione provincialis capituli celebrationem imprimis ordinat: deinde provincias totius christianitatis distinguit, pro eiusdem capituli continuatione notanter confirmanda: postea de visitationibus monasteriorum suam introduxit sententiam, & postremo multa per varias rubricas loquitur ad ipsius ordinis decorem & reformationem.*

In recensione provinciarum etiam Maguntinensis legitur, quæ ad nos attinet. Supra de metropoli Moguntina agentes meminimus constitutionum an. 1316. a Petro archiepiscopo Moguntino in synodo editarum pro monachis diœcesis Moguntinæ, quæ iam institutis seu potius restitutis capitulis provincialibus Nigræ etiam Silvæ nostræ proficuæ esse poterant;

terant; ſiquidem laudatus Trithemius aliquamdiu ſaltem capitula ea provincialia celebrata fuiſſe teſtatur, quod imprimis de Anglia conſtat ex Spelmanni conciliis Anglic. ab an. 1338. quamdiu nempe Benedictus XII. pontificatum tenuit ad an. 1340. quo memorat idem Trithemius Benedictum XII. P. in Avenione reſidentem ad inſtantiam præſidentium, & abbatum quorumdam Capitulorum provincialium ordinis noſtri conſtitutionem ſuam de reformatione monachorum factam ante quatuor annos in plerisque locis ambiguam, & quibusdam perplexitatibus involutam nova editione declaraſſe: eodemque tempore mandato Romani pontificis capitula in ordine noſtro provincialia ſeu generalia per totam Europam ſtudioſe celebrata fuiſſe, quæ tamen ſucceſſu temporis intermiſſa uſque ad Conſtantienſe concilium in multis defecerint. Deſideratur declaratio illa, quam Trithemius perhibet factam a Benedicto XII. 1340. ſuper dubia Conſtitutionis Benedictinæ an. 1336. loca. In hac vero præter capitula provincialia, per provincias nimirum hierarchicas ſingulis trienniis celebranda a) (de quibus agit cap. 1.) copioſe præterea tractat, modumque proſcribit c. 3. capitulorum generalium annuatim in ſingulis monaſteriis, perinde ac eccleſiis cathedralibus celebrandorum: demumque cap. 5. præſcribit quotidianum capitulum regulare, quo iuxta pontificis ſententiam *fortificatur & durat nervus monaſticæ diſciplinæ . . . In quo*, pergit, *priusquam ad alia quævis procedatur plene (ſecundum regulam monaſticam & eccleſiarum, monaſteriorum conventualium, & aliorum locorum præfatorum conſuetudines approbatas) monachorum ſeu fratrum exceſſus, transgreſſiones, & negligentiæ corrigantur: ac de diſciplina & reformatione regulari agatur in illo.*

SECULUM XIV.

a) *T. I. Bullar. Rom. p. 218. &c.*

XXXIII. In laudata Benedicti XII. conſtitutione an. 1336. pro reformatione monachorum nigrorum ord. S. Bened. quæ *Benedictina* appellatur, cap. 16. circa eſum & abſtinentiam carnis iuxta inſtitutionem regularem ſingulariter ſtatuitur & ordinatur b): *quod per totum annum feria quarta, & die Sabbati, & a prima Dominica de Adventu uſque ad diem natalis Domini, & a Dominica Septuageſimæ uſque ad diem paſchæ omnes regulares eiusdem ordinis ſive religionis ab eſu carnium ubique abſtineant, niſi neceſſitas infirmitatis non fictæ, per abbatem, vel alium prælatum proprium forte ſuadeat cum aliquo diſpenſandum. Diebus autem quibus monachi in infirmitorio carnes edent, ſic provideatur omnino, quod in refectorio remaneat ad minus medietas monachorum capituli, vel conventus, & idem fiat ubi abbas ſeu alius prælatus principalis aliquos ad domum ſeu ad Cameram ſuam vocabit ad melius vel plenius exhibendum.*

Victus, veſtitus, ac peculium monachorum.

b) *T. I. Bullar. p. 234.*

Iam

SECULUM XIV.

Iam an. 1316. in synodo Moguntina cautum fuerat c. 20. a). *Item monachi in refectorio carnibus non utantur, nisi in infirmitorio, cum agrotant.*

a) T. IV. Conc. Germ. pag. 260.

Trithemius in annal. Hirsaug. ad an. 1341. quo Wichardus abbas fuit renunciatus, eum vivendi modum, quem in monasterio reperit, quum emendare non posse videretur, inconvulsum suis monachis permisisse testatus, in exemplum hæc adducit: „Gaudebant ex antiqua corruptione „peculio: carnibus etiam quadrupedum omnes per totam Germaniam „sine aliquo conscientiæ scrupulo vescebantur, & de interna conversatio„ne spiritus ac puritate mentis cura paucis inesse videbatur. Pontifices „nonnulli ecclesiarum cupientes monasteria ordinis in suis constituta „diœcesibus meliora pro viribus revocare, cum nec personas haberent „pro reformatione idoneas, nec modum & formam reformandi, ut ma„gnum aliquid putarentur fecisse, proventuum & bonorum inter abba„tes & monachos divisionem contra monasticam puritatem introduxe„runt, quasi per hoc desolatis monasteriis maximopere videretur con„sultum ... Sed non fuit iste verus reformandi modus, qui multa or„dinis nostri monasteria in ultimam, sicut hodie cernimus, paupertatis „inopiam præcipitavit." Edimus Ulrici abbatis S. Blasii chartam an. 1321. qua Priori & Conventui S. Blasii proventus addicit separatos ad mensam regularem. Alteram item Petri abbatis an. 1347. qua certi reditus Priori & Conventui conceduntur, „quod pretio eiusdem annonæ pisces com„parentur, & fratribus de conventu in die Assumtionis B. M. pisces pi„perati annis singulis perpetuo, quanto lautius potest fieri, ministrentur, „& deinceps fratres diem meum anniversarium celebrent iuxta consuetu„dinem loci perpetuo dicta die." Sic etiam in rotulo membranaceo anniversariorum an. 1383. *pisces piperati & fladones*, decoctum ex lacte & ovis, notantur ministrandi.

Semel tamen sequentia ibi leguntur: „Nota quod in festo Corporis „Christi servitur conventui in Vigilia cum integra mensura cum una li„bra, & in die cum piscibus piperatis & vino bono, & in octava cum „duobus agnis." Vides hic carnes quadrupedum, quas tamen San-Blasianos sec. XIV. in infirmaria tantum comedisse manifestum fit ex charta Henrici IV. abbatis an. 1348. in qua promittit se quatuor vaccas pro conventu nutrituros: „quarum fructum (addit) tam in lacte quam in „fœtu ipsi Prior & Conventus perpetuo recipiant. Et lacte in refecto„rio & fœtu in infirmaria utantur." Statuit porro, *ut fratres, scilicet Prior & Conventus in infirmaria comedentes servent silentium, & habeant lectionem sicut in refectorio.*

Idem

Idem abbas, quoad vestimenta etiam fratrum liberalem se commonstravit cum obligatione tamen missæ perpetuæ, quotidie per ipsos Priorem & conventum in capella S. Petri celebrandæ, dum inter alia promittit: „Item nos nostrique successores ad cappas dabimus pannum ex „lana caprina, contextum in Vilingen, vel Rotwila emendum, & ad „tunicas pannum subtilem de Argentina, vulgo dictum *dinnen Strasbur-* „*ger*... Item ipsis dabimus pro caligis faciendis pannum laneum albi „coloris, cuius ulna III. solidos denariorum usualium, & pro soccis „faciendis pannum, cuius ulna II. solidos denariorum eorumdem valere „potest, ac circa festum Pentecostes cuilibet ipsorum unam ulnam panni „linei, vulgo dicti Zwylich, valoris decem denariorum, pro caligis „faciendis." Quod nempe ad distinctionem vestimentorum in æstate pertinet, & hyeme iuxta S. Regulam. Qua de re in ordine operis Dei eiusdem sec. XIV. hæc quæ notavi in monumentis vet. Lit. Alem. a) præscribuntur: „Notandum, quod XII. Cal. Apr. qui est dies S. Benedicti, debet dari fratribus præbenda vestitus æstivalis, sive sint cucullæ „sive tunicæ, sive aliæ vestes, & debent eis ministrari ad quemcumque „locum ex obedientia destinati fuerint super eandem diem." Et postea in eodem Cod. Msc. *V. Cal. Nov. debent ministrari fratribus vestes hyemales in quocumque loco ex obedientia existant.*

SECULUM XIV.

a) *T. II. pag.* 255.

Ubique ex allatis monumentis elucet divisio bonorum usúsque condictus ac certi proventus, qui etiam in bonis immobilibus religiosis in particulari dati leguntur, atque ad dies vitæ res assertæ, veluti ex charta quam edimus, constat, qua Markartus de Ehingen coram iudicio Horbensi profitetur curiam in Sulzowe verum suum esse vitalitium, quod post mortem suam iterum ad conventum Reichenbacensem redeat. Confitetur porro, se curiam illam cum esset Prior contra voluntatem Conventus fratri suo Wernhero de Ehingen collocasse contra ius & fas. In charta an. 1375. monasterii Albæ Dominorum legitur Walterus de Gugelingen, civis Spirensis legasse monasterio Albæ centum viginti florenos sub ea conditione, ut filio suo Riperto monacho eiusdem monasterii annui quidam proventus emerentur: Riperto isti facto deinceps abbati in pomerio monasterii Albæ tradidit illos agros & prata, quæ dictum monasterium emit a Richelina de Oettlingen an. 1367. ad dies vitæ tantum.

XXXIV. Nihil frequenter adeo & amare deplorat Trithemius in Annal. Hirsaug. quam studiorum neglectum apud monachos sec. XIV. dolens imprimis idcirco materiam sibi, ut iam notavi, deesse conscribendæ historiæ, *quod*, scribit ad an. 1355. *monachorum ignavia non litte-* *ris,*

Studia litterarum promotoribus maxime summis Pontificibus Benedictinis.

SECULUM XIV.

ris, ut olim, ſed vanitatibus dedita, nihil memoria dignum, poſteritati reliquerit. Apud omnes namque Ordinis noſtri monachos per totam pene Germaniam his temporibus regularis diſciplinæ obſervantia penitus defecerat: ſtudium litterarum monachorum rariſſimus curabat: venationibus, otio & comeſſationibus erant dediti, & nihil minus quam internæ converſationis exercitium aut lectionem curabant ſcripturarum. O tempora! O mores clauſtralium! Quam longe diſtamus, imo iacemus a fervore ſpiritus, & diſciplinæ religioſæ converſationis Patrum antiquorum. Et tu Hirſaugia mater quondam inſignis plurium Ordinis noſtri monaſteriorum, quæ ſtudio divinarum ſcripturarum ſimul & integritate morum olim, ut paradiſus Dei fulgebas, his, in quibus calamum nunc exercemus temporibus, quantum defeceris ingemiſcimus. Eandem fere paucis repetit ad an. 1359. querelam de illorum temporum calamitate, *quando non ſolum in iſto inſigni monaſterio Hirſaugienſi, ſed & in cæteris pene omnibus cuncta ſpiritualis diſciplina, & ſancta exercitia defecerunt.*

Summi pontifices, quos vidimus, reformationi ordinis monaſtici intentos, de ſtudiis etiam litterarum intra monaſteria reſtaurandis fuerunt ſolliciti iam ineunte ſec. XIV. Clemens V. in Conc. Viennenſi an. 1311. ſanciens, *ut in ſingulis ipſorum monaſteriis ideoneus teneatur magiſter, qui eos in primitivis ſcientiis inſtruat diligenter*, ut pluribus videre eſt lib. V. Clementin. c. *Ne in agro* de ſtatu monach. Quam conſtitutionem Benedictus XII. a) ſæpe laudatus ſingulari capite VI. explicans, *adiiciendo* ſtatuit, *ut in quibuslibet eccleſiis cathedralibus, monaſteriis, Prioratibus, & aliis conventualibus & ſolemnibus locis, quibus ad hoc ſuppetunt facultates Ordinis ſeu Religionis huiusmodi deinceps habeatur magiſter, qui monachos eorum doceat in huiusmodi ſcientiis primitivis, videlicet, Grammatica, Logica & Philoſophia; proviſo attentius, ut ſeculares inſtruendi cum ipſis monachis docendis in eisdem eccleſiis, monaſteriis, Prioratibus & locis nullatenus admittantur. Cui quidem magiſtro, ſi monachus non fuerit ipſius ordinis ſeu religionis de pane, & vino, & pictantia providere quotidie, ſicut uni ex monachis eccleſiarum, monaſteriorum, Prioratuum ac locorum huiusmodi, teneantur illi, qui talia tenentur in aliis capitulis &c.*

a) *T. I. Bullarii p.* 223.

In monumentis domeſticis primum reperio eiusmodi magiſtrum Nicolaum de Rudlingen presbyterum, qui in charta an. 1357. ſcribit ſe rectorem in Brambach, & rectorem ſcholarum S. Blaſii. An. 1391. tamen Id. Auguſti obiiſſe memoratur Fr. Ioannes de Tullicon Scholaſticus S. Blaſii adeoque monachus, dum circa ea tempora vergente nimirum ſeculo XIV.

perin-

perinde ac adolescente eodem seculo, ut supra vidimus, haud defuerunt viri docti, & diligentes, ut monumenta, quæ supersunt attestantur ipsa, aut eorum recensus complurium imprimis inter monumenta Vet. Lit. Alem. a) voluminum pro lectione ad mensam & collationes, seu publicam lectionem ante completorium ex scriptis seu homiliis SS. PP. ac vitis Sanctorum in eorum festivitatibus ordinatim per annum, præter S. Scripturam integram annuatim legendam præscripto per hebdomadas ordine, ita ut, quod remanserat de lectionibus ad nocturnos, legeretur ad mensam usque in finem, ut passim annotatur.

SECULUM XIV.

a) *T. II. pag.* 255. *&c.*

Duo supersunt codices eiusdem ætatis libri, qui iam a nobis est memoratus, inscriptus *Ordo operis Dei* in argumentum diligentiæ, quam anonymus ille a nobis passim laudatus, auctor libb. construct. monasterii S. Blasii inculcat alicubi his verbis: *Scribantur libri, ut & manus operetur cibum, & anima lectione satietur.* Quam religiose porro initus fuerit seculo adhuc XIV. labor manuum, ex iis palam fit, quæ in monumentis veteris Liturgiæ Alemannicæ b) ad rem attulimus ex codicibus MSS. eiusdem ætatis, imprimis ordine operis Dei S. Blasii.

b) *T. II. pag.* 250. *&c.*

In eodem porro codice varia inserta leguntur, quæ scholas & scholares attinent a pueris in monasterio institutos, quorum officia in choro præsertim passim præscribuntur, eorum etiam obitus in necrologiis notantur. Ad an. 1382. e. g. *XI. Kal. Nov. Ioannes iuvenis dictus Blarer monachus monasterii S. Blasii. An.* 1390. *XII. Cal. Ian. Rudolphus de Almishofen puer & monachus S. Blasii. An.* 1391. *XIII. Cal. Febr. Mathias puer & monachus S. Blasii. Id. Aug. Adbereon de Tullikon scholaris S. Blasii.* Petrus Rogerii postea Clemens VI. P. anno ætatis decimo habitum S. Benedicti induisse in monasterio Casæ Dei in Avernia memoratur apud Fr. Pagium in breviario Rom. Pont. ipse testis in bulla data in gratiam illius monasterii se sub regulari habitu ab annis teneris militasse, & in eo professionem emisisse regularem. *Nam*, ut in sermone habito in exequiis eiusdem dicit Ioannes de Cardalhaco patriarcha Alexandrinus c), *principio suæ puerilis iuventutis Deum habuit in memoria, puer decem annorum religionem sancti Benedicti ingrediendo.* d)

c) *Apud Baluz. in vita Pont. Avenion. p.* 835.

d) Eius post Innocentium VI. successor Urbanus V. iterum ex ordine S. Benedicti monasterium in Monte Pessulano fundavit in honorem SS. Benedicti & Germani *monachorum studentium & claustralium.* Ut apud eundem Pagium annotatur ex eius vita; ex bulla item an. 1368. statuisse eum, constat, ut in dicto monasterio seu Prioratu sint viginti monachi Conventuales, de quorum numero sit unus Prior. Ut etiam sint duodecim perpetui presbyteri seculares, qui horis diurnis ac nocturnis continue deserviant in divinis: quod item ultra Priorem sint sexdecim monachi eiusdem ordinis professores, qui per abbatem S. Victoris Massiliensis tam de suo monasterio, quam de aliis ab ipso dependentibus ad studendum in iure canonico mittantur: de-

SECULUM XIV.

Generalia & academica ſtudia.

XXXV. Benedictus XII. ex ordine Ciſtercienſi aſſumtus in bulla pro reformatione illius ordinis anno 1336. data ſtudia generalia pro illius alumnis ordinavit, ſingulis provinciis aliqua aſſignata ſchola, ita ut *Alemanni dirigantur ad ſtudium Metenſe pro dictis ſcientiis primitivis*; qui nempe darent operam philoſophiæ non vero ſtudiis iuris canonici aut civilis, voluitque ut e quolibet monaſterio religioſi mitterentur ad litterarum ſtudia, ut Bulæus in hiſt. acad. Pariſ. ad an. 1337. a) notavit. Multa quoque articulatim pro ſtudiis & ſtudentibus tum in hac pro Ciſtercienſibus b), cum etiam in bulla ſæpe laudata pro monachis nigris præſcripſit cap. VII. & VIII. c) *de ſtudentibus ad generalia ſtudia mittendis, eorumque penſionibus.*

a) *T. IV. p.* 254.

b) *L. c. pag.* 215. *&c.*

c) *pag.* 223. *&c.*

Teſte Bulæo eodem an. 1336. d) Benedictus Bernardinorum ſeu Ciſtercienſium Pariſienſium collegium eo ſchemate, quo ſuis oculis illud vidit Bulæus, ædificare cœpit. Eius vero nepos Ioannes de Buxeriis ſeu de Avernia, qui adoleſcens in illo collegio philoſophiæ & theologiæ operam dederat, doctoratus lauream conſecutus, abſolvit tunc abbas Ciſtercienſis. Ubi ante fores eccleſiæ ita legitur in ſcuto: *Hæc ſunt arma S. memoriæ D. Benedicti papæ XII. Ciſtercienſis Ordinis, cuius eſt præſens ſtudentium collegium; qui hanc fundavit eccleſiam, & multis donavit indulgentiis.* Factum id ad inſtar collegii Cluniacenſis congregationis (ſeſe in Nigram ſilvam noſtram protendentis) iam anno 1269. ab Yvone Vergiaco Pariſiis inſtructi, ut tamen anno 1309. Henricus de Fauteriis abbas Cluniacenſis, ſuperiore anno renunciatus, epiſcopus poſtea S. Flori in Arvernia ſtatuta prædeceſſorum ſuorum *ſuper proſperitate & promotione ſtudii theologiæ* inſigniter auxerit, *quatenus*, ut apud Bulæum e) legere eſt, *in domo noſtra ordinata & fundata principaliter ad audiendam theologicam facultatem, ſapientiam tam ſupremam, tam difficilem, tam profundam & inveſtigabilem mittant ad proficiendum & ſtudendum docibiles aptos mente & ingenio & potiſſime in grammaticalibus ad minus ſufficienter fundatos.* f)

d) *pag.* 250.

e) *L. c. pag.* 122.

f

Narrat

nique quod pro clauſtralibus quatuor & ſtudentibus ſex monachi mittantur oriundi de civitate & diœceſi Mimatenſi. Memorat porro auctor vitæ eius primæ viros litteratos eum valde dilexiſſe, multosque ex ipſis promoviſſe & exaltaſſe: utque daret cæteris addiſcendi materiam & opportunitatem, quamdiu vixit in papatu tenuiſſe mille ſtudentes in diverſis ſtudiis.

f) Sic nempe diſpoſitos vuit ad audiendam logicam, „quæ (inquit) eſt modus ſciendi ad omnium artium & ſcientiarum principia viam habens: Primo ſummulas in Domo: deinde veterem logicam, & poſtea novam logicam in domo vel extra audiant; ut ſic imbuti in logica competenter libros naturales & philoſophiæ audire & facilius intelligere poſſint: cuiusmodi logicalium & librorum naturalium philoſophiæque auditionem eisdem concedimus in favorem ſacræ Scripturæ, ut videlicet efficacius & facilius capiant & intelligant librum ſententiarum. in quo profunda myſteria totius ſacræ paginæ continentur. Similiter de audientibus theologiam ſtatuimus, quod libros Bibliæ audiant ordinate.“ Ordinato pro logicalibus

Narrat porro Bulæus a) lites, quales iam superiore libro memoravimus, universitatis Parisiensis cum monachis San-Germano-Pratensibus ob scholares male habitos, uti etiam hoc seculo contigit piscantibus in fossis prati, re an. 1317. ad pontificem delata. Cum Cluniacensibus decertavit universitas an. 1334. b) ob domum Cluniacensem sitam ad portam S. Germani regiæ tutelæ commissam: itemque an. 1336. c) cum M. Petro Chalusio decretorum doctore & abbate Cluniacensi, propterea quod ille in platea quadam, quæ erat ipsius universitatis, ædificium aliquod subgrandiuscule exstruxerat.

a) *L. c.* pag. 174.
b) pag. 243.
c) pag. 247.

Irata porro universitas an. 1341. d) Baccalaurios suos inter alia iurare iussit, nullum religiosum cuiuscumque fuerit professionis recipere *in aliqua examinatione videlicet Determinandorum & Licentiandorum, nec interesse suo Principio nec suæ determinationi.* Notat tamen Bulæus in catalogo illustrium academiarum sec. XIV. e) inter alios Guillielmum de Costa, ordinis Cluniacensis licentiatum fuisse in theologia uno an. 1391. cum M. Petro Wuart Rotomagensi, Ægidio Morpa, magistro scholarium S. Dionysii, Iacobo de Metis Augustiniano, Matthæo de Dunis Cisterciensi, Michaele Picquier Minorita, Bernardo Textoris Carmelita, Roberto Poitwein Augustiniano, Guillelmo Moheti Minorita & Ioanne de Trinitate Cisterciensi. Sic an. 1398. Bertrandum de Fontonay doctorem theologiæ ordinis Cisterciensis licentiatum sistit a Cancellario Parisiensi cum MM. Mathæo Reginaldo, Io. Morames, Io. de Londa August. Io. Leans, Io. Arnoldo Minorita & Guill. Prevost Carmelita.

d) pag. 274.
e) pag. 959.

Multos porro in eodem catalogo illustrium academiarum universitatis Parisiensis sexti seculi, a Christo nato XIV. recenset Alemannos rectores universitatis renunciatos cum amplissimis Germaniæ provinciis nationi Anglicanæ computatos, cui cum Picardia an. 1358. lis de finibus in-

 ter-

audiendis spacio biennii, & pro libris naturalibus & philosophicis spacio biennii. „Item „(pergit) ad habendum experimentum qualiter proficiant studentes, & ad exercitationem in„genii & intellectus eorundem statuimus, quod omnes & singuli Bibliam audientes postquam „biennii spacio eam audierunt, sermones & collationes secundum ordinem faciant diebus & „temporibus hactenus consuetis. (Statuit deinceps) propter exercitium collationis & dispu„tationis fructum fieri hebdomatim vel saltem in quindena semel horis certis disputationes quæ„stionum logicalium philosophiæ & theologiæ alternatim inter fratres studentes." Inhibet vero postea in virtute obedientiæ „ne apti & sufficientes (sit) ad legendum solemniter aliquem „librum bibliæ, cuiusmodi lectura in studio Parisiensi Cursus communiter appellatur, & præ„sertim librum sententiarum præsumant legere sine nostra & successorum nostrorum licentia „speciali petita & obtenta." Idem gravissimis verbis cavet de honore magisterii in theologia seu doctoratu, de studio item iurium, aut alterius facultatis distinctæ a logica, philosophia & theologia in sola domo Scholarium Cluniacenium Parisiis: „Item quod nullus de ordine no„stro studeat amodo in iure canonico nisi in altero de locis infra scriptis videlicet Aure„liani, Tolosæ, in Monte Pessulano, & Avinione."

SECULUM XIV.

terceſſit, amice demum compoſita, factaque inter quatuor ipſas nationes hæc limitatio, ut ex Goulero refert a), *ut Moſa & Moſella fluvii facerent terminos inter Picardos & Germanos, ſimiliter inter Gallos & Germanos. Item a parte Sabaudiæ Lauſanenſis lacus inter ipſos Alemannos diviſionem facit & Gallos.*

a) L. c. pag. 346.

Iam an. 1348. Carolus IV. imp. academiam Pragenſem inſtituerat, quam confirmavit an. 1366. Urbanus V. P. Urbanus VI. vero Colonienſem, & Heidelbergenſem, hancque ad inſtar Pariſienſis plantaſſe dicitur Bulæo, atteſtante Trithemio, Marcilium de Inghen de gymnaſio Pariſienſi fuiſſe evocatum Heidelbergam pro univerſitatis initio. Ehrfordienſi in Turingia ſcholæ Bonifacium IX. an. 1392. privilegium facultatis theologicæ conceſſiſſe Krantius notavit b), quæ eo pacto academia inſtituta paulatim in univerſitatem excrevit perinde ac Heidelbergenſis Nigræ ſilvæ noſtræ vicinior, ubi in magno chronico Belgico apud Piſtorium c) Rupertus RR. ineunte demum ſec. XIV. dicitur fundaſſe ſtudium univerſale & dotaſſe & privilegiis ornaſſe notabiliter, *erigendo ibidem venerabilem eccleſiam collegiatam, in qua ſemper tres doctores ſacræ theologiæ, tres doctores in iure canonico, unus doctor in medicinis, unus doctor theologiæ, qui ſit prædicator: tres magiſtri in artibus, & duodecimus eorum decanus (qui ſimul doctor de facultate theologica, aut iuris canonici) & ut plebanus etiam eccleſiæ illius ad minus baccalaureus formatus in theologia eſſet. Iſtius etiam tempore fundatum fuit ſtudium univerſale Coloniæ, quod mirabiliter inſtar ſtudii Pariſienſis privilegiis cohoneſtavit.*

b) Lib. X Saxoniæ c. 15.

c) Script. rer. Germ. T. III. pag. 373.

Præter doctores & profeſſores in academiis Germanicis monachi haud comparuerunt, ut in Gallia, præſertim univerſitate Pariſienſi iam a ſeculo præterito: dum interea temporis incommoda pro diſciplina regulari ex hac iuvenum monachorum ad academias miſſione in propatulum venerunt, abiectumque præiudicium quod inoleverat, extra academicam palæſtram non ſatis fervere litterarum ſtudia, ut obſervat inſignis Gallicus ſcriptor Claud. Fleury diſſert. VIII. in hiſtoriam eccleſiaſt. d). *De religioſis: Quia*, inquit, *extra univerſitates fructuoſa litteris opera dari poſſe tum temporis non credebatur, illuc mittebantur monachi; tum vero eorum diſciplinam laxabant mentium evagationes ex itineribus, inevitabilique congreſſu cum academicis ſæcularibus ex parte maxima parum bene moratis, vanitas item graduum honoris ex doctrina, & prærogativæ, quas huiusmodi gradus in cœnobiis conciliabant.*

d) T. XXIV. pag. 52.

Theologia.

XXXVI. Tale vero fuit tunc ſtudium theologicum perpetuo confligtans & contentioſum, quod in clauſtris etiam ſeceſſuque monaſtico erat

per-

perniciosum perinde ac collegiis illis studii generalis ordinum monasticorum, quæ modo commemoravimus, Cluniacensi imprimis, quod nos propius attingit, quippe quod congregatio illa in Nigram silvam usque sese protenderit. Excerpta quidem illa, quæ dedimus ex statutis & legibus sec. XIV. pro collegio Parisiensi factis, summam curam demonstrant pro facultate præsertim theologica, quam diximus superiore libro in biblicam, & philosophicam peripateticam divisam, quæ ipsa in partes ita divisa fomes litium, altercationum & controversiarum erat a). a

Quod vero materiam theologicam ipsam attinet Ioannes XXII. in epistola ad academicos apud Raynaldum ad annum 1317. theologastros perstringit, qui *postpositis vel neglectis necessariis, utilibus, & ædificativis doctrinis, curiosis, inutilibus, & supervacuis philosophiæ quæstionibus & subtilitatibus se immiscent, ex quibus ipsius studii disciplina dissolvitur, luminis eius splendor effunditur, studentium utilitas impeditur.*

Studio biblico in legibus collegii Cluniacensis suum statutum pretium fuit; sed non perinde alibi tum in publicis studiorum exedris, cum etiam in privatis apud ordines religiosos, mendicantes præsertim, qui de uno ad alia monasteria per provincias persæpe mutandi, missitandique dum parum suppellectilis litterariæ constanter habebant ad manum, ante divinum præsertim typographiæ inventum, omnia veluti sua secum portabant. b) b

In

a) Asseritur illis in statutis collationum & disputationum etiam utilitas, sed procul strepitosis illis per integros dies protractis, qualem Bulæus (p. 173.) ad an. 1316. describit institutum animosum illum toto orbe celeberrimum *Actum*, qui, vulgo dicitur *Sorbonicus*, *quo scilicet, æstate per singulos dies Veneris non impeditos ab hora quinta matutina ad septimam vespertinam sine præside, sine socio, sine prandio & pastu, sine ulla emigratione in eadem perpetua corporis, sedis & animi contentione per* 14. *horas continuas omnibus & singulis opponentibus respondetur.* Et quid tandem conficitur, aut confectum est? Quærere licet, cum viro docto illo aliquando in conclave illud deducto, in quo, ut ipsi dicebatur ostentabaturque, tot iam seculis fuit disputatum.

b) Hinc illæ subtilitates e cerebro natæ, continuis disputationibus fotæ: hinc illæ factiones inter ordines Dominicanum & Franciscanum, in quo Io. Dûns Scotus sectam Thomisticæ oppositam per secula duraturam sec. hoc XIV. constituit firmavitque, controversia illa imprimis de immaculata Conceptione B. M. V. insignem, quam iussu sui ordinis Ioannes de Montesono Dominicanus impugnabat, ut vicissim Scotus pro aris focisque tuebatur, idcirco Coloniam missus Altera minus celebris erat inter Prædicatores & Minoritas disputatio de sanguine Christi in passione effuso. Cæterum disceptatur de modo & mensura gratiæ divinæ eiusque operatione. Wilhelmus Occanus, discipulus Scoti, antesignanum sese sectæ Nominalium contra Reales præbuit

Præ his vero in studio biblico ex eodem ordine meliorem elegit partem navavitque operam Nicolaus de Lyra, meliorem in expositione veteris testamenti, quam novi, gnarus hebraicæ, non vero græcæ linguæ. Linguæ quippe hebraica, chaldaica & arabica frequentabantur in academiis ab ineunte seculo XIV. ex statuto Concilii Viennensis an. 1311. (uti legere est in Clement. lib. *de Magistris.* cap. *Inter sollicitudines.*) hortatu imprimis Raimundi Lulli iunioris,

SECULUM XIV.

In homiletica operam egregiam præstitit Petrus Berchorius Pictaviensis, Ord. S. Bened. philosophus & theologus clarissimus, qui Titum Livium in linguam Gallicam convertit, edidit vero historiam biblicam, & repertorium morale, quod ad nostram usque ætatem usum præbuit concionatoribus. Quo in munere sec. XIV. excelluit Dominicanus Ioannes de Friburgo ex natali sic dictus solo, urbe Friburgensi Brisgoiæ ad radices montium Nigræ silvæ sita, aliis etiam scriptis celebris, quæ recensentur T. IV. Conc. Germ. p. 618. ex quibus eodem adhuc seculo eius summa de decretis in Germanicam linguam translata a Bertoldo presbytero eiusdem ordinis Prædicatorum extat Msc. in bibl. monasterii Gengenbacensis a): in qua etiam citatur eiusdem Ioannis de Friburgo Summa Confessorum: aliæque complures editæ sec. XIV. prostant summæ casuum conscientiæ pro praxi confessionis sacramentalis iuxta disciplinam sec. XIII. ab Innocentio III. in concilio Lateranensi stabilitam can. *Omnis utriusque sexus:* unde factum est, ut successu temporis confessio auricularis semper magis magisque frequentata, insigni fidelium utilitate etiam exercitium pietatis, quæ prius reservata fere fuerat ad articulum necessitatis, prout ecclesia diversis temporibus usa est potestate clavium, ut quæcumque solveret & ligaret in terris, essent etiam soluta & ligata in cœlis.

Inde

maxime ob infidelium & Mahumetanorum conversionem: quare sancitum est linguas illas in præcipuis universitatibus publice doceri, earumque linguarum libros fideliter in latinam linguam converti. Ad interpretationem vero scripturarum rarus erat earum linguarum usus, ipsius etiam sacræ scripturæ in theologia, præterquam homiletica & mystica.

a) Incipit Prologus de Summa Iohannis de decretis. Unusquisque sicut accepit graciam in alterutrvm illam amministrantes. J. p. IIIJ. Scus Petrus Aplus. „Spricht in siner ersten epistel in dem vierden Capitel. dass ein jeglich mensch alz er het gnode und tugend Emphangen von got. also sol er die gnode ouch andren liten mittheilen und geben. Vun darumb wan ich bruder *Bchtold* und Priester gehorsami han geton prediger Ordens. der dar umb gemachet und bestetiget ist von der heilgen cristenheit. daz er soll predigen vnd kunden daz gottez Wort. zenutz vnd selikeit den lüten. Vnd ich min tage vil geprediget han, und das gelossen het. Vnd mich eins einsydels Leben angenomen het. und nit predigen me mohte. und brüderlich truw und nutz bewisen noch dem gebott götlicher Liebi ze tunde minen nehsten Menschen, alz ich solt. Vnd auch von gehorsamy wegen mins Orden. dar vmb ich straff und gewissny hett grosse Klich in miner Sele. und das ze bessrung. daz Christenlüte dogegen von mir möhtint an ir Sele getrostet werden. so han ich von minem vermögen mit der Hülff Gottez vnd mins Orden sei Dnici. und onch von Liebi und Bett wegen Her Hansen von Aur seligen, des andeelstigen Ritters ze tütscher sproche noch der ordnung des A. B. C. gemachet, und das allernutzost ist den Luten ze wissende und usgezogen und genomen aus dem *Buch der Summen der Bihtiger.* die der wirdige Vatter *lesemeister Joans von Friburg* auch prediger ordens ze Latin gemachet hat. uff dz ich nit trete wider min gehorsamy. und brüderliche Liebe breche. der ich schuldig bin allen Lüten und bitte alle die daz Buch lesent oder schribent. daz sy nüt darzu, noch daven setzen, denn daz not ist ze tunde. durch dz d'recht Sin der heilgen Lerer nit gefelschz werde in dem Buch. oder an dem Sinne. oder an der Zal der Quoten. oder der Capitel des Decrets Buch. Die etwenn unrecht von den schribern gesetzt werdent. und uberschen der mag gon zu der Summen Iohannis. oder zu dem Decret. und Lesen noch siner wegriht, siner selen seligkeit. **Explicit plgus.**"

Inde vero quod theologia moralis christiana potissimum ad tribunal pœnitentiæ accommodaretur, ubi præcipue de materia confessionis tractandum erat, factum est, ut theologia mystica, quæ ad renovationem interioris hominis attinet, qua aptus christianus fit ad officia christiana, perfectionemque ac felicitatem assequendam, magis discerneretur media inter theoreticam & practicam theologiam atque de utraque participans, insignes imprimis doctores nacta, ex quibus præcipuos Nigræ silvæ nostræ vicinos iam laudavimus, utrumque ord. Prædicatorum Ioannem Taulerum, qui an. 1361. Argentorati obiit, relictis operibus, quæ magno apud omnes sunt in pretio, & B. Henricum Susonem, alias etiam Ioannem de Suevia nominatum, Constantia ex nobili familia de Berg oriundum. SECULUM XIV.

XXXVII. Ordines Mendicantium ex instituto suo vitam activam, ut vocant, cum contemplativa coniunxisse, libro superiore vidimus, audivimusque simultates & querelas ordinis hierarchici contra usurpationes mendicantium; nihilominus Petrus archiepiscopus Moguntinus in concilio Moguntino an. 1318. a) in encyclica universis & singulis per civitatem & diœcesim Moguntinam constitutis duxit commendandos fratres Prædicatores, Minores, Augustinienses & Carmelitas: *Cum ipsi*, inquit, *pauperes elaborent vineam Domini, & in ea multarum saluti proficiant animarum verbo pariter & exemplo . . . diligenter iniungentes, ut cum ad vestras parochias pervenerint, propter Deum benivole recipiatis, & benigne pertractetis eosdem, sub pœna excommunicationis præcipientes, ne aliquis contra iustitiam ipsos perturbet, vel molestet.* Fuit hoc ad mentem Romanorum pontificum provisum: quandoquidem Bonifacius VIII. ut legere est lib. III. Extravag. communium *de Sepulturis* C. II. antistites & presbyteros hortatus est, ut fratribus confitendi licentiam impertiant, tum, nisi velint impertire, impertit ipse de plenitudine potestatis, ita tamen, ut facultatem maiorem non impertiat, quam quæ presbyteris parochialibus a iure impertitur. Agitur hic potissimum de canone Lateranensi iam memorato, quo *omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteri fideliter saltem semel in anno, proprio sacerdoti* iubetur. Neque vero omnino concordat laudata Bonifaciii VIII. constitutio cum eo, quod coævus chronographus Guillelmus Nangius ad an. 1308. refert, privilegium datum Prædicatoribus & Minoribus de confessionibus audiendis a Bonifacio P. irritatum, & decretum fuisse, ut confessus eisdem Fratribus, confiteatur eadem peccata proprio sacerdoti. Qua de re quidquid sit, Benedictus XI. ex ordine Prædicatorum assumtus aliam constitutionem edidit, qua fra-

Cura animarum.

a) *Tom. IV. Concil. Germ. pag.* 599.

SECULUM XIV.

fratribus facultas fit, sine antistitum & presbyterorum licentia confessiones audire, quam tamen Clemens V. eius successor in concilio Viennensi rescidit, & Bonifacii VIII. constitutionem renovavit, ut legere est lib. III. Clement. tit. VII. *de sepulturis* C. II. & apud Launoium a) cum aliis, quæ ad rem pertinent, in explicata traditione circa canonem *omnis utriusque sexus.*

a) *T. I. opp. P. I. p. 266. &c.*

Generalior porro est Urbani VI. bulla an. 1384. quæ apud Bulæum b) legitur adversus Mendicantes & quoscumque alios vitæ monasticæ sectatores, qui confessiones audire, sacras conciones habere, & multa alia munia ecclesiastica obire gestiebant, non obtenta parochorum licentia. Conveniens huic Urbani VI. decreto est cap. 8. Conc. Salisburg. c) *ne Mendicantes admittantur sine diœcesanorum licentia & testimonio litterarum* (ut hodie est observantia): *Quia religiosos præcipue Fratres mendicantes decet puritatem omnimodam in suis actibus observare: tamen sæpe divagandi & dissolutionis materiam mutuantur, scandalum aliorum & tanquam pseudoprophetæ fabulosis prædicationibus audientium animos plerumque seducunt: & quamquam invitis ipsorum ecclesiarum rectoribus ipsi Fratres, nisi per eosdem rectores vocati, vel inivitati ad hoc fuerint, de iure non audeant, nec debeant prædicare; volumus tamen, quod nequaquam dicti rectores ipsos invitent, vel admittant, nisi de proponendo Verbum Dei a suis superioribus licentiam habeant, & de illa sæpe dictis rectoribus faciant plenam fidem. In civitatibus vero & diœcesi, in quibus ipsorum Fratrum loca consistunt, ac in locis vicinis, nullatenus ad dictum officium prædicandi, vel ad confessiones admittantur, nisi locorum diœcesanis canonice præsentati fuerint prius & admissi.*

b) *T. IV. Hist. univers. Paris. p. 604.*

c) *T. IV. Concil. Germ. pag. 532.*

Mendicantium ordinum id est veluti institutum, ut in subsidium præsto sint ubiubi: quibuscumque vero religiosis cura pastoralis animarum est commissa, suo rite perfunguntur officio per villas vel oppida & parochiales ecclesias, ut superioribus libris explicavimus pontificum ac conciliorum constitutiones, quas Benedictus XII. in sæpe laudata bulla reformationis cap. 25. ne ipsi singuli monachi in singulis suis administrationibus vel Prioratibus habitare præsumant, firmiter observari vult. In Nigra silva nostra perinde ac superioibus seculis, sic etiam, in quo versamur illustrando decimo quarto, excisis silvis, multiplicatis colonis, necesse fuit novas extrui ecclesias ac parochias, quod dum studiose, religioseque agunt monasteriorum antistites, ultro indulserunt hierarchæ, ut viciniores ecclesias ex ipsis cœnobiis providerent monachi, aut etiam exponerentur ad remotiores. Sic apud nos San-Blasianos ecclesiis in Ur-

Urberg, Ibach, Bernau, Tottnau, an. 1308. ecclesia seu capella Menzenschwand accessit, a Bertholdo abbate, uti in Missali eius ecclesiæ, quod incendio demum an. 1768. periit, scriptum legi his verbis: *Constructa est eadem capella a venerabili abbate Bertholdo huius nominis secundo Dedicata est autem hæc capella a venerabili Ioanne episcopo Decapoleos anno Domini* 1308. Locum thaumaturgum in Tottmos Lupoldus dux Austriæ an. 1319. ea conditione monasterio S. Blasii tradidit, *ut abbas & conventus monasterii S. Blasii eidem capellæ in Divinis providerent*, sunt verba chartæ. Anno 1325. in monumentis nostris invenitur plebanus P. Albertus sub Udalrico abbate, qui etiam an. 1322. ad parochiam Nallingensem monachum parochum exposuit, iterato id confirmante an. 1367. Henrico episcopo Constantiensi post Rudolphum, qui an. 1324. indulsit, ut ad parochiam in Holnstein monachus San-Blasianus exponeretur, quæ sunt ecclesiæ extra Nigram silvam sitæ.

SECULUM XIV.

Ordinaria est hæc ac legitima parochialis iurisdictio, a qua nullus, qui est initiatus sacerdotio, censendus est alienus, sive sit regularis sive secularis sacerdos, eodem insignitus charactere.

XXXVIII. Alia eorum est causa, qui sibi seculo præsertim XIV. arrogarunt portionem veluti apostolicæ iurisdictionis illimitatæ quodammodo, & veluti extorrem a communibus hierarchiæ ecclesiasticæ legibus, limitibusque atque exemtam, quæ seculo XIV. eousque est progressa, ut tandem nec pontificiæ cederet potestati, atque schismate ecclesiam laceraret.

Diffidia inter ordines religiosos.

Hinc est, quod a multis causa frequentissimarum controversiarum inter Franciscanos post mortem S. Francisci & S. Bonaventuræ ortarum, dicerentur variæ exemtiones, quas Minoritæ & alii ex indulgentia summæ sedis habebant, ut observat Bulæus in historia universitatis Paris. a) ubi ad an. 1310. Clementis V. conatus explicat, diffidentes inter se Minores in gratiam societatemque reducendi, quarum una, quæ *spiritualium* dicebatur, quæque rigorose paupertatem Christi amplectebatur, ab altera, quæ *de communitate* appellabatur, secesserat, & alteram altera hæreseos insimulabat. Decretum est quidem an. 1311. in concilio Viennensi sess. III. modum vivendi, quem tenebat ordinis communitas, licitum esse & sufficientem ad veræ regulæ Franciscanæ observantiam; at animosior nihilominus postea fuit inter *Fratres spirituales & communitatem* disceptatio, imprimis postquam Ioannes XXII. an. 1322. edidit Constitutionem, quæ incipit: *Ad conditorem canonum*, extatque inter Extrav. *de verborum significatione*, quorsum recte revocantur quæstiones illæ de proprietate tam

a) *T. IV.* p. 129.

SECULUM XIV. in communi, quam in speciali, rerum etiam usu consumtibilium, quam Christo quoque & apostolis abrogabant, Ioannes XXII. autem perinde damnabat, ipse vicissim hæreseos postulatus, factioneque Ludovici Bavari exauctoratus, constituto, ut diximus, antipapa Petro Corbario.

Factum inde, ut lacesseretur Ioannes XXII. a scriptoribus eius ordinis etiam ditionis Friderici Austriaci, quos inter fuit Ioannes Vitoduranus in vicinia Nigræ silvæ, prævie contestatus, se de Ioanne XXII. plura consequenter relaturum a), *quæ legentibus non immerito stuporem & horrorem immittere possent, quia totam ecclesiam commoverunt.* *Nam*, pergit, *talia facta fecit, vel promovit, quæ in retro actis annis, & a seculo audita non fuerunt, nec de cætero erunt, ut sperandum est. Nam quadam insania ductus rationibus & auctoritatibus astruere nisus est, quod Christus meram cum discipulis suis paupertatem non habuerit, sed cum eis proprietates in communi tenuerit, & ipsis, cum opportunitas vel necessitas requirebat, usus fuerit. Talibus & similibus verbis per modum quæstionis elidere & enervare voluntariam & perfectam Christi paupertatem moliebatur: cui cum Fratres minores assensum præbere nollent, sed sibi viriliter resistentes, falsum & erroneum dictum affirmarent, & paupertatem Christi in sermonibus, lectionibus & disputationibus perfectam tam in privato, quam in communi auctoritatibus evidentissimis & rationibus multis insolubilibus extollerent & magnificarent, dictis fratribus molestus cœpit esse & graviter ipsis insistere.* Ex his quivis intelliget, recte Claud. Fleury dissert. VIII. in hist. eccles. in qua de religiosis ordinibus tractat ex professo, asserere, esse hunc fructum disputationum scholasticarum, *in quibus*, inquit, *hi fratres assidue se exercebant: tractabanturque ibi quotidie quæstiones: & quæcunque exagitari poterant subtilitates, ac disceptandi rationes subdolæ adhibebantur.*

a) Thes. script. Helv. p. 29.

Iam observaverat idem auctor, bonum papam S. Cœlestinum studiosiorem disciplinæ quam prudentiorem diffidium hoc auctoritate sua firmasse: dum approbavit congregationem pauperum eremitarum, qui deinceps etiam eremitæ S. Cœlestini P. sunt dicti, etsi is Benedictinam regulam esset professus summa austeritate, quam frustra exemplo suo & institutis toti ordini Benedictino obtrudere voluit ad finem sec. XIII. At sequenti sec. XIV. contrarius S. Cœlestini molimina fuit consecutus effectus, pontificibusque potius relaxationibus in ordine Benedictino obsistendum occurrendumque fuit, secus ac apud Franciscanos, quo tamen instituto ii, qui Cœlestini V. privilegium obtendebant, genus etiam quoddam Fratricellorum constituebant, ut apud Raynaldum videre est ex bul-

la

la Ioannis XXII. an. 1317. Qui etiam ad an. 1222. de Franc. e Lutra Minoritarum desertore agens n. 53. in carcerem a Spirensi episcopo compacto in epistola Ioannis XXII. ad Spirensem episcopum pestiferorum minoritarum nomine Fratricellos illos designari putat, qui pura puta S. Francisci instituta sectari se iactabant, & a Cœlestino V. P. auctoramentum sectæ, quæ postea a Bonifacio VIII. damnata est, accepisse contendebant. Idem Raynaldus ad an. 1341. n. 132. refert etiam Benedicti XII. decretum adversus Fratricellos hos, qui Liberato & Angelo Clareno auctoribus, Cœlestino V. imponentibus, novam condere religiosam familiam moliti sunt, haud attenta Bonifacii VIII. bulla, quæ rescripta Cœlestini V. subreptitia rescidit: cui bullæ quum cæteri ordines obsecundarent, soli pseudo-minoritæ sunt refragati: quapropter Benedictus XII. novam promulgationem bullæ Bonifacii VIII. faciendam existimavit.

XXXIX. Uti vero Fratricellorum, ita etiam Beghardorum & Beguinarum, de quibus iam superiore libro sumus locuti, varia erant genera & degenerationes. Quo nihil proclivius fuit in huiusmodi instituto Beghardorum & Beguinarum, præsertim in Alemannia grassantium, prout nobis breviter describit Henricus Stero ad an. 1312. de Clemente V. locutus: „Hic papa sectam Begardorum & Begardarum hæreticorum, utriusque „sexus reprobavit, qui Alemanniam in plures provincias perversis dogma„tibus infecerant: dixerunt enim inter cætera, hominem eundo de vir„tute in virtutem perfectiorem Christo posse fieri & impeccabilem: ne„gavere etiam se subesse prælatis & summo pontifici.“ Errores eorum adhuc alios etiam lubricos Clemens V. in concilio Viennensi damnavit, habeturque eius decretum in Clementina *Ad nostram* de hæreticis, aliud item *Cum de quibusdam* de religiosis domibus a Ioanne XXII. eius successore in VII. decretalium publicatum. „Contra prohibitionem sui prædecessoris „(inquit Io. Vitoduranus a), propter quod tanta pericula, scandala, dis„sensiones, commotiones in populis, tot terrores, tot perplexitates sal„tem in Theutonica ebulliebant, quod nemo dinumerare valeret, spe„cialiter per unam constitutionem libri VII. incipientem: *Cum de quibus„dam mulieribus*: qua divulgata & pessime intellecta & pertinaciter men„daciterque per universam Alemanniam pronunciata, innumerabilia corda „sororum tertii sancti Francisci ordinis, & etiam aliarum multarum fue„runt gravissime sauciata: nam deposito habitu religioso oportebat eas „induere secularem. Multæ enim in domibus propriis vel parentum, „quæ XL. & ultra annis griseis, nigris, vel albis Domino in castitate „& aliis virtutibus & bonis operationibus famulabantur vestibus, coge-

Beghardi & Beguinæ &c.

a) pag. 24.

SECULUM XIV.

„bantur per parochianos suos sibi assumere vestimenta rubea, vel crocia, „viridia, vel blavia, & in illis, reiectis aliis, in ecclesiis comparere, & „si non faciebant modo & forma vel consuetudine seculari, pastoribus „seu parochianis minime satisfecerunt. Quot ludibria, quot contem„ptus, temeritates, irrisiones tunc pertulerint multæ pudoratæ, & castæ „sorores, Deus novit &c.“ Recte sane mox constitutionem laudatam non intelligendam notat „nisi de Beginis, quæ nulli promittunt obe„dientiam, nec propriis renunciant, nec profitentur aliquam regulam „approbatam, quamquam habitum deferant Beginarum, quarum quædam „perductæ in mentis insaniam de summa Trinitate & divina essentia di„sputant, & prædicant, & circa articulos, & ecclesiastica sacramenta opi„niones fidei catholicæ contrarias introducunt. Sane mulieres fideles non „prohibentur per prædicta, quin in domibus propriis promissa vel non „promissa continentia honeste conversari, pœnitentiam agere volentes, „& in spiritu humilitatis Domino deservire possint.“ Ludovicus Bavarus huiusmodi instituta in gratiam Franciscanorum odiumque Ioannis XXII. P. in nostra Germania protegebat, insectabatur autem postea Carolus IV. Unde a nostris Nigræ silvæ Alemanniæque plagis sunt proscriptæ, ubi maiori prius erant frequentia; nec tamen penitus potuerunt eliminari; Basileæ enim magno adhuc numero utriusque sexus erant ad finem seculi XIV. Beghardi & Beguinæ, fuitque ob eosdem occasione Iubilæi an. 1400. civitas commota, uti Urstisius in chron. Basileensi ad eum annum narrat, incentore præsertim Ioanne Mulbergio Prædicatorum ordinis, ideo maxime, quod nulli certo essent addicti ordini aut regulæ.

Fratres & sorores liberi spiritus, quos libro superiore commemoravimus, in varia etiam instituta sese insinuantes, aliæque sectæ excussa omni obedientia ac pudore libertate abusi, facile prolapsi sunt in errores illos & spurcitias, quæ passim memorantur de conventiculis abominandis Catharorum, Fratricellorum præsertim, quorum errores passim, articulatim vero ad an. 1299. Trithemius in annal. Hirsaug. recenset, dicitque, eorum erroribus non solum laicos, sed etiam clericos & monachos fuisse abstractos.

Dulcinistæ.

XL. Apud Raynaldum legitur ad an. 1311. n. 66. Clementis V. epistola ad Raynerium episcopum Cremonensem adversus novam sectam in Spoletano præcipue ducatu propagatam, *novumque ritum a via salutis omnino degenerem, etiam ipsis paganis & animaliter omnino viventibus odiosum, & ab apostolica & prophetica doctrina & evangelica veritate remotum, quem libertatis spiritum nominant, hoc est, ut quidquid eis libet,*

liceat.

licent. Est hæc infanda Dulcini instauratoris Fratricellorum secta, quam Trithemius in annal. Hirs. ad an. 1305. describit, copioseque imprimis Hermannus Cornerus in suo chronico apud Eccardum a) ad an. 1306. ex prima trium epistolarum, in quibus sua descripsit deliria: „In prima „dicit (sunt Cornerii verba) quod secta sua spiritualis sit, & novissimis „his diebus in salutem animarum a Deo specialiter missa: insuper quod „clerici omnes seculares cum multis de populo & potentibus tyrannis, „& omnes religiosi & specialiter Prædicatorum & Minorum ordinum „fratres sint adversarii Dei, & ministri diaboli, quia Dulcinum & se„ctam suam persequuntur. Distinguit etiam quatuor status sanctorum „fuisse in propriis modis vivendi. Imprimis fuerunt patriarchæ & pro„phetæ, & alii iusti usque ad adventum Christi. Et in hoc statu laudat „matrimonium causa multiplicandi genus humanum. In secundo statu „fuit Christus & apostoli & eorum sequaces sancti & iusti, qui ideo ve„nerunt, quia primi a statu eorum declinaverunt. Et fuit hic secun„dus status quasi medicina primi, & in isto statu melior fuit virginitas „& castitas, quam matrimonium, & paupertas, quam divitiæ, & sine „proprio vivere, quam terrenas possessiones habere. Tertius status „incepit a Silvestro tempore Constantini M. & hic successit secundo „statui, quia posteriores in eo iam declinaverant a perfectione priorum. „Et in hoc statu melius videbatur S. Silvestro & suis successoribus di„vitias & possessiones terrenas suscipere, quam paupertatem evangelicam „sequi, ut populum melius regere possent. Sed quia in hoc statu re„frigerari cœperunt a charitate Dei, sequitur quartus status vivendi, qui „fuit beatorum Dominici & Francisci confessorum. Hic etiam magis „strictus fuit in possidendo res terrenas & dominium temporale, quam „B. Benedicti & monachorum. Sed quia nunc omnes prælati & clerici „& religiosi a charitate Dei & proximi refrigerati sunt & declinave„runt a statu prædecessorum suorum, melius fuit, & est reformare mo„dum vivendi apostolorum. Et hunc statum asserit vitam suam esse, „quem Frater Gerardus Sagarelli Parmensis martyr & Deo dilectissimus „incepit, & usque in finem mundi perseveraturus est.“ Hæc haud abs re attuli, neque enim inepte ob oculos ponunt humanas in Ecclesia vicissitudines, statusque ecclesiastici varietates, studia & molimina per tempora & vices remedendi malis priorum statuum, ut in maiora fieret prolapsio, donec tandem ad nefandam libidinem deveniretur, quam conc. Viennense notavit in Beghardis & Beguinis, fueruntque fœdæ spurcitiæ Dulcinistarum ex magisterio Gerardi Segarelli, qui legem spiritus & libertatis successuram evangelico commentus frena horrendis laxavit libidini-

SECULUM XIV.

a) *T. II. Corp. histor. medii ævi. p. 966.*

SECULUM XIV. dinibus fœdisque erroribus, qui apud Eymericum in directorio Inquisitionis sec. XIV. sunt notati, aliæque ab aliis infames eiusmodi sectæ iam temporibus præteritis in nostris quoque terris.

His ex adverso poni potest colluvies flagellantium, quorum libris superioribus meminimus, atque annalistæ nostri iterum assignant ad annum 1349. quo Alemanniam oberrarunt de Suevia Spiram processionaliter venientes ducenti, innumerabiles porro Argentorati notantur, Basileæ item, unde de melioribus centum colligatione facta Avenionem processerunt, teste Alberto Argentinensi, Clemente VI. illic sedente, litterasque contra eosdem ad Gerlacum archiepiscopum Moguntinum aliosque Germaniæ episcopos dante, quas refert Trithemius in Annal. Hirsaug. *Urstisius* vero in chron. Basileensi cantiones vernaculas, quibus utebantur in suis processionibus.

Lollardi. XLI. Digressione IV. ad sec. XIV. T. IV. Conciliorum Germ. §. 6. *de Walthero Lollardo eiusque sectatoribus* notantur a) ad an. 1319. quidam hypocritæ gyrovagi, qui Lollardi, veluti Deum laudantes vocabantur, auctore ac duce Lohardo, qui per Hannoniam & Brabantiam quasdam mulieres nobiles deceperunt, quæ verba desumta sunt ex Hocsemio, eius ætatis scriptore canonico Leodiensi in gestis pontificum Leodiens. lib. I. c. 31. relata ad annum 1309. atque etiam a Moshemio in argumentum suæ sententiæ assumta b), dum putat nomen Lollhardorum non esse proprium alicuius hominis, sed appellativum a cantu submisso iuxta veterem dialectum theotiscam Lollhard, seu Lullhard, Lollert, Lullert, a Lullen, Lollen, Lallen, prout hodieque in anglica lingua significatum obtinere dicitur, putatque a cantu submisso in funeribus appellationem inditam, quo munere Beghardi Beghinæque pauperes Suestrinæ in Belgio perfunguntur, dicti etiam Alexiani, Cellitæ: quam in rem varia affert testimonia, ac primum quidem Io. Bapt. Grammaye in *Antwerpia* c) scribentis: *Alexiani, qui funeribus curandis operam suam impendunt Antwerpiæ sua debent exordia, ubi post A. 1300. collecti probi aliquot piique laici a parcimonia vitaque tam modeste, quam moderate instituta Matemanni, & a funerum obsequiis Lollhardi, a cellulis fratres cellitæ dicti.* Sed non duravit nominis axioma, ut vel allatus Hocsemii scriptoris decimi quarti seculi locus manifestat, inditum hypocritis gyrovagis, cuiusmodi diversa tunc temporis fuerunt genera perversissimorum, fœdissimorumque hominum, veluti Waltherus modo memoratus Trithemio ad an. 1322. vocatur *Fratricellorum princeps & hæresiarcha pessimus, qui multis latuerat annis, & plures suis erroribus pessimis innodaverat simplicioros.*

a) *pag.* 631.

b) *Hist. eccl. sec. XIV. c.* 2.

c) *Lib. II. c.* 6. *pag.* 16.

res. Infandos Fratricellorum errores Walthero tribuunt annales Novesienses apud Martenium a) verbis Trithemii, appellantque Waltherum Lothardum, eodem errore calami, quo apud Trithemium Lohareus vocatur. Titulus *de Lollardis* in antiquis synodalibus diœcesis Constantiensis prodit sectam hoc nomine etiam apud nos obtinuisse, sed leviora sunt, quæ de illis referuntur.

SECULUM XIV.

a) *T. IV. Coll. Ampl. p.* 581.

XLII. Commune adeo fuit hoc convitium, ut eo fratres laici seu conversi in familiis religiosis laborarint. Wicleffitæ etiam appellati Lollhardi memorantur (apud Walsinganum quidem passim in Eduardo II.) quod essent monachis imprimis exosi, quos Wicleffus primum exagitavit, a Simone de Langham ex ordine S. Benedicti archiepiscopo Cantuariensi præfectura collegii Cantuariensis privatus, quod eius antecessor Simon de Yslep eiusdem ordinis in gratiam studiosæ iuventutis ea conditione construxit, ut illud monachus moderaretur: quumque re ad Urbanum V. delata causa cecidisset Wicleffus, actus in rabiem hierarchicum perinde ac monasticum incessit ordinem, iactis his ad subvertendum statum ecclesiasticum fundamentis sedem Romanam cumprimis insectatus. Monitus Gregorius XI. quid rerum moliretur Wicleffus in Anglia, quamque perniciosa dogmata spargeret, ad universitatem Oxoniensem, episcopos Cantuariensem & Londinensem, ipsum quoque regem Eduardum gravissimas dedit litteras, quæ collectæ apud Bulæum in historia univers. Paris. b) leguntur, subnexo elencho præcipuorum Wicleffi errorum in propositionibus & conclusionibus c), quas in scriptis dederat, contentorum, quosque publice prædicaverat: addit etiam, quæ item omnium optime ad rem conscripsit Henricus de Knyghton canonicus Leycestrensis scriptor contemporaneus lib. V. *de eventibus Angliæ.* Facile autem fuit Wicleffi hæresim, favente magno schismate occasionemque præbente ad excutiendam ecclesiæ obedientiam, propagari etiam post eius mortem ad exteras quoque nationes imperiumque Germanicum, ad eius gubernacula sedente Wenceslao, quum iam hæretici quidam in academia Pragensi prælusissent apud Bohemos Ioannis Hussi præcursores, ut laudatus ad an. 1374. observat Bulæus d), initium autem hæresis Bohemicæ ad an. 1393. enarrat ex Aeneæ Sylvii potissimum histor. Bohem. c. 35. e), Bohemis indignantibus, quod magisterium academiæ penes Teutones esset, quos acrius Ioannes Huss insectatus est, Wicleffi amplexus hæresim, quæ iam apud Augustam Vindelicorum prædicari cœperat, inde per Alemanniam nostram disseminanda, cuius reliquiæ in vicino Helvetico agro nostra adhuc se produnt ætate.

Wicleffitæ, Hussitæ.

b) *T. IV. p.* 450. *&c.*
c) *Ib. p.* 454.
d) *L. c. p.* 443.
e) *pag.* 684.

SECULUM XIV.

Primus feculo hoc XIV. Wicleffus ftatum ecclefiæ utrumque in fpiritualibus & temporalibus concutere eft aggreffus. Otto Frifingenfis in prologo libri IV. chronic. quæftionem in medium profert, num ecclefiafticis temporaliter dominari liceat, arrepta occafione fili fui hiftorici, quod ibi texit ab adolefcente feculo IV. quo Conftantinus mortuis aut devictis fociis, æmulisque Imperii Maximiano Galerio, Maximino Licinio, & Maxentio, unus rerum potitus, non folum pacem Ecclefiæ reddidit, fed etiam rebus infigniter eam auxit, & ditavit. *Chriftianus enim imperator*, ait cap. 3. *hoc ex devotione fidei cum fumma alacritate fieri volebat. Tunc prima edicta dabantur, ut ecclefiæ ædificarentur: tunc primo catholicis hominibus* permittebatur, *ut ecclefiæ eorum prædiis ditarentur, & ut Romanorum habet hiftoria, non folum his fereniffimus Imperator affenfum præbebat, fed & aliis exempla dans, caput omnium in tantum Romanam exaltavit ecclefiam, ut beato Silveftro eiusdem urbis pontifici, infignibus regni traditis, ipfe fe Byzantium transferret, ibique fedem regni conftitueret.* Indigitat hic atque in dubium vocat vulgatam, quæ iam ab omnibus exploditur, donationem Conftantinianam; ut tamen exploratum omnino fit, Conftantinum & eius fucceffores Ecclefiam quoad ftatum etiam temporalem exaltaffe; laudatusque Otto Frifingenfis ad an. 388. quo Theodofius Romanum imperium folus obtinuit, *His diebus*, inquit, *civitas Chrifti, fopitis tam forenfibus, quam civilibus malis, plenum gaudium, pacemque perfectam habere cæpit.*

a Infaufte femper accidit, quando Imperatores a) ante & poft Theodofium caufis ecclefiafticis fefe immifcuerunt iusque facrorum violarunt; dum contra pii quique iam ante Theodofium caufas & iudicia etiam forenfia hierarchis ultro detulerunt: pofteaque fub ftirpe Carolingica cum aliis miffis dominicis epifcopi quoque & abbates imperii negotia adminiftrarunt: quando primum Romana ecclefia ante omnes feculares principes & comites ditionibus etiam & principatu iam feculo VIII. fuit aucta; quoad regimen vero ecclefiafticum attinet, pleno & imperturbato funt ufi iure facrorum antiftites.

Ab-

a) Conftantinus M. qui in Concilio Nicæno Patribus, quibus a Chrifto depofitum fidei, atque Ecclefiæ regimen commiffum eft, detulit, poftea Arianorum fraude deceptus, cum S. Athanafio quafi ipfam Nicænam fidem exulare fecit, maxime vero eius filius Conftantius, qui violenter plerosque alios epifcopos in fraudem abduxit vel errorem animo non pravo, fed præferens pietatem, quam in eo agnofcit S. Gregorius Nazianz. orat. XXI. in laudem S. Athanafii n. 21. ubi de Georgio in locum S. Athanafii intrufo loquitur, *qui*, ait, *etiam Imperatoris fimplicitatem fibi conciliat; fic ego levitatem appello, pietatem veneror. Nam fi vere dicendum eft, zelum habuit, verum non fecundum fcientiam.* Pertinet huc etiam pars pofterior orat. XLIII. in laudem S. Bafilii, ac S. Ambrofii fermo *de tradendis ecclefiis* contra Auxentium; ne quid dicam de S. Hilarii libro contra Conftantium: aut de barbaris poftea regibus principibusque Arianis in Occidente, vel imperatoribus iconoclaftis, ac fchifmaticis in Oriente ad excifum usque penitus a Turcis fec. XV. illud imperium.

Abhinc in imperio occidentali restituto repeti potest apud nos decursus regni illius millenarii, quod explicavit S. Ioannes initio capitis vigesimi Apocal. dum nimirum vixerunt & regnarunt cum Christo imprimis animæ *decollatorum propter testimonium Iesu & propter verbum Dei*, id est martyres; deinde etiam omnes animæ eorum, qui vicerunt regnum diaboli, *& qui non adoraverunt bestiam* (draconem, serpentem antiquum) *nec imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut in manibus suis*, quæ est resurrectio prima, qua martyres & alii sancti regnarunt cum Christo mille annis non solum in cœlis glorificati, sed etiam in terris a), in imperio Romano (cui tamen tardius Germania accensita est, Alemannia vero, in qua sita est Nigra silva, cum Romano etiam Christi iugum repulit) ecclesia ex persecutione statuque presso eluctata seculo quarto usque ad seculum decimum quartum, quo ecclesia Christi in terris regnans, in Oriente primum efflorescens, primum etiam ibi dilapsa, iam etiam in Occidente in suis fundamentis commoveri & lacessiri, paullatimque accidi cœpit per schismata & hæreses proximorum seculorum ad nostrum usque ævum, quando passim conclamatur contra regale sacerdotium, statumque ecclesiasticum in orbe christiano suo utentem iure, gaudentem rebus, stantem legibus ac ius dicentem. Dum ingruunt iam tempora, de quibus Christus dixit: b) *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Videturque præcisior illa determinari regni millenarii epocha post resurrectionem illam primam, cuius meminimus, spiritualem animarum (distinctam a secunda corporum in die iudicii, morteque secunda damnatorum) de qua Ioannes: c) *Beatus*, inquit, *& sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis, & cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes &c.* Non quod portæ inferi prævalituræ sint adversùs Ecclesiam supra petram ædificatam, sed quod ea a Christo prædicta sint tempora d), *ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.*

a) *Apoc. V.* 10.

b) *Luc. XVIII.* 8.

c) *Apoc. XX.* 6. *&c.*

d) *Matth. XXIV.* 24.



SECULUM XV.

LIBER X.

Nigra Silva seculo Christi XV. Ordinis S. Benedicti X.

I.

Status Ecclesiæ.

Nicolaus de Clemangis, qui fuit ab ineunte sec. XV. poeta & orator insignis Benedicto XIII. antipapæ a secretis, accusatus, quod bullam excommunicationis contra regem Galliarum scripserit, delituit aliquamdiu in Carthusia Vallis profundæ, postea provisor collegii Navarræ, obiit an. 1440. Edidit is inter alia declamationem *de corrupto Ecclesiæ statu*: fatetur vero in citato libro, se prætermissis bonis, laudeque dignis personis in Ecclesia, de malis tantum Ecclesiæ, ecclesiasticorumque agere; quare perinde quis ex libro illo de statu Ecclesiæ illius temporis decernere queat, ac si quis de statu trium primorum Ecclesiæ seculorum iudicium ferre existimet ex libris S. Irenæi *de hæresibus*, quæ tunc plurimæ & deterrimæ fuerunt Gnosticorum, Nicolaitarum, Cerinthianorum, Valentinianorum, Marcionitarum, Manichæorum, qui non solum horrendis deliramentis omnem mysteriorum fidei integritatem pessumdabant, verum etiam ipsius divinitatis maiestati adversus principium coæternum opposuerunt, atque infinitos Eones in scenam produxerunt veluti totidem deitatis æmulos, *post* apostolos quidem demum palam erumpere ausi; ut tamen etiam in ipsa primitiva Ecclesia schismata, contentionesque emergerent, ac æmulationes, errores item ac hæreses, de quibus passim S. Paulus in suis epistolis, S. Petrus etiam, SS. Iacobus & Ioannes invehuntur in vitia & corruptiones pravorum iam tunc temporis hominum. Atque S. Ioannes in sua Apocalypsi inter ipsos præcipuos septem Asiæ angelos, seu ecclesiarum antistites, vix unum irreprehensibilem reperit, in cæteris autem plura quandoque etiam graviora, quæ incesseret.

Sic opportune orditur orationem suam Nicolaus verbis ex I. S. Petri IV. 17. *Quoniam tempus est, ut incipiat iudicium a domo Dei;* dumque mala sui temporis spectat, velut extra se vehemens & acerbus declamator rapitur, atque deteriora adhuc ominatur, recte quidem. Sed gravissima, quæ hodieque pericula Ecclesiam christianam premunt, ad ea pertinent, quæ sequuntur: *si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio?* Scripsit de Clemangis post annos mille a sec. V. quo corruit monarchia Romana in occidente, statua illa Danielis,

meretrix magna ac Babylon septicollis Roma idololatrica, cuius interitum S. Ioannes in Apoc. usque ad cap. XX. describit: quo & deinceps regnum Christi in terris, & post mille annos pericula postremorum temporum ac consummationem seculi, regnumque æternum in cœlis adumbrat. Nemo vero nescit, seculo illo XV. rebelles legitimæ ecclesiasticæ potestati ovum peperisse, quod sec. XVI. exclusum irreligiositatem hodieque nutrit & propagat libertate sentiendi, & interpretandi verbum Dei cuique (spreta Ecclesiæ auctoritate) relicta, unde sectæ variæ, contentiones innumeræ ac dubia, & ex his perplexitas animi pronitasque non credendi Dei Evangelio ex ipso eius, sine duce frequentato, studio. Id quod quotidie magis docet experientia iam facta & probata sec. XV. apud philologos, de quibus ad finem huius libri dicemus.

SECULUM XV.

Non diffitemur miserum & deplorandum Ecclesiæ sec. XV. ingressum, atque progressum etiam ultra dimidium variis intestinis turbis & schismatibus pertinacissimis, ex quibus potissimum nomen suum adhuc retinet magnum illud schisma, quod ecclesiam occidentalem iam multis annis, vergente ad finem sec. XIV. distraxerat in partes, ineunte vero sec. XV. exacerbari potius est visum; quidquid catholici etiam principes ad illud extinguendum molirentur, ipsi tamen in diversa abeuntes. Edita prostat apud Ed. Martenium a) series Ambassiatæ regis Franciæ expositæ Moguntiæ feria IV. post Andreæ apostoli anno Domini 1400. In ea legatus Gallicus Auxitanus archiep. Rupertum R. R. frustra inducere conabatur, ut Bonifacium IX. ad abdicationem pontificiæ dignitatis persuaderet. Bonifacii causam promovit indictum ab eo ad annum 1400. Iubilæum, ad quod certatim Romam concurrebatur. Dum interim Legatus Benedicti XIII. sibi adhærentes in Germania atque adeo Nigra silva devincire conatur, ut domestica monasterii S. Blasii produnt monumenta. Nihilominus Ioannes I. abbas an. 1402. sese Bonifacio IX. aggregavit, misso Romam libello supplici, accedente etiam Marquardi Ep. Constantiensis commendatione, a quo auctoritate sibi delegata abbas cum tota congregatione, vasallis, & subditis coram multis testibus die 14. Aprilis ab excommunicatione est absolutus.

a) *Thes. nov. Anecd. T. I. pag. 1659.*

II. Nulli parcebatur operæ, variæque ad tollendum schisma inibantur viæ cessionis, subtractionis obedientiæ, neutralitatis, ab academiis potissimum propositæ, Parisiensi imprimis in Gallia, ubi tamen Benedictus XIII. omnia pacis elusit consilia, in Cataloniam profugus, convocato ibidem suæ factionis concilio. Congregavit quoque Gregorius XII. Bonifacii IX. successor Aquileiam concilium, invitato etiam Ruperto R. R.

Pro eo abolendo frustra celebrata concilia, inter alia Pisanum.

SECULUM XV.

ſed generale concilium ſic diſtractis partibus coaleſcere haud poterat, a quo unice pax & unitas ſperari poſſe tunc viſa eſt. Egit hoc Conradus de Geilenhuſen a) eccleſiæ Wormatienſis præpoſitus in tractatu de congregando concilio tempore ſchiſmatis ad Carolum regem Francorum, eum in exordio ſic affatus, præfatusque: *Hæc quidem benedicta pax & unitas ſalubriter reformari, & ſchiſma miſerabile, ac contagioſiſſimum de medio auferri poſſe non videtur aliqua via mundi, circumſcripto tamen miraculo divino, niſi per viam concilii generalis, prout alias regiæ magnificentiæ dixi oraculo vivæ vocis, & poſtmodum de Serenitatis Veſtræ mandato in quadam brevi epiſtolá regali maieſtati transmiſſa, non ut decuit, ſed prout minus male potui, exaravi.*

a) *Theſ. nov. Anecd. T. II. pag.* 1202.

At vero dum via hæc in concilio Piſano an. 1409. iniri contenditur, auctum potius eſt malum, dum tertius eligitur (proſcriptis Benedicto XIII. & Gregorio XII.) pontifex Alexander V. fruſtra obnitentibus legatis Ruperti R. R. qui conſtanter Gregorio XII. adhæſit, ut palam fit ex eius epiſtola nuper a I. I. Simlero b) edita, ad Turicenſes ſcripta dominica poſt feſtum S. Bartholomæi an. 1409. Mortuus eſt Rupertus prima Ianuarii ſequentis anni, & poſt quatuordecim dies Alexander V. Pro electione novi pontificis claſſicum cecinit Io. Novarienſis epiſcopus, oratione habita in frequenti conſeſſu an. 1409. die 15. Iunii, nuper inter monimenta medii ævi edita per Chriſt. G. Fr. Walchium, ubi in præfatione faſciculi II. pluribus tractat de ipſo auctore, monacho ord. S. Bened. &c. eiusque oratione de eligendo ſummo pontifice tollendoque ſchiſmate, aſſumto, prout in more tunc poſitum fuerat, themate ex IV. Reg. X. *Eligite meliorem, & eum ponite ſuper ſolium;* iisdem ſæpius per decurſum ſermonis inculcatis verbis.

b) *Sammlung alter u. neuer Urkunden Erſter B. p.* 15.

Propoſita ibidem primum theſis, concilium eſſe ſupra papam.

III. Non iam diſcutio, quomodo verba illa S. Scripturæ ad præſentem illam ſchiſmatis cauſam pertinuerint pro electione novi pontificis, exauctoratis Benedicto XIII. & Gregorio XII. *His autem non obſtantibus*, verbis utor Trithemii c), *quæ in concilio fuerant concluſa, memorati duo pontifices abrogati ſua in ſententia perſtiterunt, & uterque verum ſe & indubitatum Chriſti vicarium, & legitimum Petri ſucceſſorem credidit, geſſit & pronuntiavit.*

c) *Chron. Hirſaug. ad an.* 1409.

Alter, qui in eodem concilio peroravit, Seſſ. XIII. fuit M. Petrus Plaoul, *exaltando Eccleſiam, & aſſerendo eam eſſe ſupra papam*, quæ tunc primum audita propoſitio, in concilio Conſtantienſi a Io. Gerſonio ſingulari aſſerta eſt oratione, ac poſtea etiam ſeſſ. IV. & V. decreta, iterumque initio ſtatim concilii Baſileenſis quaſi pro fundamento poſita ad auſus

illos,

illos, quibus ſe contra Eugenium IV. legitimum pontificem extulerunt, novo ſchiſmatis periculo, in quo nata eſt illa controverſia, an concilium ſit ſupra papam, facta ad introducenda in Eccleſiam ac fovenda ſchiſmata, dum veluti inter Petri & reliquorum apoſtolorum ſucceſſores pontificem & epiſcopos ſit contentio, *quis eorum videretur eſſe maior.*

Neque vero a theologis ſimultates illæ animoſitatesque fovendæ eſſent, ſed ad unionem communionemque poteſtatis legitimæ revocari potius deberent Eccleſiæ principes, Chriſti ea in occaſione prolata ſententia ad apoſtolos: *Vos autem non ſic*, Chriſto id ſingulariter ac unice Patrem ſuum pro iisdem exorante, *ut ſint unum.* Prima etenim veræ Eccleſiæ nota eſt unitas, unioque membrorum, collegii cumprimis epiſcoporum, quod ſuccedit collegio apoſtolorum, non utique excluſo Petro, cuius ſucceſſores, uti ſemper in unione, communioneque eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ perſtiterunt, ſic perennaturi ſunt tanquam centrum unitatis ſuſpiciendi. Hinc eſt, quod decretum illud ſeſſ. IV. & V. Io. de Turrecremata a) concilio aliquando præſens in apologia Eugenii IV. inde etiam impugnet: *Quia*, inquit, *quod obedientia præfati Ioannis XXIII. Conſtantiæ congregata præfatum decretum ante unionem Eccleſiæ edidit, ſola præter alias obedientias legitimam ſynodum univerſalem conſtitueret, & Chriſti univerſalem Eccleſiam repræſentaret, non habet certitudinem catholicæ fidei* b). Idem in reſponſione ad ſecundum articulum inde, quod Patres Conſtantienſes petierint confirmationem decretorum ſuorum a Romano Pontifice, concludit, eum concilio ſuperiorem agnoviſſe. Flagitare id videntur leges communionis poteſtatis eccleſiaſticæ inter ſummos Eccleſiæ paſtores, pontificem & epiſcopos. Atque hoc eſt, quod Nicolaus de Cuſa c) coætaneus in egregio opere de concordantia catholica lib. II. c. 4. aſſertum it, quod in ſynodis univerſalibus ad hoc, quod a Spiritu ſancto dictata cenſeantur definita, ex concordantia & communi omnium conſenſu pronuntiatio & decretatio fieri debet. Sic vero poſtea maioritatem concilii ſupra papam aſſerit, *quia*, inquit, *certior & infallibilior eſt repræſentatio Eccleſiæ, cui veritas & aſſiſtentia eſt promiſſa in univerſali concilio, quam in Papa tantum.* Sic etiam in libro de Communione poteſtatis eccleſiaſticæ ultro damus, quod ſi in fidei materia Papa & collegium epiſcoporum in concilio diverſam & contrariam ſequerentur ſententiam, concilio potius adhærendum fore quam Papæ; ſed id futurum negamus, atque divinis promiſſionibus tam Petro ſingulariter quam collegio Apoſtolorum communiter factis contrarium aſſerimus, ut umquam obtineat eiusmodi diſſenſus in rebus fidei inter ſucceſſores Petri & Apoſtolorum..

a) T. V. Conc. Germ. p. 874.

b) Ib. p. 910.

c) T. II. oper. pag. 686.

Nec

SECULUM XV.

Nec obstat, contigisse, ut subinde successores etiam Petri modicæ fidei dubitantes inciperent mergere, sed continuo extendens Iesus manum apprehendit eos perinde ac Petrum. Numquam non, sive hæreses ingruerent, sive schismata in communione legitimæ potestatis ecclesiasticæ, inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem, & episcopos, restituta tandem atque redintegrata est pax. In schismate illo magno, dum in concilio Pisano, quod a Cardinalibus fuit coactum, adiecto duobus contendentibus tertio pontifice, exulceratum potius esset visum vulnus; postea vero, ut concilium generale convocaretur, conventum est inter Ioannem XXIII. & Sigismundum imp. Laudæ in Italia, comitantibus Cæsarem e vicinia Nigræ silvæ nostræ Eberhardo de Nellenburg, & Ulrico de Teck: Constantia etiam urbs pro celebrando concilio est selecta, quæ sedes episcopalis in potissimam Nigræ silvæ partem exercet hierarchiam.

Decreta in concilio Constantiensi ubi schisma tandem abolitum cessione.

IV. Hoc in concilio *Fides christiana*, sunt verba Pauli Langii in chronico Citizensi apud Pistorium ad an. 1414. *quæ iam multis annis vacillare videbatur, fortiter resurrexit. Ibi enim schisma pessimum & scandalosissimum* 40. *annorum terminatum est. Ibi hæreses damnatæ, & duo hæresiarchæ, scilicet Ioannes Huss, & Hieronymus de Praga incinerati fuerunt, & plura bona instituta. Determinavit etiam eadem sancta Synodus, quod concilium legitime congregatum, repræsentans Ecclesiam universalem, potestatem habet a Christo immediate: cui omnis status etiam papalis obedire tenetur, in his, quæ sunt ad generalem reformationem Ecclesiæ, scilicet in fide & in moribus, tam in capite, quam in membris. Item quod deinceps concilium de decennio in decennium deberet celebrari.* Pariter controversia illa in concilio Pisano, ut intelleximus, primum in medium producta de auctoritate conciliorum supra papam non solum a Gersone duobus sermonibus, ut diximus, atque inter cæteros a Petro Alliacensi gravius est asserta, verum etiam sess. IV. & V. decreta, ut tamen hodieque de sensu & verbis ipsaque auctoritate huius decreti certetur, an *conciliariter* editum dici possit? tunc quando sola Ioannis XXIII. *obedientia*, ipso iam fuga elapso aderat, obedientia Gregorii XII. sess. XIV. accedente, uti & sess. XXXV. demum Hispania cæterisque provinciis Benedicto XIII. addictis.

Silentio prætereo, quæ E. Schelstratius attulit ex codd. Bibl. Vaticanæ, in quibus nihil habetur de reformatione in capite & membris, quæ tunc maxime urgebatur, electo etiam iam Martino V. atque in Ecclesia cathedrali Constantiensi solemniter inaugurato. Inter alias nationes Germa-

manica, oblato papæ libello, petebat, ut octodecim articuli circa reformationem in sess. IV. propositi quam primum decernerentur, quod iam antea urserant Germani, priusquam pontifex eligeretur, faciendam, sede quidem vacante declarata, non obstante Benedicti XIII. pervicacia, ad quem non dubitaverat ipse Sigismundus Perpiniacum in Arragoniam suscipere iter. Qua de re extat oratorum universitatis Coloniensis apud Martenium a) in novo thes. anecd. epistola, *de colloquio Perpiniaci habito inter regem Romanorum & Petrum de Luna ac regem Arragonum:* moxque subditur *responsio finalis facta Domino Imperatori per Petrum de Luna in Perpinione XIII. Octobris præsentis* 1415. In hac responsione Petrus declarat, si quidem in via renuntiationis persistatur, *quod remoto obstaculo Pisano, sicut continetur in cedula tradita per episcopum Samorensem, prout alias obtulit, nullam aliam excludendo paratus est propter Dei servitium, & ipsius ecclesiæ unionem renunciare papatui &c.*

SECULUM XV.

a) T. II. pag. 1647.

Intelligi hinc datur, per viam cessionis legitime rem actam, quam primus inierat Gregorius XII. ac tandem etiam Ioannes XXIII. dudum Academiis, Parisiensi imprimis consulta, propositaque in ipso concilio Constant. sess. VI. Oblata tunc fuit academiæ Parisiensis epistola (uti apud van der Hardt b) legere est) per Benedictum Gentianum legatum ex ordine S. Benedicti, quales etiam eamdem professos regulam legatos ad idem concilium Constant. ex ordine Camaldulensi Antonium de Parma Priorem generalem, & Henricum Gulpen Germanum B. Ægidii apud Noribergenses Benedictinæ professionis abbatem Eisengrenius notat in catalogo testium veritatis omnium orthodoxæ matris Ecclesiæ doctorum ad an. 1421. & 1429.

b) T. IV. p. 121.

V. Bulæus in historia universitatis Parisiensis epistolam affert celeberrimæ huius universitatis ad Patres Concilii Constantiensis per laudatum Bened. Gentiani c), doctorem theologum oblatam, datam anno 1415. die lunæ 13. Maii, qua habita est nona sessio, ad quam citatus fuerat Ioannes: at quum ille non comparuisset, contra eum iuridice agi cœptum est, sequentique sessione mox altera die declaratus est contumax, & suspensus a papatu, ob notoria crimina, quæ quum illi per legatos significata fuissent, ille sententiam contra se latam probavit, seque paratum exhibuit ad cessionem, quam tandem post sessionem XII. 29. Maii celebratam, sententiamque depositionis, fecit publice in oppido Cella, depositis vestimentis pontificalibus die ult. Maii. Hunc quidem Concilii rigorem indigne admodum tulit rex Galliarum male acceptis nunciis, ut refert Maimburgius & Lenfantius d) in historia concilii Constant. ex monumentis mo-

Ioan. XXIII. P. & Friderici archid. Austriæ causa.

c) T. V. pag. 283.

d) T. I. p. 192.

SECULUM XV.

nasterii S. Dionysii, cum Benedicto Gentiani, qui erat monachus apud S. Dionysium, unusque ex legatis, a quibus nuntius hic regi fuit allatus.

Ioannes XXIII. iam Constantiæ audita deliberatione nationum, sua spontanea voluntate viam cessionis amplexatus, obtulit eam successive in duabus schedulis, quæ ambæ, quia nimis exorbitantes videbantur, sunt reiectæ, ut habet chronicon Andreæ Ratisbonensis, & Io. Chrastius apud Eccardum a): ubi quoque affert formulam ipsi a concilio oblatam, quam etiam gratanter accepit, publicaque in sessione legit, ut in actis concilii pluribus legere est, & apud Martenium b) in epistolis legatorum academiæ Coloniensis eiusdem argumenti, epistola etiam eiusdem, quam post discessum suum in crastino S. Benedicti ad Sigismundum c) R. R. Schafhusæ dedit eiuscemodi: *Charissime fili! Gratia Dei omnipotentis liberi & in convenienti aere sumus in Schafhusa, & venimus istic absque filio nostro duce Austriæ, non animo declinandi ab his, quæ promisimus per renuntiationem nostram facere pro pace ecclesiæ sanctæ Dei, ut in libertate ac salute propriæ personæ possimus, prout indubie volumus ea executioni demandare. Datum in Schafhusa die XXI. Martii* 1415.

a) *T. I. Corp. histor. medii aevi. p.* 2135.
b) *Thes. anecd. T. II. p.* 1614. *& seqq.*
c) *pag.* 1618.

Sequitur mox alia epistola eorumdem ambaxiatorum ad eamdem academiam, qua Ioannem Schafhusæ usque ad diem Parasceves mansisse testantur, & tunc inde recessisse ad aliud quoddam castrum distans a Schafhusa tria milliaria, per dominos autem Cardinales obtulisse *dare procuratorium ad cedendum tempore & loco congruis* narratur. Porro in eadem epistola attinguntur, quæ Sigismundus in Fridericum ducem Austriæ Ioannis patronum agitarit, Cardinalibus & quibusdam aliis frustra instantibus, *quod Dominus Rex supersedeat de illis guerris.* Extant p. 25. apud laudatum Simlerum patentes litteræ Friderici Waldishuti in profesto paschæ an. 1415. datæ, queis se ob patrocinium Ioanni P. datum purgat; testatur vero se eum Schafhusæ convenisse. Ioannes Schafhusæ minus tutum se ratus ab una Rheni cataracta secundo flumine ad alteram, quæ est Laufenburgi, Friburgum se contulit, Nigram nostram obiens silvam. *Nempe papa*, sunt verba Hen. Mutii d) in German. chronico apud Pistorium, *ubi audivit sic agi cum suo patrono Friderico, ex Schafhusen descendit Laufenburgam, inde sine mora se recepit Friburgum, profecturus, si tutum contingeret iter, ad ducem Burgundiæ, quo cum erat illi vetus necessitudo, quoque intimo summoque utebatur amico. Pontifex excusaturus suum discessum, ita ad concilium scripsit:* „Ioannes episcopus servus servorum Dei: universis innotescat, quod cum „propter metum, qui cadere potuit in constantem virum, de civitate „Con-

d) *Script. R. G. T. II. p.* 925.

„Conſtantienſi receſſerimus, ne hac occaſione Petrus de Luna, & An- Seculum XV.
„gelus in ſuis obedientiis nominati allegantes impreſſionem nobis factam,
„ſe quovis modo ab acceſſione retraherent, & ſic protraheretur effectus
„pacis, & unionis eccleſiæ, ad quorum effectum deſideria noſtra ten-
„dunt ex Friburgo &c."

Quid Friburgi cum Ioanne actum ſit, paucis diſcimus ex iam memoratis epiſtolis oratorum univerſitatis Colonienſis apud Martenium a), miſſis illuc ex parte concilii duobus Cardinalibus cum aliis octo prælatis & doctoribus, *qui credentes eum invenire in Friburg, non invenerunt eum ibi, quia proceſſerat Briſacum, ubi invenerunt eum.* „Et prima die „ipſe prætendens infirmitatem, non dedit eis audientiam; ſed die ſequenti „audivit eos, & poſt auditionem dixit, ſe velle deliberare, & reſpondere, & die immediate ſequenti mane receſſit ab illo loco, ipſis inſalutatis & inſciis, tendens ad Burgundiam. Sed Deus aliter ordinavit: quia „dux Auſtriæ ipſum licet invitum reduci fecit in Friburg, ad quem locum „nuntii dicti concilii ipſum comitabantur; ſed quod rationabiliter petebant nomine concilii, non obtinuerunt, niſi ſub conditionibus difficilibus, concilio non placentibus."

a) *Theſ. anecd. T. II. pag.* 1629. *ſeqq.*

Narrant porro oratores in eadem epiſtola conditiones, quibus in gratiam Sigismundi imp. rediit Fridericus Archidux, ſe ſuaque omnia Maieſtati regiæ ſubiiciens, quam in rem etiamnum Viennæ extant in archivio Imperiali Friderici tabulæ, quibus ſe reducturum Ioannem promittit. Io. Trithemio teſte in chron. Hirſaug. ad an. 1415. Ioannes Moguntinus Archiepiſcopus, qui Conſtantiam intraverat cum equitibus quadringentis (oratores Colonienſes epiſt. 2. ſeptingentos notant apud Martenium b), eo quod in fugam Ioannis papæ conſenſerat, a Patribus de concilio pœnitentiam ſuſcipiens, veniam impetravit; Fridericus autem Auſtriæ dux iuramento ſatisfacturus, quod Sigismundo præſtiterat, Ioannem Pontificem inſecutus, captumque, ac multum renitentem reduxit ad Cellam oppidum propinquius Conſtantiæ urbi. *Concilio itaque decernente*, quod alii reticent, ſubdit, *Pontifex in proximam Rheni inſulam ducitur, & in monaſterio S. Marci Evangeliſtæ noſtri ordinis Augiæ maioris, quod Richenau dicitur, cuſtodiæ mancipatur.*

b) *pag.* 1611.

VI. Attinet nunc aliquid etiam de turbis Huſſiticis dicere, quæ ſunt in Bohemia ortæ variis tunc erroribus infectæ, Wicleffitica imprimis hæreſi in academica Pragenſi gliſcente, unde infinita mala in patriam noſtram redundarunt. *Horum occaſione dogmatum*, ſunt Io. Trithemii in chron. Hirſaug. ad an. 1412. verba, *infinita mala fuerunt ſubſecuta, ſpolia-*

Motus Huſſitici patriæ infeſti.

SECULUM XV. *liationes & incendia, destructiones monasteriorum, & plurium ecclesiarum in Praga, & extra per totum regnum, multorum quoque Sacerdotum ac monachorum neces, trucidationes vel exilia, bella, seditiones, depradationes, desolationes urbium simul atque villarum, omnium malorum causa Ioannes Hufs fuit memoratus hæreticus.* Indignatus is, Germanos potiores partes in academia Pragensi tenere, quod in ferendis suffragiis tres voces, Bohemi unam tantum haberent, rem auctoritate Wenceslai ignavi invertens, Germanos, ut urbe exirent, commovit, sicque licentiosius errores suos, hæresimque Wicleffiticam facundia, qua pollebat, cum socio Hieronymo Pragensi disseminavit. Constantiam is accessit cum salvo quidem conductu a Sigismundo R. R. accepto. In concilio porro Constantiensi teste P. Felice Egger a) monacho Petershusano in Idea ordinis hierarchico-Benedictini, multa præclare gessit contra hanc hæresim Ioannes de Martiniano, doctrinæ Hussii & Wicleffi cum plena potestate examinator ex ordine S. Benedicti. Timens autem ibi Ioannes Hufs rebus suis, de fuga sibi prospexit, & quidem testibus Ulrico Reichenbach suffraganeo Constantiensi in historia conc. Constant. vernacula, & Conrado Dachero conciliario electoris Saxoniæ auctoribus coævis, iterato reductus, quum frustra ad resipiscentiam, revocationemque errorum haud semel tentaretur, ad rogum est damnatus. Qua de re anonymus Carthusianus tunc præsens Constantiæ, hæc perscripsit die 19. Maii Constantiæ, ut apud Martenium b) legere est: *Die Mercurii proxime futura erit sessio, in qua Ioannes Hufs, ut credo, iudicabitur ad ignem. Heri præsens fui in examine eius, & nunquam vidi ita audacem, & temerarium ribaldum, & qui ita caute sciret respondere detegendo veritatem.* Sententiam contra eum legit episcopus Constantiensis, primam coram Husso genuflexo, qua libri eius omnes cum erroribus igni decernebantur, alteram, qua damnabatur ipse ad degradationem, ut in diario Hussiticæ damnationis & complicum, Hieronymi Pragensis nimirum altero post Hussum anno 1416. Constantiæ combusti, notatur apud Harzheim c), præmittiturque Martini V. d) damnatio separatim propositionum Io. Wicleffi, & Io. Hufs.

a) *P. IV. Diss. II. n. 11.*

b) *T. II. Thes. anecd. p. 1615.*

c) *T. V. Conc. Germ. p. 95. &c.*

d) *pag. 80.*

Subsequitur eiusdem pontificis epistola e), qua indicitur cruciata contra Wicleffitas & Hussitas nationem Germanicam hæresi suæ inficientes an. 1421. Hortatoria f) item Conradi Moguntini archiep. ad bellum Hussiticum eiusdem Pontificis nomine an. 1427. Iam tunc sæpius pugnatum fuerat ab an. 1419. quo inceptum fuit bellum contra Hussitas, sed minus feliciter, cæsusque Sigismundus a Zisca duce an. 1422. novas in comitiis Norimbergensibus petiit suppetias constituta singillatim ma-

e) *pag. 204.*

f) *pag. 227.*

matricula Imperii, abbatum etiam & prælatorum censu, atque inter hos Nigra-silvanorum de Albe, S. Georgii, S. Blasii, S. Petri, S. Trutperti a). In matricula an. 1431. censentur Abbat. S. Blasii, S. Georgii & Gengenbach. Passimque in archiviis reperire erit eiusmodi conscriptiones, speciatim etiam per Imperatorem aut Electores factas, exemplis a Besoldo adductis in *Monumentis redivivis monasteriorum Wirtenbergiæ*, ubi, reliquamque per Sueviam fuerat tunc expedita in Hussitas societas magna, quæ S. Georgii clypeus eo tempore nuncupabatur, teste Trithemio in chron. Hirsaug. ad an. 1421. quo frequentiorem annales celebrant concursum numerosissimumque exercitum ex toto, qua late patet, imperio Germanico, nostris etiam ex plagis, vicinaque Helvetia natione tunc bellicosissima, in qua Sigismundus plurimum confidebat. Sed frustra omnia, iam an. 1420. Henrico Landshutensi, apud Aventinum, ad Albertum de Preysinge vicarium suum scribente Pragæ in castris: *Quinquies Bohemiam intravimus, quinquies copiis, impedimentis, tormentis, curris, machinis, armis, annona, commeatu, supellectile, instrumentis bellicis, calonibus amissis, plerisque occisis, multis in fuga obrutis, necdum viso hoste turpiter, nescio quo fato iniquo terga vertimus.* Bulæus in hist. Univers. Paris. hæc aliaque referens, *Mira Dei*, inquit, *in hanc rem arcana; Hussitæ seu Bohemi ab an. 1419. quo bellum inceptum est, numerosissimos Imperatoris & catholicorum exercitus pluries terga vertere coegerunt; placide vero moniti per legatos nostros, aliosque, ut concilii auctoritati se submitterent, se submiserunt.*

SECULUM XV.

a) *Neueste Reichs-Abschied.* T. I. p. 118. 120. 138.

VII. Loquitur Bulæus de reductione Bohemorum ad fidem in concilio Basileensi suscepta. Synodus hæc iam an. 1424. in synodo Senensi a Martino V. Basileam erat indicta, anno demum 1431. aperta; sed ab Eugenio IV. revocata, aliorsum in Italiam transferenda, quod ad urbem Basileensem non esset tutus accessus, eoquod vicina loca armis Ducum Austriæ & Burgundiæ infestarentur, essetque conventum iam Martinum V. inter Imperatoremque & Patriarcham Cpolitanum de civitate Bononiensi ad unionem utriusque ecclesiæ ineundam. Accedebant simultates ex controversiis illis hoc seculo, ut memoravimus, inter schismata natis, factis ad ea producenda & nutrienda discidia inter summos ecclesiæ principes, pontificem & episcopos, *quis eorum videretur esse maior?* congregatum imprimis concilium, an sit supra papam? quod effectu comprobare minabantur Patres Basileenses. Nihil quidem non egit ipse legatus Eugenii Iulianus Cardinalis, ut pontificem a sententia contra concilium hoc removeret; sed incassum. Synodus etiam demonstravit, non falsum esse

Concilium Basileense.

SECULUM XV. sua suspicione pontificem, cuius non solum auctoritatem, sed etiam personam & dignitatem incessit: contenditque omni conatu utraque pars in alteram ius exercere, sustinereque. Quod in transversum egit catholicum orbem, induxitque principes Romani imperii, ut in conventu Francofordiensi an. 1438. inter se convenirent, utramque quidem suspicere ac venerari, sed per semestre expectare ac deliberare, cuinam esset adhærendum, interea temporis neutri se adiungere, dum prælati populos sibi commissos iure ordinario gubernarent, neutralitatis germanicæ nomine, quæ a papa perinde ac concilio improbata per octo tamen annos duravit. De qua re haud inepte in codice quodam Msc. bibliothecæ Cæsar. Vindobonensis histor. eccl. n. LII. olim LXII. annotatum ad marginem legi: *Tres soles visi sunt in cælo, & sequitur statim triplex regimen in ecclesia, scilicet Eugenii, Concilii, & Neutralitatis.*

Neque vero bellis dimoveri sese passi sunt Basileenses Patres, neque pestilentia, quæ fuit maxima Basileæ an. præsertim 1439. de qua Henricus Minorita in chron. *Flores temporum* inscripto, testatur obiisse multos prælatos & doctores, Cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates &c. in ecclesia beneficiatos viginti quinque citra: *Fuerunt*, subdit, *sanctæ processiones per concilium in civitate, per cives ad B. Virginem in Dotmos, per Clerum civitatis ad locum Heremitarum cum sequela populi virorum & mulierum in magno numero.* Urstisius a) in chron. Basileensi peregrinantes, quos Patres indulgentiis instruxerint, enumerat in Dotmos 400. *cum* 24. presbyteris, circa 500. vero in sacram eremum vulgo Einsidlen, celebratissimum tota Germania cultu B. M. V. fideliumque undequaque concursu frequentatissimum locum, monasterium ord. S. B. ut meminimus, olim de nigra silva dictum, ea nempe ex parte, qua Eremus Helvetiorum processit. Alter religiosus eodem cultu locus Dotmos seu Tothmos situs est inter Basileam & monasterium S. Blasii, ad quod pertinet seculo hoc XV. a Pontificibus eorumque legatis, ipsoque Bessarione Card. variis indulgentiis & privilegiis in spirituale emolumentum concurrentis populi instructus, censu etiam an. 1450. auctus ab Alberto archiduce Austriæ.

a) *L. III. c.* 33.

Porro in memorato codice, auctoribus Minorita & Nicolao Gerung dicto Blauenstein, narratur, Fridericum episcopum Basileensem, licet unus ex electoribus Felicis P. fuerit, per officialem suum Ioannem Geminger Romam missum, fecisse pontifici licet deposito obedientiam publico in consistorio. Ante Fridericum hunc tempore concilii fuit episcopus Basileensis Ioannes de Fleckenstein, abbas monasterii Salsensis ordinis S. Bened. seu Cluniacensium, ut appellat laudatus Nicolaus Gerung, qui

eius

eius vitam breviter descripsit, prout ipse vidit episcopo huic, uti olim erant episcopis diaconi, abbatibus postea sacellani, continuo ad latus, quod est memoratu dignum ab ipso Nicolao his verbis memoriæ mandatum a): *Hæc omnia & plura alia hic non scripta, ego oculis meis vidi, audivi, & interfui, quia per septem annos eius Secretarius & Capellanus fui, semper in eius camera dormivi, ad altare, ad mensam servivi, & horas canonicas secum dixi, & secreta, quæ nulli revelavit, mihi non obticuit.* Refert porro eumdem an. 1436. mortuum per prælatos sacri concilii, episcopos, abbates, alios prælatos & doctores cum solemni processione delatum in ecclesiam, in capella episcopi Moguntini tumulatum fuisse.

a) *Script. rer. Basil. breves pag.* 341.

Fuerat tunc archiepiscopus Moguntinus Theodericus pincerna de Erbach concilio Basileensi admodum addictus, pro quo an. 1439. in celeberrimo procerum Imperii conventu Francofurti fortiter fuit locutus. Extat apud Bulæum b) consilium universitatis studii Erfordiensis an. 1440. ad hunc archiep. *pro sacrosancto Basileensi concilio contra olim Eugenium & contra neutralitatenses principes ad concilium provinciale in Aschaffenburgis nuper in crastino Assumptionis Virginis gloriosæ inchoatum.*

b) *T. V. Hist. univ. Paris. pag.* 462.

Archiepiscopus nihilominus in celeberrimo conventu Moguntino præ cæteris impensius partes, auctoritatemque Eugenii est tuitus, admissis tamen etiam Felicis antipapæ legatis, & ex parte concilii Basil. eius præside Cardinale Arelatensi. Tandem vero in eam sententiam itum, pro pace Ecclesiæ congregandum esse generale concilium alio loco extra Basileam & Florentiam: ubi tamen sub auspiciis pontificis græca cum latina est unita tunc ecclesia, frustra Basileæ tentata, tanto quidem opere, ut etiam emissarii constituerentur, qui indulgentias eam ob causam denuntiarent, cuiusmodi apud Eisengrein in catalogo testium veritatis notatur Nicolaus Wigelt Germanus, qui indulgentias pro reductione Græcorum per concilium Basileense datas promulgavit Friburgi in confinibus Nigræ silvæ.

Florentiæ autem in frequenti synodo id feliciter est actum. Tum præterea Æthiopiæ rex, Armeni quoque, Iacobitæ, Chaldæi & Maronitæ summam in Romanum Pontificem potestatem palam contestabantur, eumque œcumenicum Ecclesiæ caput venerabantur. Agente etiam postea Friderico III. Imp. in conventu Aschaffenburgensi an. 1447. maxima nominis sui gloria Nicolao V. Eugenii successori obedientia est redhibita, abiecta neutralitate, Felice antipapa, eiusque factione Basileæ paullatim dilabente, reliquis Lausannam traductis: ubi tandem ipse pontificatum persuadente B. Ludovico Alemanno Cardinale Arelatensi, deposuit, sicque communio

pote-

SECULUM XV.

potestatis legitimæ inter summos ecclesiæ pastores est restituta, dum an. 1448. congregata Lugduni synodo sub Carolo VII. Galliarum rege, ea dexteritate, ut refert Io. Marius Belga in libro *de schismat. & concil.* c. 23. processum est, ut sedato schismate Felix Nicolao cederet, maxima totius orbis lætitia, hoc versiculo hinc inde per omnes regiones publicato: *Lux fulsit mundo, cessit Felix Nicolao.*

Acciso orientali imperio, pericula occidentali ab imminentibus Turcis.

VIII. Felicissima tunc fuisset mater Ecclesia, amplissimaque potestatis ecclesiasticæ communio, siquidem unio occidentalem inter & orientalem Ecclesiam durasset, post reditum Græcorum ipsiusque imperatoris Io. Palæologi Cpolim cito dilapsa. Interea urbi Cpoli imminet Turca, hortaturque Nicolaus V. litteris & misso Isidoro legato an. 1451. Constantinum Imp. Græcorum suppetias postulantem, qui tantum abest, ut obsecundaret, ut etiam Gregorium Patriarcham ad unitatem fidei accedentem sede deturbaverit. Dumque pontifex ad cæsarem Fridericum, & alios principes in alias nationes mittit an. 1453. nuntios, Turca expugnat Cpolim. Sic tandem cum imperio orientali Ecclesia etiam illa olim florentissima corruit, postquam iam a mille annis cum schismate colluctaretur, Acacio patriarcha Cpolitano incentore sec. V. ob factionem hæresimque Eutychianam, quod Romana Ecclesia communicare detrectaret cum successoribus etiam Acacii ad seculum usque sequens sextum, quo diu adhuc schisma Acacianum perduravit. Quæ res multum facit ad excusationem Honorii P. nimium Monothelitis faventis sec. VII. quo præterea Mahumedana secta infestare cœpit orientalem Ecclesiam semper magis ad defectionem declinantem seculo etiam octavo. Accessit sec. IX. schisma Photianum, cui sec. XI. Michael Cærularius neophytus patriarcha firmamentum addidit; nec stabilis fuit unio inita sec. XIII. in concilio Lugdunensi, & sec. XV. in Florentino, dum post annos 14. Constantinus Imp. in direptione urbis Cpolitanæ a Turcis trucidatus fuit.

Statim post direptam urbem fama adest, Turcam cum ingenti exercitu petere Ungariam. Fridericus imperator, aliique reges & principes Germaniæ, præsertim Ungariæ finitimi, facile intelligunt, sibi imminere periculum, pontifex etiam ab Ænea Sylvio gravissime monitus mittit prædicatores & nuntios an. 1454. teste Trithemio in chronico Hirsaug. *qui cruciatam & passagium prædicarent in Turcas, & animos fidelium ad tanti recuperationem imperii concitarent. Venerunt missi quilibet in regionem sibi a pontifice maximo deputatam, prædicaverunt crucem, sed paucis, ut contra infideles pugnarent, aut pecunias contribuerent, persuaserunt. Omnes enim, quæ sua erant, nimis avide quærentes, communia neglexerunt.*

Cele-

Celebrat mox Ioannem de Capiſtrano, Italum ord. Minorum de obſervantia, doctorem S. Theologiæ, generalem inquiſitorem hæreticæ pravitatis, & apoſtolicæ ſedis nuntium, virum doctum, & ſanctæ converſationis, qui menſe Octobri an. 1454. Herbipolim adveniens, ibique multis diebus per interpretem locutus, inde Francofordiam, aliaque oppida & civitates regni ſumma cum diligentia & fervore crucem prædicavit.

Multum tunc temporis in Helvetis, eorumque virtute bellica repoſitum eſt exiſtimationis. Notat Ioſ. Riegger a) in *amœnit. litterariis* Friburg. Mſc. in bibl. Friburg. Iac. Wimphelingi ſoliloquium pro pace chriſtianorum, & pro Helvetiis, ut reſipiſcant ad eos exſtimulandos. Attinet huc, quæ ibidem ex eiusdem apologia pro republica chriſtiana in medium affertur ſententia: *quodſi Bohemi ſedi apoſtolicæ, & Helvetii Romanorum regi adhærerent, ut ſunt bellicoſiſſimi, felicius Turcarum gentem edomari poſſe ſperarem.* Quietos eos iam per Auſtriæ duces eſſe licebat, admittebanturque ad comitia imperii, quæ tunc frequentia erant. Memorat Æneas Sylvius b) an. 1454. reges omnes & principes cum pontifice rogatos, ut oratores ſuos mitterent Francofurtum. Victoria inſignis an. 1456. apud Albam de Turcis fuit reportata, ter fugato Mahumete; ſed inteſtina bella, factiones, ſtudia partium, invidia ac æmulatio, uti etiamnum, inducias Turcis dederunt, ſervaruntque Ottomannicum regnum. An. 1459. Pius II. ipſe Mantuam cum omni curia ſua ire decrevit, uti narrat Trithemius, *ut convocatis ibidem chriſtiani orbis nuntiis & oratoribus in Turcas generale paſſagium ordinaret. Venit ergo Mantuam anno prænotato prima die menſis Iunii, multorum oratores principum eo præſentes invenit, aliosque brevi venturos aliquamdiu exſpectavit. Duravit autem oratorum conventus menſibus octo, in quo multa fuerunt tractata & concluſa contra nefandiſſimos Turcas, quorum parvus ſequebatur effectus. O! quod non præſumit invidia, & quid mali non merentur hominum peccata!* Multos tamen ex noſtris plagis Alemannos, & aliis de provinciis crucem cepiſſe contra Turcas, ad h. a. notat chronicon Elwangenſe apud Freherum c). Sed ſpem fefellerunt inteſtina bella, commotum illud præſertim in Germania, fotumque a Georgio rege, & hæreticis Bohemis, ut apud Rainaldum ad an. 1460. Pius II. P. accerrime pluribus in epiſtolis queritur, imperatori Friderico, ut cognominem comitem Palatinum ducem exercitus conſtitueret conſulens, quod tamen is detrectavit maximo rei Chriſtianæ damno, dum Turcæ maioribus itentidem greſſibus, progreſſibusque paullatim etiam Germaniæ noſtræ imminerent, magnoque impetu an. 1469. ex Boſnia in Carniolam irrumperent.

a) *Faſc. II. pag.* 163.

b) *Epiſt.* 127.

c) *Script. rer. Germ. T. I. pag.* 687.

SECULUM XV.

Habiti tunc sunt singulis fere annis conventus. An. 1470. Norimbergæ, alius Viennæ habendus fuit decretus: neque hic tamen quidquam conclusum. Convocavit iterum Fridericus comitia principum Norimbergam; sunt vero, qui Friderico id persuasisse principes putent, ad eum exauctorandum potius consilio, eique æmulum Georgium Bohemiæ regem hæreticum substituendum, ut apud Freherum a) legere est in commentationibus August. Patricii de comitiis imperii sub Friderico III. imp. apud Ratisbonam celebratis an. 1471. ubi progressus explicat, quos fecerit Mahumetes Turcarum princeps, fretus nostrorum desidia, & continuis victoriis animo elevatus, dum nostri tempus longis consultationibus terunt. In frequentibus ea ætate recessibus imperii legitur b) matricula copiarum, collectarumque aliarum, quas quisque status imperii tam secularis, quam ecclesiastici conferre debeat, ubi prælati perinde ac dynastæ Nigræ silvæ nostræ habentur censiti.

a) *T. I. pag. 288. &c.*

b) *Neueste Sammlung der Reichs - Abschieden T. I. p. 219. & seqq.*

Sequuntur ibidem apud Freherum Io. Campani ad Iacobum Cardinalem Papiensem ex iisdem comitiis, de rebus ibi gestis epistolæ familiares &c. Conventus huiusmodi proximis annis, imprimis Sixtus IV. promovere studuit, cuius apud eumdem Freherum c) extat passagium sive Bulla exhortans principes Christianos ad sacram expeditionem in Turcas suscipiendam, missa Philippo Palatino an. 1481. & Mathiæ Corvini Hungariæ & Bohemiæ regis oratorum ad principes Imperii pro auxilio contra Turcas ferendo imploratio notatu digna. Nec quidquam in *se* desiderari passus est post Fridericum III. Maximilianus I. sed iisdem bellorum impedimentis turbisque Germaniæ revocatur, & ita ob christianorum dissensiones Ecclesiam a Mahometanis oppressam dolet Raynaldus an. 1499. ad Nauclerum nostrum provocans, vicinasque, ut mox videbimus, nobis turbas; quum vel soli Germani, qui mutuis vulneribus in tumultuariis pugnis sese conficerent, insignem de Turca triumphum reportare potuissent.

c) *L. c. p. 310.*

Imperium Germanicum.

IX. Mirum videatur, quod imperatoribus sec. XV. tam parum successerint studia immensa, & conatus iuvandæ utriusque reipublicæ sacræ & profanæ. Unum excipias, de quo iam superiore seculo actum est, Wenceslaum ignavum, ineunte idcirco seculo hoc decimo quinto in conventu Langensteinensi diœcesis Moguntinæ depositum, ut tamen haud destiterit partes suas tueri contra Rupertum Palatinum in eius locum electum, cui in nostris etiam plagis adversum Bernardum Marchionem fuerunt bella, Marchioni sese coniungente comite de Wirtenberg, urbibusque Sueviæ cum Argentoratensi.

Iodocum etiam primum nactus est æmulum, sed brevi mortuum, Moraviæ Marchionem ex eadem Luxenburgicorum stirpe, Henrici Marchionis, (qui frater fuit Caroli IV.) filium, atque adeo Sigismundi patruelem, qui post mortem Ruperti fuit electus Imperator, rex antea Ungariæ gravissimis exagitatus periculis, quem iam vidimus ad restituendam Ecclesiæ pacem tot ac tantos suscepisse labores, ac itinera, maximis, quibus impar erat, sumtibus, optime de imperio Germanico meritus, sibimet & Ecclesiæ Romanæ consulens per concordata inprimis Germaniæ cum Martino V. Constantiæ inita an. 1418.

Seculum XV.

Quam vero Sigismundus in concilio Constantiensi, eamdem eius successor Albertus II. Austriacus Sigismundi gener præstare conatus est in concilio Basileensi operam Ecclesiæ. Faustum auspicatus imperium, brevi tamen functus fato, reliquit Friderico, qui illud ultra dimidium seculi tenuit, pacemque publicam Norimbergæ an. 1468. in comitiis instauravit quidem, eam vero violatam iterum in perpetuum stabiliendam Maximiliano filio (quem an. 1486. Francofordi in Romanorum Regem electum, eodem anno splendidissimo ornatu vidit coronatum) reliquit. Cui quidem electus Maximilianus quam primum operam impendit pace ad decennium constituta; at vero biennio post eidem firmando Suevos induxit, ut equester eorum ordo peculiarem etiam Nigræ silvæ complexus Cantonem, ut vocant, liberæque Civitates inter se ad octennium fœdus inirent Esslingæ, Ligæ Helveticæ, ducumque Bavariæ adversum. Pacem vero publicam Wormatiæ tandem in comitiis in perpetuum stabilitam ivit, in nostram proximis annis divertens silvam, visus an. 1497. Villingæ urbibusque silvestribus; anno sequenti comitia Friburgi Brisgoiæ celebravit, qui quidem, teste Trithemio in chron. Hirsaug. ad h. a. *Conventus principum duravit non paucis diebus, in quo multa pro communi reipublicæ commodo, & utilitate fuerunt proposita, plura tractata, nec pauca in diversis negotiis conclusa, de bello videlicet in Turcos movendo, de continuando iudicio Cameræ Regalis ante triennium apud Wormatiam satis provide instituto, & erecto, de pace firma ubique servanda in regno, & de coercendis rebellibus, puniendisque latronibus & violantibus pacem. Alia quoque multa fuerint satis utiliter proposita, quæ utinam fuissent & practicata.* Orationem ea occasione nomine universitatis Friburg. ab Udalrico Zasio habitam habes apud Freherum a).

a) *Script. rer. Germ. T. I. pag.* 466.

X. Iam vero tandem aliquando propius ad res Nigræ silvæ nostræ accedendum est, infestationibus hoc seculo inprimis expositæ ob vicinam Helvetiam, quæ sese hoc seculo invicta constantia & fortitudine in libertatem vindicavit.

Res Nigræ silvæ turbatæ ob bella Helvetica.

 Dici-

SECULUM XV.

Dicitur Fridericus III. contra Helvetos, quum an. 1444. treugæ inter reges Franciæ & Angliæ essent, exercitum utriusque gentis conduxisse (ad quem annum primam eorum irruptionem etiam Urstisius in chron. Basileensi assignat) quem Lud. Delphinus in Alemanniam deduceret. Extant in *Alsatia diplom.* a) Friderici R. R. uti & Sigismundi ducis Austriæ epistolæ ad regem Galliarum Carolum VII. adversus Helvetos anni 1443. dum sequenti deductæ sunt copiæ illæ vulgo *Armeniaci*, vernacule etiam corrupte *die arme Jecken* per probrum, aut etiam (teste Trithem. ad annum 1439.) *die Walchen*, *Schnaggen*, *Schinder* ex crudeli Helvetiorum ad S. Iacobi prope Basileam leprosorium trucidatione. Armeniaci vero, seu Armaniaci verisimilius a suo Duce nominantur ex comitatu in *occitania*.

a) *T. II. pag.* 371.

Apud Martenium b) legitur Ioannis XXIII. P. epistola an. 1411. ad Bernardum comitem Armensiacensem, qua eum, quid circa pacem Ecclesiæ factum sit, certiorem facit contra Petrum de Luna, & Angelum Corrarium. Nihilominus postea Ioannes Armaniacus schisma Petri de Luna fovit: quamobrem sess. XXXV. conc. Constant. contra eumdem actum esse, atque etiam post concilium, Romæ an. 1426. sententia in eum lata legitur apud Pagium in breviario. Rom. Pont. sub Martino V. n. 62. Constanter eum huic factioni adhæsisse demonstrant litteræ Ioannis de Thurena, quibus ei an. 1429. electionem novi post mortem Benedicti XIII. cognominis pseudo-pontificis denuntiat. Inscripta est epistola apud Martenium laudatum c): *Ioanni Dei gratia comiti Armeniaci Ruthenæ ac Insulæ &c.* . .

b) *Thes. anecd. T. II. p.* 1432.

c) *Ib. p.* 1715.

Urstisius d) in chronico Basileensi, qui exercitum Armeniacorum deduxisse dicitur, Ioannem appellat, Iacobum alii. Nuspiam tamen in bello illo comitis alicuius mentio fit. Turbis his etiam vicina Basileæ Nigra silva fuit infestata, occupantibus militibus Rheinfelden, Laufenberg & Waldshut, atque in Cleggoviam usque penetrantibus, ut Etterlini chronica testatur. Sed hæ irruptiones potius factionibus Helvetiorum sunt tribuendæ ac bellis, ob quæ Delphini exercitus advenit ab Austriacis evocatus, ut prodit epistola Friderici R. R. ad Carolum regem Galliarum anno 1443. edita in *memorabilibus ditionis Basil.* quam sequitur Wernheri de Stouffen epistola an. 1444. ad marchionem Wilhelmum de Hochberg, præfectum Austriacum, aliaque ad rem maiori voluminis quinti parte memorabilium ditionis Basil. e) Quidam etiam ex Helvetiorum potius, quam, quod vulgo creditur, Delphini exercitu in vallem Schœnaugiensem, versus monasterium S. Blasii irruptionem fecerunt, sed rusticorum animositate repulsi sunt. Cuius rei memoria in tabula picta in sacello S. Petri pro-

d) *L. V. c.* 39.

e) *Versuch einer Beschreibung historischer und natürlicher Merckwirdigkeiten der Landschaft Basel V. stuck. St. Iacob.*

pe Schœnaugiam adpenſa hodieque conſervatur: oſtenduntur que miſſilia, quorum tunc uſus fuit, ex ferro in quatuor cuſpides acuminato, quarum una, quocumque proiicias, ſemper in altum erigitur. In Briſgoiam quoque excurrerunt. Unde in comitiis Norimbergenſibus decreta eſt contra Delphinum expeditio ſpeciatim Alberto Auſtriæ duci cognominique marchioni Brandenburgico, & Iacobo Badenſi, Ulricoque Wirtembergiæ comiti iniuncta, ut in Briſgoiam copias deducerent, de reducendo exercitu cum Delphino acturi, qui ſe in Alſatiam recepit: dum antea Carolus VII. Galliæ rex, Delphini parens copias ex Alſatia, & ex ditionibus Ludovici Palatini, atque Ruperti Argentinenſis epiſcopi ſtato die deducturum pollicitus ſit an. 1444. die 23. Febr. ut in *Alſatia Diplom.* legere eſt a), chartam etiam ſecuritatis ac protectionis familiæ nobili Andlavienſi a Delphino datam, fœdera item eodem & ſequenti anno Treviris pacta inter Ludovicum Electorem Palatinum & Rupertum epiſcopum Argentinenſem b). Sequuntur demum Caroli VII. regis Galliæ litteræ de fuga Delphini an. 1445. die 3. Nov. ad civitatem Argentinenſem, ad quam urbem plures Baſileenſium epiſtolæ leguntur in Schilteri c) annotationibus ad chronicon Kœnigshofii, alia ad eamdem rem.

SECULUM XV.

a) *T. II. pag.* 374.

b) *pag.* 388.

c) *Annot.* 17.

Fervebat tunc temporis bellum Turicenſe, quod iam an. 1443. Helveti urbi denuntiàverant, fœdere Auſtriacis iunctæ. Baſileenſes an. 1446. in Briſgoviam Friburgum uſque hoſtiliter excurrerunt, ex altera parte Rhenofelda obſidione cincta, ut in chronica Eberlini narratur, ac poſtea etiam bellum Burgundicum explicatur, Nigræ ſilvæ noſtræ cumprimis infeſtum.

Bellum hoc Burgundicum ſingulari opere Dieboldus Schilling deſcripſit, tunc temporis ſcriba reipublicæ Bernenſis, quæ unaque Lucernenſis & aliæ confœderatæ an. 1468. Waldshutum petierunt, fruſtra armatorum ſedecim millibus obſeſſam, excurſione etiam inde facta in Nigram ſilvam verſus monaſterium S. Blaſii, quod lytro pacto trium millium fl. ut Dieboldus Schilling narrat, furorem militum compeſcuit. Anno 1469. vel ſequenti potius Sigismundus Archidux Carolo pugnaci duci Burgundiæ pignoris iure comitatum Phirtenſem, Nigram ſilvam, quatuor urbes ſilveſtres, Briſgoiam, Suntgoviam, & quidquid ditionis in Alſatia habuit, conceſſit. Burgundus Petrum de Hagenbach ſatrapam provinciarum harumce conſtituit; hominem ferum, qui ſua atrocitate ſubditos, ſuperbia vero Helvetos in ſe concitavit, quare converſa eſt alea, dum provinciæ oppignoratæ prioris principis opem implorant, Helvetique auxilium præſtant armati in Carolum. Circa medium huius ſeculi

SECULUM XV.

varios in vicinia Nigræ ſilvæ motus excitavit eques Bilgeri de Heudorf, civis quidem Schafhuſanus, ſed qui ſtipendia ſub Sigismundo archiduce Auſtriæ merebat, cui Fridericus III. favebat ad recuperandas avulſas Helvetiæ & Imperii ditiones, urbis inter alia Schafhuſenſis ſeſe in Nigram ſilvam ad montem Randen protendentes.

Iam ſupra meminimus fœderis Suevici, quod clypeus S. Georgii appellabatur, contra fœderatos Helvetos initi in comitiis Francofordi anno 1489. ut tamen res poſtea agente potiſſimum Thoma epiſcopo Conſtantienſi ſint mutuo transactæ & compoſitæ, Helvetique ſe conſultius (una tantum ad finem ſeculi huius XV. excurſione in Cleggoviam & Alpegoviam facta) ad littus Rheni ſe conſtringendos exiſtimarent, ſuis contenti finibus ex conſilio B. Nicolai de Flue his verbis expreſſo, apud Trithemium in chron. Hirſaug. ad an. 1480. „Si manſeritis in terminis veſtris, nemo „vos poterit ſuperare, ſed cunctis adverſariis veſtris omni tempore for„tiores eritis atque victores; ſi autem cupiditate ſeu libidine dominandi „abducti, dilatare imperium ad exteros cœperitis, non diu veſtra per-
a „manebit fortitudo.“ a) Sic Rottwilenſes etiam ſua confœderatione exciderunt; fallitque hactenus laudati Trithemii præſagium in eodem chron. ad an. 1499. quod ſeculo XV. memoria bellicoſiſſimæ tunc gentis expreſſit.

Et bella inteſtina.

XI. Friderici Auſtriaci bonorum proſcriptio, in concilio Conſtantienſi facta, Helvetis peropportuna accidit ad conſtabiliendas res, ac rempublicam ampliandam. Accidit porro perinde, ac ſeculo ſuperiore, ex ſatraparum animoſitate, ut res & animi exulcerarentur. Initio ſtatim ſeculi ab Hermanno de Sulz, & Ioanne de Lupfen, inductus eſt Fridericus, ut bello ſe implicaret, quod abbati S. Galli cum Appencellanis interceſſit. Sic teſte Trithemio in chron. Hirſaugienſi ad annum 1409. iidem *Ioannes comes*

a) Communi omnium patriæ ſtudioſorum etiam Proteſtantium calculo hodieque ſacroſanctum eſſe S. Nicolai monitum vaticiniumque, nuperrime publico in conſeſſu ſocietatis Oltinæ inſignis reipublicæ Baſileenſis triumvir Münch denunciavit, allato quoque celebris Lavateri in S. vatem elogio, quod hic adſcribo:

Er ſtand im Kreis entzweyter Vätter,
Von Gott geſant ein weiſer Retter
Voll Demuth und Erhabenheit.
Er rief mit Licht erfülltem Blicke;
Und alle hörten weinend zu;
O Friede kehre bald zurücke!
O Einigkeit wie ſchön biſt du!
Er war des Vatterlandes Retter,
Ein Heiliger und war ein Held:
Wo, Brüder, iſt ein frömmer Better,
Ein beſſrer Bürger in der Welt?

mes de Lupfen, & Hermannus comes de Sulza, qui erat Vicarius seu vicem tenens Friderici ducis Austriæ in Suevia, in Brisgoia, in Suntgavia, & Ergovia contractis copiis in manu valida fines Basileensium ingressi, & venientes usque ad civitatem omnia in circuitu devastarunt, incendia, & deprædationes hostiliter exercentes, & munitiones quasdam capientes, igne supposito funditus destruxerunt. Ioannes quoque dux Burgundiæ Friderico Austriæ duci affinitate iunctus multa Basileensibus intulit damna, parumque abfuit, quin res bello videretur terminanda. Necdum hoc tempore Basileenses fœderi Helvetico sociati erant. Frustra Ludovicus comes Palatinus pro pace Fridericum inter & Basileenses laboravit; Basileenses vero auxilio Bernensium oppidum Rheinfelden obsidione cinxerunt. Sic iidem cum Solodorensibus an. 1442. oppidum Laufenburg obsederunt *contra omnem iustitiam*, ait Trithemius ad eum annum. Eiusdem anni est instrumentum seu charta, qua comites, abbates, cæterique nobiles tractus seu pagi Hegoviensis ad lacum Podamicum in fœdus a vexillo S. Georgii dictum coibant, non pauci etiam Nigra-silvani, ut apud P. Gerardum Hess in prodromo monument. Guelph. a) legere est, ex autographo editum. Pertinent etiam huc turbæ illæ ingentes, quas iam memoravimus excitatas a Bilgeri seu Peregrino de Heudorf, qui Schafhusanos necdum Helvetiæ iunctos itentidem; fretus favore memoratorum Satraparum, lacessivit.

SECULUM XV.

a) *pag. 164. &c.*

Ea occasione oppidum Waldshut obsidione fuit cinctum, ut iam meminimus, excursionis etiam Helveticæ ad finem seculi huius XV. contra comitem de Sulz in Cleggoviam, castrum Küssenberg adiacensque Alpegoviæ oppidum Thiengen, cui Dietericus de Blumeneck præfectus erat, & oppidum Stuhlingen comitis de Lupfen, Blumfelden item, ut in chron. Dieboldi Schilling &c. legitur. Magna tunc erat fœderis Helvetici existimatio & auctoritas, qua etiam, & Senatus Biberacensis eodem tempore controversia Eberhardum comitem Wirtemb. & Rotwilensem inter urbem est composita in Senaculo Villingensi, teste Crusio b). Idem iam ad an. 1445. scripserat, Ioannem Rechbergium ab Io. Geroltzeccio conductum multum nocuisse Rotwilensibus (veteri oppido exusto, & abacto pecore) aliisque urbibus imperialibus ex oppido Sulza an. 1453. a Wirtenbergensibus comitibus obsesso. Notatque c. 7. rursus ad an. 1448. bellum civile urbicum, id est inter civitates imperii & principes ac nobilitatem.

b) *annal. Suev. P. III. Lib. VII. c. 7. Ibid. c. 5.*

Hinc sec. XV. confœderationes illæ ac ligæ nobilitatum adversus urbes Suevica imprimis celebris aggregata Societati Clypei S. Georgii iam me-

Seculum XV.

a) Vid. Burgermeisteri cod. diplomat. equestris.

memoratæ, cuius originem ab exeunte iam seculo XIV. repetit Dattius *de pace imperii publica*, eiusque incrementa explicat accedentibus episcopis & abbatibus eidem confœderationi in Cantones tributæ post medium sec. XV. a) consociatis etiam præcipuis Nigræ silvæ dynastis, demumque singulari cantone Nigra-silvano constituto. Dum vero insolesceret paullatim confœderatio, principes non pauci & prælati eidem sese subtraxerunt; alii vero alii se adiungunt auctoritate Imperatoris Friderici, & auspicio Maximiliani R. an. 1487. pro tuenda pace publica, ubi sumpsit exordium Augustior confœderatio; *ea videlicet*, ut Trithemius narrat, *ratione, & causa, ut se mutuis auxiliis contra indictæ pacis violatores unanimi firmitate defenderent. Quæ quidem civium confœderatio nonnullis principibus Germaniæ valde displicuit, pluribus etiam placuit, qui & in eorum consortium pari amore transierunt. Brevi namque tempore crevit ista societas, & multis nimium cœpit esse formidabilis. Quantum vero bonum hæc tanta confœderatio protulerit regno, quantam civibus pepererit pacem, quot contentiones alioquin futuras extinxerit; atque prævenerit, nemo vel mediocriter expertus poterit ignorare. Omnes enim principes, episcopi, duces, abbates, comites & cives regni, quotquot in hanc iurarunt ligam, seu confœderationem mutuo sunt coadunati, ut quidquid unum concernit, omnes concernere videatur.*

Nigræ silvæ dynastæ Austriaci.

b

c) Cod. Probat. Geneal. Habsburg. p. 811.

XII. In memorato mox Maximiliano I. Imp. quem iam laudavimus pacis publicæ statorem, auspicata sorte coaluerunt divisæ prius terræ Austriacæ, dum ineunte seculo hoc XV. defuncto Ioanne de Habsburg, ultimo lineæ Laufenburgicæ comite, dux Austriæ Fridericus feudis dynastiæ Laufenburgicæ perinde ac Secconiensi & Glareano b) investitus fuit ab abbatissa Secconiensi: quæ quidem iam an. 1386. Lupoldus a Ioanne III. emerat, sed rursus in feudum masculinum Secconiensi abbatiæ concesserat, ut apud P. Herrgott c) legere est. Atque hunc in modum Friderico cesserunt ditiones omnes Nigrasilvanæ, ex quibus frustra obluctabantur oppida Villingen & Waldshut, dum idem Fridericus dux in integrum est restitutus a Sigismundo Cæsare in Constantiensi concilio. Hinc Bernardus quoque Badensis marchio restituere iussus est præfecturam Brisgoicam, quæ sese in Nigram usque silvam protendit: qui idem Bernardus iam an. 1415. comitatu Hachbergico fuerat auctus.

Quin-

b) In Ægidii Tschudii chronico Helvet. T. I. p. 586. legitur instrumentum, quo se ad finem seculi XIV. redemerunt Glaronenses a nexu abbatiæ Seckinganæ, ut tamen hodieque annuam in signum pristinæ subiectionis monetam eidem pendant, ac S. Fridolini imaginem in suis insigniis conservent. Vid. Trumpi in chron. Glaronensi, & Hallerus in historia monet. Helvetiæ.

Quinquennio poſt Agatha Heſſonis dynaſtæ in Uſenberg filia, monaſterii S. Margarethæ prope Waldkirch monialis, iuri ſuo in Uſenbergicam & Hachingenſem dynaſtias, teſte Schœpflino a) renuntiavit, perinde ac anno ſequente 1421. Reinoldus dux de Urſelingen, quem in charta an. 1437. dominum in Hornberg notatum reperi, cum Anna vel Anaſtaſia de Iſenburg ſeu Uſſemberg uxore ſua, in favorem eiusdem marchionis Bernardi. Iam vero anno 1400. Anna de Uſenberg Reinoldi ducis uxor in documentis ad hiſtoriam pragmaticam de Geroldseck b) Heſſoni marchioni de Hachberg ius hypothecarium in dynaſtiam Triberg contulit. Eadem an. 1404. cum marito renuntiavit iuri, quod ei in dynaſtiam Geroldseck ex matre Agnete de Geroldseck competebat. Anaſtaſia ſive eadem cum Anna, ſive alia uxor Reinoldi condomini in Hornberg occurrit circa an. 1427. Idem vero Reinoldus anno 1443. iam vivis exceſſerat.

SECULUM XV.

Badenſes.

a) *Hiſt. Bad. T. II. p.* 100.

b) *Inſtrum. XLV. p.* 99.

Nequaquam autem Uſenbergica Nigræ Silvæ dynaſtia cum illa Suſenbergica confundi debet. Eſt hæc amplior Sauſenbergo-Rotelana Marchionibus Badenſibus propria provincia, quæ necdum hoc ſeculo cum Bernardina & Chriſtophoriana ſtirpe coaluerat, ut apud Schœpflinum videre eſt c). Memoratus ſupra Bernardus a Sigismundo Imp. redemtionem caſtri Zaringiæ cum omnibus, quæ ad id pertinebant, accepit, atque an. 1422. Conradus Bernlappius armiger quartam ei partem eiusdem caſtri cum ſilvis, banno ferino, pratis, aquis, aliisque iuribus ad hanc partem ſpectantibus, ſervata ſibi altera quarta, tradidit. Iacobus Bernardi filius per teſtamentum Carolo primogenito reliquit pleramque ſuperiorem marchiam, inferiores vero terras inter poſtgenitos filios Bernardum & Georgium diviſit: illi Pforzhemium, huic Durlacum regiminis ſedes conſtituit, Nigræ Silvæ finitimas.

c) *Hiſt. Bad. T. II. p.* 104.

Bernardus hic Sanctorum poſtea albo adſcriptus terras ſuas Carolo fratri reſignavit an. 1454. cum duobus ſociis in eremum ſeceſſurus d). Aſt dum illum Fridericus III. Imp. legatum ad omnes Europæ principes mittit, ut ſacri contra Turcas belli claſſicum caneret, in Italiam concedens, Taurini ſubito morbo correptus, apud Franciſcanos eodem anno deceſſit, in collegiata S. Mariæ eccleſia ibidem ſepultus, iam quidem an. 1469. a Sixto IV. P. inter Beatos, an. autem 1770. a Clemente XIV. P. inter Sanctos ſolemni ritu relatus. Epiſtolam Georgii Metenſis epiſcopi de eiusdem miraculis Schœpflinus in codice diplom. hiſtoriæ Bad. e) charta 425. deſcripſit: cui addendus Trithemius in chronico Hirſaug. ad an. 1465.

d) *Ib. p.* 190.

e) *P. II. pag.* 411.

SECULUM XV.

Eodem Schœpflino teste a) Wilhelmus marchio Badensis, memorati Rudolphi parens, stirpis Hachbergo-Sausenbergicæ, vicariam Austriacæ domus inter alias provincias anterioris Austriæ in Nigra quoque Silva tenuit potestatem, circa an. 1443. missus a Friderico III. Imp. in Helvetiam, ut Turicenses Austriacorum tunc socios contra reliquos Helvetios ipsorum hostes tutaret. Idem b) an. 1451. Rudolpho filio Nigram silvam & Hauensteinii dynastias cum Schönaugiensi & Tottnaviensi vallibus, quas ab Austriacis oppignoratas retinuerat, tradidit.

a) *Hist. Bad. T. I. p. 402.*

b) *Ib. p. 405.*

Singularem autem memoriam meretur dynastia Badenwillana, vel ob insignia etiam thermarum Romanorum rudera c), quæ hodie ibi effodiuntur. Ad finem sec. XIV. illam cum aliis ditionibus Leopoldus dux Austriæ a Conrado comite de Friburg, ut supra p. 130. meminimus, pro 28000. aureis oppignoratam accepit: ut tamen an. 1417. Sigismundus Imp. eam ex manibus Austriacorum pretio 4000. florenorum Ioanni comiti de Friburg ob præclara eius merita redimeret, qui illam adeo vivente adhuc Conrado patre administravit, sed nequaquam imperturbate, quippe quam Austriaci identidem invaderent. Quare eam iterum recepturus Ioannes cum Alberto Austriæ duce an. 1454. colloquium Waldishuti instituit, præsente Rudolpho marchione de Hachberg. Hic eamdem dynastiam iam an. 1444. dono acceperat; postea vero an. 1457. ex asse heres Ioannis comitis de Friburg, postquam dicto Waldishutano conventu in cassum cedente, res Albertum inter & Ioannem episcopo Basileensi arbitro fuerat transacta. Exin Philippus Rudolphi filius, qui vivo adhuc patre dynasta Badenvillæ apud Schœpflinum d) notatur, inito mutuæ successionis pacto, si alteruter sine prole decederet, Christophoro marchioni Badensi cum ceteris dominiis etiam Badenvillanum an. 1490. est stipulatus.

c) *Ib. p. 260.*

d) *L. c. p. 412.*

Fürstenbergici.

Circa an. 1416. Ludovicus Palatinus supremam in partibus hisce Austriacis tenuit potestatem: ad finem vero seculi in Ortenavia, in Nigram silvam usque excurrente, Wolfgangus de Fürstenberg. Atque hi ipsi comites de Fürstenberg inter præcipuos Nigræ silvæ dynastas seculo hoc XV. connumerandi veniunt. Ex his Henricus comes Landgraviatu Barensi a Sigismundo Imp. investitus reperitur; quibus temporibus ditiones Fürstenbergicas tenuerunt, ex quibus an. 1435. rursus investitus legitur Henricus V. Henrici IV. filius, uterque in Neidingen sepultus. Henricus IV. an. 1409. mortuus, quum iam an. 1389 ditionibus suis Nigrasilvanis Hausen & Wolfach adgregasset Haslach, dein an. 1400. iterum sibi suisque heredibus adiecit valles Urach, Scholach, & Linach ex transactio-

actione cum Ioanne de Hornberg. Facta autem inter eius filios Conradum IV. & Henricum V. divisione illi Wolfacum obtigit, qui lineæ eiusdem fator fuit, uti Ioannes III. Henrici V. filius Wartenbergicæ. Frater eius Conradus V. principalis stirpis Barensis propagator dynastiam Lenzkirch a Dietrico & Rudolpho de Blumeneck emtione adquisivit. Henricus VI. ex sorore Henrici V. Beatrice nepos, Landgravius in Bare & dominus in Hausen, uti chartam an. 1466. inscribit circa curiam monasterii Alpirspacensis in Schopfen. Obiit demum an. 1491. plurimis annis post fratrem Ioannem, quem in chartis an. 1440. notavi. Alter vero frater Conradus V. qui Ioanni II. an. 1441. successit, Henricum VII. post mortem an. 1484. reliquit heredem, qui in exercitu Maximiliani I. Imp. merens in prælio Dornacensi prope Basileam an. 1499. succubuit; & Wolfgangum equitem aurei velleris primum, supremumque eiusdem Maximiliani aulæ exercitusque magistrum. Uterque an. 1491. tum paternam, quam hactenus communiter tenebant, hereditatem, cum etiam illam Henrici VI. quocum Wolfacensis, & Egonis VI. quocum Wartenbergensis linea desiit, diviserunt, communi tamen residentia retenta oppido Fürstenberg. Linea Friburgensis post Conradum III. qui an. 1442. obiit, an. 1457. in Ioanne II. extincta est. In principali vero linea ex Conrado V. (si generatim stirps Egonica computetur) quem in charta an. 1411. notavi, eiusque uxore Chunigunda de Metz, non solum deinceps comites principesque de Fürstenberg, verum illustres quoque familiæ de Eberstein, Helfenstein, Oettingen, Wertheim, dapiferi de Waldburg, & Rapoltstein in linea materna descendunt, Hohenzollerana vero ineunte sec. XV. ex Adelheide Gottfridi comitis de Fürstenberg & Margarethæ de Krenckingen filia.

Memoratu demum dignum est, quod ad illustrissimam familiam Fürstenbergicam attinet, notaturque apud Crusium in annalibus Sueviæ a): (ubi nobiles familias Brisgoiæ etiam Nigra-silvanas ex Msc. recenset) in celebrato Herbipoli vigesimo octavo generali hastiludio (*Turnier*, Torneamentum dici solito) brabeium Henrico comiti de Fürstenberg fuisse delatum; atque in his ludis restitutas esse veteres equestrium ludorum leges, aliasque novas latas a Franconibus, ut de moderatione in vestibus, ne tenuior nobilis aut domi manere propter pretiosioris ornamenti inopiam, aut nimio sumtu in eo comparando sese exhaurire cogeretur. Observandum vero, non multo post, inventis hoc seculo pulvere pyrio usque sclopetorum & bombardarum, cessasse hæc hastiludia an. 1487. quam cum aliis causis attingit citatus Crusius b).

a) *P. III. Lib. VIII. c. 15.*

b) *Ib. c. 21.*

SECULUM XV.

Schellenberg.

Caput hoc sec. XV. extulit nobilis in Nigra silva familia de Schellenberg. Eam iam ad finem sec. XIII. reperio in Henrico de Schellenberg, pincerna monasterii Fabariensis in Rhætia Helvetica. Is in sigillo militem se vocat, conveniuntque transversæ trabes in scuto Schellenbergiis Nigra-silvanis; differt vero sigillum Marquardi de Schellenberg, qui Burggravius in Lingpach appellatur in litteris an. 1310. Ex nostratibus primus in chartis occurrit Benz an. 1381. qui a Burchardo de Blumberg patre uxoris suæ Guttæ cum consensu Henrici comitis de Fürstenberg domini directi oppidum Huffingen legatum obtinuerat. Anno autem 1406. Conradus de Blumberg Conrado de Schellenberg, memorati Benz filio, quidquid iuris in Almetshofen habuerat, vendidit: idemque Conradus & filii Gebhardus, Bertholdus & Conradus cum Henrico & Egone fratribus de Fürstenberg an. 1418. & deinceps cum aliis subsequente tempore transegerunt circa varia capita dominii alti ac iudicium sanguinis, quod in Huffingen iam an. 1404. a Ruperto Imp. indultum acceperat avus Conradi huius, qui an. 1477. sententiam tulit in favorem S. Blasii, ac familiæ Schellenbergicæ Hausen vor Wald, Burg & Bachen, ditionis nunc Fürstenbergicæ, comparavit. Idem an. 1483. cum Burchardo, & iterum an. 1488. testis subscripsit chartæ, qua nobiles de Habsberg comitibus de Fürstenberg an. 1488. inter alia loca etiam castrum & oppidum Donaueschingen oppido Huffingen vicinum vendiderunt, simultatum deinceps seminarium. Quamvis enim familia Schellenbergica identidem incrementa acceperit seculo etiam XVI. in ramos extra Nigram silvam protensa (siquidem a Ioanne memorati Conradi filio ditio Stauphen & Randeck, unde linea Randeckiana orta, fuerat adquisita, & ab Arbogasto Ioannis ex fratre Burchardo nepote Landrost, unde altera eius nominis linea); eo tamen adacti sunt, ut iam ineunte sec. XVII. mortuo Henrico Arbogasti filio, curatores Ernesti, Schwickardi &c. filiorum, quod residuum tenebant de oppido Huffingen, comitibus de Fürstenberg vendere sint compulsi, familia paullatim accisa, & ut ita dicam, ad rem carbonariam redacta, dum labente iam præterito & ineunte hoc seculo XVIII. unus superstes Io. Iosephus de Schellenberg, memorati Schwickardi pronepos ex Io. Ludovico filio & Io. Iosepho nepote, rei carbonariæ in Zizenhausen, cognominis vero filius rei metallicæ in Hoheneck Algoviæ præfectus, feuda tamen in Hausen, Burg & Bach vindicavit, defunctusque an. 1769. Iosepho Antonio filio reliquit, hodieque sed improli superstiti. Ex familia Schellenbergica an. 1494. Ursula magistra fuit parthenonis in Berau, altera cognominis an. 1530. monialis ibidem.

Nobi-

Nobilium de Krenckingen, monasterii quondam Rhenaugiensis potentium advocatorum (ex quibus Burckardus an. 1438. monasterii Einsidlensis abbas obiit) terræ in Alpegovia & Cleggovia sec. XV. ad comites de Sulz, ex hereditate partim Ursulæ de Habsburg ex linea Laufenburgica ultimæ, pervenerunt, dum illa Rudolpho Hermanni filio de Sulz nupta fuit, quem supra iam commemoravimus Habsburgicarum ditionum fuisse vicarium. Cleggoviæ adiacens castrum & oppidum Thiengen in Alpegovia Dietricus de Krenckingen, ultimus suæ stirpis, Ottoni episcopo Constantiensi domino suo directo vendidit: unde in pignus dynastia hæc ad equites de Blumenegg pervenit: ante annum vero 1471. Pilgrino de Heudorf cessit, ac tandem an. 1482. vicinæ Cleggoviæ dominis comitibus de Sulz, penes quos ad extinctam usque familiam permansit. Iidem comites de Sulz hoc seculo passim se scribunt præfectos Iudicii aulici, quod illa familia semper deinceps retinuit, uti etiam per secula Landgraviatum Cleggoviensem. Ex eadem familia comitum de Sulz Nicolaus monachus Hirsaugiensis ab Henrico de Hœven Constant. episcopo datus fuit monasterio Rhenaugiensi administrator an. 1439. capitulo consentiente, perinde ac dum deposita administratione idem episcopus abbatiam Rhenaugiensem detulit alteri monacho Hirsaugiensi Eberhardo, qui cum comitibus de Sulz Ioanne, Rudolpho & Alwico, Ursulæ prædictæ heredibus transegit, ut abbati monasterii plena potestas fieret, constituta comitibus pensione annua, ut in millenaria eiusdem monasterii historia legere est. a)

SECULUM XV.

Sulz.

a) Pag. 121.

In archivio Rottwilensi servatur instrumentum anni 1406. quo Fridericus Austriæ dux Rudolpho comiti de Sulz arcem Hohenberg cum vico Vehingen ad dies vitæ oppignoravit; quod idem an. 1409. fecit Lupoldus dux, rursusque an. 1411. Fridericus ratihabuit. Occurrit tamen in actis citati chartularii Rottwilensis an. 1442. Ios de Hornstein, hypothecarius eiusdem castri in civem receptus: id quod postea urbem commisit cum Alberto duce arcem illam repetente, Ios autem de Hornstein cedere nolente. Occasione hac occupatam fuisse dirutamque a Rottwilensibus arcem litteræ diffidationis produnt, quas illis Albertus an. 1450. transmisit. Sattlerus in topographica Wirtembergiæ historia postquam b) fata illustrissimæ familiæ Hohenbergicæ sec. XIV. funesta ob emtas a comitibus de Tubingen & Wirtemberg, quæ adhuc in Nigra silva potissimum supererant, ditiones & bona, recensuisset, ultimum nobis sistit familiæ huius inclitæ surculum Sigismundum, adolescente hoc seculo XV. improlem defunctum.

b) p. 554. &c.

SECULUM XV.

a) T. II. pag. 409.

Extat in Alſatia diplomatica Schœpflini a), charta an. 1474. qua Rudolphus comes Sulzenſis feudo caſtrenſi in Hagenau renuntiat. Oppidum vero Sulz dudum a comitibus eius nominis familiæ de Geroldseck, ineunte ſeculo XV. venditum tenuit Walteri III. filius Conradus I. an. 1406. mortuus, relictis quatuor filiis, Henrico nempe, Georgio, Conrado & Ioanne. Ex his Henricus an. 1446. obiiſſe dicitur, quo ipſo anno in charta tres eiusdem fratres ſe dominos in Sulz appellant: ex quibus Ioannes II. Conradi filius captivus Uracum abducitur, dum oppidum an. 1471. ab Eberhardo comite de Wirtemberg armis fuit occupatum. Anno 1423. interventu Ludovici Palatini convenit equidem inter Ludovicum & Ulricum fratres comites de Wirtemberg, ac Walterum & filios de Geroldseck; temporis tamen ſucceſſu recruduerunt lites & bella inter ipſos Ioannem & Alwicum de Geroldseck. Hi dum mutuo ſeſe conficiunt, Eberhardus occaſionem arripit dynaſtiam illam debitis preſſam ſibi adquirendi, inita primum cum Alwico conventione, qua illi quidem ad dies vitæ poſſeſſio oppidi conceditur, ut tamen cederet, quidquid iuris ſibi eſſet in Lupfen, Hornberg, & Dornſtetten in Nigra ſilva. Certiorem de his
b reddidit Eberhardus Senior b) iuniorem Ulrici filium, quæ acta ſunt an. 1471. mortuo an. 1485. Ioanne de Geroldseck relictis quinque filiis improlibus, dum iam an. 1479. Eberhardus Senior in quieta poſſeſſione oppidi & dynaſtiæ Sulz vaſallos in fidem reciperet, complures ſcilicet nobiles de Ow, nonnullos quoque civium de Rottweil, Tettingen, Egelſtatt prope Horb &c.

Geroldseck.

In charta an. 1257. occurrit Iuncker Diepold, quod peculiare imprimis fuit nomen familiæ de Geroldseck ſec. XV. fueruntque duo nominis eius caſtra, unum in Alſatia, alterum ad fauces Nigræ ſilvæ, dictum Hohengeroldseck, de quo ſingularis familia nomen accepit ab Henrico an. 1384. defuncto; eiusque filio an. 1433. qui inter numeroſam prolem memoratum Diepoldum filium reliquit, cuius ſtirpem ad poſteros

per-

b) Fuit is Eberhardus Senior cognomine Greiner vel Rauſchenbart ſeu Barbatus, qui an. 1492. in Schönenbuchio nemore cœnobium S. Petri ad Eremitas inſtituit, in quo, teſte Cruſio in annalibus Sueviæ P. III. lib. IX. c. 5. viverent ſacerdotes nobiles ac cives Wirtembergiæ & Sueviæ, cuius ſtatuta germanice edita ſunt Ulmæ hoc titulo: „Ain buchlin inhaltend die ſtifftung „des ſtiffts Sant Peters zum Ainſidel im Schainbuch für prieſter edeln und burger des landes „zu Wirtenberg und Schwaben, geſchehen von dem hochgebornen herrn herrn Eberharten „Graven zu Wirtemberg und zu Mumpelgart &c. &c. dem eltern, in dem Jar nach der geburt „Criſti unſers Heren 1492." Continentur in eo libello etiam confirmatio Pontificia & Cæſarea, Eberhardi item Junioris, ac demum ita concluditur: „Gedruckt zu Ulme (nach Criſti „Geburt tuſent vierhundert und im drüw und nüntzigſten iaren auff den anderen tag des „Mertzen) durch hanſen Reger von hayſſung und angebung des erwürdigen und andechtigen „herrn vatters (Maiſter Gabrieln Byhel in der hailigen geſchrifft) probſtn zum Ainſidel im „Schonbuch."

Digitized by Google

perduxit Gangolfus, Waltero & Diepoldo fine prole decedentibus. De altero huius nominis caftro ad an. 1471. narrat Trithemius a), quod comes Palatinus, facta cum Nicolao Lotharingiæ duce confœderatione oppidum cum Maurimonafterio, nec non vicinum caftellum Geroldseck facta obfidione deftruxerit, ubi prædicti ducis Lotharingiæ inimici receptacula fua habere confueverant. Alterum vero caftrum Hohengeroldseck an. 1486. Sigismundo Auftriæ archiduci paruiffe memoratur.

SECULUM XV.

a) *Annal. Hirsaug. P. II. pag.* 288.

In hiftoria Geroldseckia, quæ an. 1766. prodiit, ftatim in principio legitur tractatus feu hiftoria de origine progreffuque generoforum ac inclitorum Baronum de Geroldseck. In præfatione, quæ latina eft, auctorem fe prodit celebratiffimus Matthæus de Pappenheim, *Marefchalcus Romani Imperii de Piperbach & Pappenheim, iuris doctor, & canonicus Auguftenfium*, uti fe compellat, extatque inter alia eius opera chronica Truchfeffiorum de Waldburg an. 1777. cum notis copiofis, additionibus, differtationibus, & tabulis genealogicis cura & opera excellentiffimi comitis Franc. Ant. Truchfeffii de Zeil & Trauchburg edita, prout eft ufque ad tempora Maximiliani II. producta, ultra medium adeoque feculi XVI. a Ioanne de Pappenheim. Sic etiam hiftoria Geroldseckiana progreditur ufque ad an. 1530. dum Matthæi a Pappenheim obitus ponatur ad an. 1499. apud P. Corbinianum Kamm in Hierarchia Auguftana citata in laudato chronico Pappenheimenfi b). In ipfa illa hiftoria pragmatica domus de Geroldseck inter inftrumenta feculi XV. complures occurrunt tabulæ feudales, divifionis item bonorum, veluti an. 1436. & 1439. c) inter Diepoldum, Georgium & Ioannem fratres, dominos in Hohen-Geroldseck, ac poft mortem Ioannis inter Georgium cantorem ecclefiæ Argentoratenfis & Diepoldum fratres annis 1453. & 1455. d): & an. 1470. inter Diepoldum, Gangolfum & Walterum fratres e).

b) *pag.* 2.

c) *p.* 146. 149.

d) *p.* 177. 179.

e) *pag.* 206.

Lupfen.

Supra cum Hermanno de Sulz vicarium Auftriacum Ioannem de Lupfen commemoravimus, cui iam an. 1401. Rupertus imp. Landgraviatum in Stuhlingen in feudum conceffit. Extat porro in archivo iudicii imperialis Viennæ charta pacis an. 1403 inter Ioannem de Lupfen & cognominem de Blumeneck ex dynaftis Alpegoviæ. An. 1406. Ioannes de Lupfen cum cognatis transactionem facit circa caftrum Lupfen. An. 1415. idem a Sigismundo imp. executor fuit conftitutus, dum Fridericus Auftriacus bonis cedit, donec Ioannem XXIII. P. reducat. An. 1418. eumdem Sigismundus iudicii imperialis aulici præfectum conftituit, atque contra Friderici Auftriaci infultus tutelam promittit an. 1420. Helveti an. 1425. inter Ioannem de Lupfen & Hugonem de Montfort pacem

fa-

SECULUM XV.

faciunt. An. 1430. Ioannes de Lupfen oppido Villingenſi ſteuras ſibi ab Auſtriacis oppignoratas permittit. Demum an. 1434. dux Teccenſis vendit Ioanni de Lupfen Beggingen. Deinceps frequenter occurrit Eberhardus de Lupfen, executor imperialis conſtitutus an. 1436. contra Amadæum antipapam, contra ducem item Burgundiæ Henricum. In Alſatia diplomatica a) legitur transactio inter advocatum Alſatiæ & comites de Lupfen ſuper iuribus utriusque partis in oppido Turckheim. Ad finem ſec. XV. Sigismundus de Lupfen Landgravius Stuhlingæ ſupremam Auſtriæ principum poteſtatem etiam in Nigra ſilva tenuit.

a) *T. II. pag.* 424.

Hohenberg. Inter dynaſtas porro Nigræ ſilvæ adhuc cenſentur ſec. XV. comites de Hohenberg, quorum dynaſtia an. 1455. comitibus de Wirtemberg *oppignorata* legitur. An. 1440. Sigismundus de Hohenberg arcem Wildberg iterum redimere conatus eſt, fuitque familiare ſeculo hoc XV. illuſtriſſimæ huic familiæ Sigismundi nomen, quod notavi an. 1419. 1440. 1459. 1470. 1477.

Wirtemberg. Vidimus hactenus, pluribusque Sattlerus in topographica Wirtembergiæ hiſtoria ediſſerit, quam inſigniter comites de Wirtemberg res ſuas in Nigra ſilva ampliaverint: ex quibus quidem Eberhardus VII. ad finem tandem ſeculi huius omnium ordinum ſententia ſolemni ritu a Maximiliano I. Imp. in comitiis Wormatienſibus an. 1495. Dux eſt proclamatus, iam non uno ducatu auctus, in Nigra etiam Silva noſtra Urſulenſi. Quæ res iam inde ab initio huius ſeculi in concilio Conſtantienſi quoque agebatur, uti eſt inter alios a Io. Philippo Dattio notatum. Picta paullo poſt an. 1417. imago cernitur in monaſterio Salemitano, qua auguſto in conſeſſu optimates Sueviæ ſiſtuntur cum Eberhardo IV. Wirtembergiæ comite medio inter epiſcopum Conſtantienſem a dextris, & Auguſtanum a ſiniſtris; poſt quos magna frequentia primores Sueviæ familiæ ſedent, complures imprimis dynaſtæ Nigra-Silvani. Unde noſtrum eſſe duxi, eas hic ſubiicere, prout ordine in tabula illa cum inſigniis cuiusque familiæ ſeſe mutuo conſequuntur b). Primi ad dexteram & ſiniſtram poſt epiſcopos

b) A dextris.

Biſchof von Conſtanz.
Herzog von Urſingen.
Graf Fridrich von Ötingen.
Margraf Heſſe zu Baden.
Graf Friz von Zorn.
Graf Fridrich von Kirchberg.
Graf von Hohenlohe.
Graf Fridrich von Hohenberg.
Graf Hein. von Fürſtenberg.
Juncker Walter von Gerozeck.
Hr. Hans von Zimmern.
Hr. Gebhard von Rechberg.
Hr. Stephan von Gündelfingen.

Hr. Heinrich von Rechberg.
Hr. Heinrich von Gundelfingen.
Hr. Hans von Bodmann.
Hr. Hans von Zukhard.
Hr. Görg von Weldnart.
Hr. Ulrich Speth.
Hr. Hans von Freyberg.
Hr. Konrad Stamhaus.
Hr. Hans von Neuburg.
Hr. Fridrich Sturmfeder.
Fridrich von Sperberſeck.
Baſtian von Gittlingen.
Jerg von Zimmern.

pos Constantiensem & Augustanum cernuntur duces de Urselingen & Teck: ex quibus hi iam seculo præterito XIV. bonis suis, quæ in Nigra silva habebant, cesserunt. Ultimus familiæ Ludovicus patriarcha Aquileiensis, sede pulsus, an. 1439. Basileæ, quo confugerat ad concilium, defunctus est, ante altare Carthusianorum sepultus, teste Urstisio a). Ducum de Urselingen familiare nomen fuit Reinoldi, quod etiam in tabula Salemitana substituendum; fuitque satrapa Montis Pelicardi. Extant in archivio San-Blasiano variæ ad eum litteræ Ioannis II. abbatis S. Blasii; vixit adhuc an. 1449. paullatimque bonis diminuta familia defecit, ad paupertatem redacta. Inter instrumenta historiæ Geroldseckianæ ad an. 1400. Anna Reinoldi uxor marchioni Hesso de Hachberg hypothecam in oppido Triberg Nigræ silvæ legat. Sequuntur aliæ eiusdem & mariti conventiones cum Waltero de Geroldseck.

a) *Chron. Basil. pag.* 354.

Fuerant duces de Urselingen advocati monasterii Alpirspacensis, quo de monasterio tractantes quædam seculo superiore de hac familia attulimus, quæ nomen Ducis non tam ex ditionibus in Suevia & Nigra silva meruit, quam olim ex comitatu Friderici in Italiam, de quo Conradus Urspergensis ad an. 1218. memorat, milites Teutonicos in dignitatibus Italiæ ab eo constitutos; *Nam*, subdit, *quemdam liberum Bidelulphum Ducem Spoleti effecit*, ut iam Sattlerus in topographica Wirtembergiæ historia b) notavit, ubi chartam citat, in qua Conradus simul *der Herzog*, *der Vri*, id est, liber nominatur, uti Bidelulphum appellat Urspergensis: in sigillo autem anni 1330. Conradus nobilis solum scribitur. Eodem adhuc seculo de pincernatu monasterii S. Galli decertatum fuit inter Duces Fridericum de Teck & Conradum de Urselingen: in utriusque vero horum filiis ambæ familiæ ante medium seculi huius XV. extinctæ sunt, dum Fridericus quidem septem filiorum perinde ac filiarum parens fuit, qui omnes tamen improles fuerunt, postremo Ludovisco patriarcha Aquileiensi Basileæ an. 1439. peste abrepto: ex stirpe de Urselingen ultimus Reinoldus an. 1449. obiit.

b) *pag.* 217.

A sinistris.

Hr. Bischof von Augsburg.
der Herzog von Theck.
der Abt von Elwangen.
Graf Fridrich von Helfenstein.
Graf Eberhard von Nellenburg.
Graf Rudolph von Sulz.
Graf Eberhard von Eberstain. f. Eberstain.
Graf Heinrich von Löwenstain.
Junker Brun von Lupfen.
Hr. Jörg von Rechberg.

Hr. Schwicker von Gundelfingen.
Hr. Albrecht von Rechberg.
Caspar von Klingenberg.
Hans Speth.
Hr. Wernher Nothhaft.
Ulrich von Stain.
Diepolt Speth.
Hr. Hans von Giltingen.
Hans Sturmfeder.
Albrecht von Gittlingen.

Ad

Ad censum nostrum in laudata tabula Salemitana post marchionem Hess de Baden, ante Henricum comitem de Fürstenberg, occurrit Fridericus comes de Hohenberg, quæ illustrissima familia adolescente seculo hoc XV. extincta est in Anna Rudolphi filia, Conradi nepte, quæ primum Friderico (Schwarz Fridrich comiti de Zolleren) post eius vero obitum anno 1412. Conrado de Kirchberg nupta, enixa est Sigismundum sine liberis decedentem.

Zimmeren. Inter primores ad latus dexterum tabulæ Salemitanæ notatur Ioannes de Zimmeren, cuius filius cognominis anno 1418. Verenæ dapiferæ de Waldburg & Sonnenberg nuptus obiit an. 1430. ante patrem iunctum Kunigundæ comitissæ de Werdenberg, Sagani mortuæ ante maritum. Utrique Cl. Carolus Döpferus, archivarius Fürstenbergicus (qui ex historia comitum de Zimbern, quæ spisso volumine servatur in archivio Doneschingano, arborem genealogicam huius celebratissimæ familiæ confecit) attribuit sororem, Annam nomine; ex quibus senior Ioannis dicti der Lapp soror, uxor Ulrici de Schwarzenberg iam ad annum 1372. notatur: altera cognominis Ioannis iunioris soror, uxor Eberhardi de Werdenberg lineæ Sigmaringensis, defuncta dicitur an. 1445. sepulta in monasterio Inzighofensi. Desidero autem in arbore genealogica Georgium de Zimmern, quem ultimum reperio in memorata tabula ad latus dextrum. Plures vero notantur filii & filiæ Ioannis Iunioris, cuius, ut videtur, primogenito Wernero iuniori uxor fuit Anna comitissa de Kirchberg, vidua Ioannis de Furstenberg, defuncta an. 1479. maritus vero an. 1483. Frater eius Henricus de Zimmern dominus in Heimetweiler celebratur in archivio San-Blasiano ad an. 1478. nepos vero ex fratre Ioanne, Wernerus ad an. 1490. Soror dicti Werneri iunioris Anna primis nuptiis iuncta fuit Ioanni de Geroldseck, secundis Iacobo de Bern an. 1464. defuncta an. 1492. sepulta in Oberndorf. Sororum altera Verena nupta fuit *Ulrico* de Brandis, altera Kunigunda desponsata N. de Stofflen ante nuptias in Wildenstein obiit: fratrum vero alter Conradus mutus & claudus, alter Gottfridus adhuc an. 1507. vixit in Seedorf, dynasta in Zimmeren vor Wald, postquam iam ante eum Io. Wernerus ex fratre Wernero nepos, nuptus Margarethæ de Oettingen an. 1478. defunctus esset, an. 1459. bonis diminutus. Desideratur in tabula Salemitana Henricus de Geroldseck, quem inter alios nobilitatis Suevicæ in concilio Constantiensi Eberhardo comiti adfuisse acta eiusdem concilii produnt, uti & Ioannem de Zimmeren ac Stephanum de Gundelfingen, qui in tabula cum Henrico de Gundelfingen notatur, quo nomine etiam abbas S. Galli concilio interfuit an. 1415.

Nul-

Seculum XV.

Falckenstein.

Nullus in sæpe citata Salemitana tabula ex familia de Falckenſtein occurrit, qui, ut ſuo loco infra dicemus, an. 1449. partem advocatiæ monaſterii S. Georgii Ludovico comiti de Wirtemberg vendiderunt, parte apud familiam ſuam relicta, quæ frequenter hoc adhuc ſeculo in chartis occurrit, in Suevia præſertim, ubi an. 1406. Bertoldus de Falckenſtein cum conſenſu Urſulæ de Lupfen cenſus quosdam in Schweningen haud procul ab arce Lupfen vendidit. Notantur eius filii Conradus & Eygelwart adoleſcente ſeculo XV. huiusque filii Guilielmus, Ioannes & Iacobus cum cervi gradientis inſigniis, alii arietem habent eodem tempore eademque in Suevia, ubi caſtri gentilitii rudera hodieque haud procul ab oppido Horneck ſuperſunt. Necdum hoc ſeculo in terris noſtris comparent Barones de Falckenſtein, qui trabem transverſam in ſcuto geſſerunt: equitum nobilium inſignia nunc falconem, nunc arietem ſeu capricornum præſeferunt ad initia uſque ſeculi XV. quo paſſim in ſcuto cervus gradiens conſpicuus eſt, inſigne hodiernæ familiæ huius nominis Brisgoicæ in Rimſingen, quam dynaſtiam an. 1630. adquiſivit incomparabilis Io. Erhart de Falckenſtein, pluribus legationibus Archiducum Auſtriæ ab ineunte ſeculo XVII. ad diverſas Europæ aulas celebratus. Occurrunt in chartis San-Blaſianis anno 1416. Thomas, an. 1429. Ioannes, & an. 1486. Caſparus de Falckenſtein conſules Friburgenſes: uti etiam paſſim alii nobiles de Falckenſtein cum cervo gradiente aut falcone circa eadem tempora. De primore huius nominis familia in Nigra ſilva (quæ nonnunquam uno in ſigillo diverſis ſcutis cervum gradientem, falcones & arietem vel capricornum pro inſigniis gerit) infra locuturi ſumus, ubi de S. Georgii monaſterio agemus. Poſteriori vero, uti & aliis Nigræ ſilvæ dynaſtis minorum gentium ſingulis enarrandis ſuperſedemus. Has nobiles Brisgoiæ familias ingenti numero recenſet Cruſius in annalibus Sueviæ a) ex Mſc. an. 1479. quæ magnam etiam partem ad cenſum noſtrum pertinent. Sunt quoque illuſtres familiæ Helveticæ, quæ in vicinam Nigram Silvam commigrarunt. Ex illis haud poſtrema *de Zweyeren* ineunte hoc ſeculo ſedem ex Evebach, unde nomen gerunt, Altorfium olim Uraniæ, quod eſt pagi Helvetici nomen, transtulit, ubi iam an. 1317. ut docet inſtrumentum, Henricus inter alios ſeptem nobiles eccleſiam B. Mariæ V. in Altorf fundavit. Ex eadem familia dudum antea fuerunt, qui cum nobilibus de Ettichauſen, de Silenen, de Uzingen, de Maggingen, de Moſs, de Matt &c. monaſterium S. Lazari in Seedorf fundarunt. Ex laudati Henrici filiis Ioannes in prælio Sempacenſi an. 1383. occubuit, alter Ianus in obſidione Weſana an. 1388. tertius Ioſt non unum generavit heroem, Petrum, qui an. 1422.

a) P. III. Lib. VIII. c. 15.

Ff 2 in

SECULUM XV. in prælio apud Bellenz cæſus eſt, poſtquam frater eius iunior Rudolphus iam an. 1416. in Eſcheuthal occubuerat, ubi etiam poſtea an. 1487. cæſus fuit Ioannes Henrici filius, qui cum Petro fratre an. 1444. apud S. Iacobum Baſileæ ab Armeniacis trucidatus eſt. Taceo cæteros ad noſtram uſque ætatem, qua familia hæc in Alpegovia noſtra floret cum altera illuſtri pariter familia Roll de Bernau ex Uranienſi quoque Helvetiæ pago, ubi ſeculo XV. Ludovicus eiusque filius Ioannes rebus geſtis, uti & horum poſteri, quos in lexico ſuo Helvetico celebrat I. I. Lew, inclaruerunt.

a) pag. 800. Unum eſt, quod hic ex codice probat. Geneal. Habsb. P. Herrgott a) adnotare iuvat, quantum ſpectat ad ordinem iudiciorum iudicumque in meridionali Nigræ ſilvæ pagi Alpegoviæ plaga, ex charta nimirum venditionis, cuius hoc exordium eſt: *Ich Claus von Altbrugg, undervogt uff dem Wald, tun kunt mit dieſem brieff, das ich offentlich ze gericht ſaſs, uff den tag, als der brieff gegeben iſt, ze Birkingen in dem dorff, in der grafſchaft des Waldes an ſtat, und im namen des edeln wohlgebornen Graff Iohans von Habsburg, zu den ziten herr uff dem Schwarzwald, mins gnädigen herren, und ſunders von befelhens wegen des frommen wiſen Henslis Kellers des obreſten Vogt uff dem Schwarzwald. Und kament für mich in offen verbannen gericht der erber beſcheiden Iohans ſaber burger ze Waldshut an ein theil, und erwürdig geiſtlich brueder Marguard von Buttikon Sant Iohans orden &c.*

Accidit porro, ut inita paſſim hoc ſeculo ob pacem publicam fœdera unionem quamdam diverſas per provincias conciliarent, ſervarentque etiam in Nigra ſilva præſertim Helvetiæ vicina in noſtra Alpegovia, cuiusmodi unionis genus aliquod etiamnum in dynaſtia Hauenſteinica multis turbis temporum ſucceſſu locum præbuit. b) Iam ſubinde libro præcedente in hiſtoria ſec. XIV. mentionem iniecimus conſociationum, a nobilibus præſertim equitibus initarum per provincias, in quas Nigra ſilva noſtra excurrit aut contermina eſt, Briſgoiam maxime & Sueviam. Celebrem cumprimis notavimus ex charta fœderis an. 1370. Friburgi Briſgoiæ magiſtratus & nobilium auctoritate edita. Amplior eſt, quæ an. 1460. inita eſt ſtatuum Briſgoiæ, equeſtris primum & civici, (Herren, Rittere und Knechten auch ſtätte) quibus eccleſiaſticus poſtea acceſſit. Inſtrumentum amplum in archivio urbis Friburgenſis ſervatur. Alia item erecta eſt confœderatio an. 1468. quo Rudolphus marchio de Ba-

b) Minime vero hic moramur Cyngaros (Zigeüner) qui ſe Ægypto pulſos venditantes an. 1400. ingenti numero in Helvetiam ſeſe Nigramque ſilvam abdiderunt, & occultiora loca ſibi veluti vendicantes rempublicam quamdam nebulonum & latronum conſtituerunt ſuis viventem legibus, ad noſtra apud nos alicubi tempora, paullatim tamen deficientes.

Baden Ioannitici ordinis commendator in Heitersheim ad conductum (Zug) militum contra Helvetios excitatur a Martino de Stouffen supremo Capitaneo die 15. Iunii: idemque postea 30. Sept. cum memorato Rudolpho de Baden, Ioanne de Landeck equite, & Conrado Snewli de Cranznow urbem Friburgensem incitat ad succurrendum urbibus silvestribus, quas tum Helvetii infestabant. In censu an. 1475. inter nobiles equites post Rudolphum comitem de Werdenberg commendatorem in Heitersheim mox notatur Iunckher Martin in Stauffen zu Münster &c. quæ vallis nimirum in Nigram silvam excurrit, uti etiam pars dynastiæ Castelberg Schwarzenbergicæ (quæ cum oppido Elitzach tunc Heinrico de Rechberg parebat) extra urbem Waldkirch, Simiswald item tunc ditionis Trudperti de Stouffen, præter partem huius silvæ, quæ ad Adamum Lapp pertinebat, uti ad Ioannem Iac. de Falckenstein Glotterthal, silva versus Oberried & vogteia zu Gintersthal.

SECULUM XV.

Notantur deinceps nobiles de Bolschwiler, Ludwig de Landeck, Peter zum Wiger, qui ad eamdem amplissimam familiam Snewli pertinent. Hæc, ut iam in historia seculi XI. notavimus a), aliquando in quatuordecim ramos protendebatur, Snewlin von Schneuwburg, von Landeck, von Bernlapp, von Bolsweiler, von Colman, zum Weiler, von Kranzaw, von Wisnech, von Witwiler, in Hof, Kotz, zer Tannen, von Wiger, & demum Kung: ex quibus complures in memorata fœderis charta an. 1370. notantur. Ex his porro illustrium stemma de Landeck ditionem suam potissimum in Nigram silvam protendebat, donec mortua an. 1603. ultima stirpis Anna, Io. Iacobi & Dorotheæ de Reischach filia Friderico de Sickingen nupta, ditiones illæ ad hanc familiam devenirent cum ipso etiam oppido Zaringen, cui arx imminet, quæ ducibus Zaringensibus olim nomen dedit, ac dote postea Trudperto de Wessenberg cessit. Illustrem hanc familiam ineunte sec. XIV. Laufenburgi sedem habuisse ex chartis monasterii Königsfeldensis Ill. B. de Zurlauben certiorem me reddidit: iamque Schœpflinus in Alsatia illustrata b) Arnoldum de Wessenberg inter liberæ conditionis homines ante ministeriales in charta abbatiæ Secconiensis an. 1207. notavit, serius vero inter Alsatiæ nobiles circa sec. XV. demum, quo etiam ordini equestri Brisgoiæ accensita legitur, cum altera nobili pariter familia Alsatica de Mörsperg. Ex hac labente eodem sec. XV. Petrus de Mörsperg anterioris Austriæ simul ac Alsatiæ Austriacæ satrapa, & ad eius finem Caspar de Mörsperg, supremus simul capitaneus an. 1492. fuerat. Familia hæc, postquam ex hereditate Lupfensium Landgraviorum

a) T. I. p. 212.

b) T. II. pag. 696.

SECULUM XV. rum in Stühlingen ineunte ſec. XVII. ditionibus in Nigra ſilva erat ampliata, eodem exeunte fuit extincta, Io. Ulrico, qui avi materni nomen geſſit, ſtirpis ſuæ poſtremo ad an. 1686. defuncto, ut laudatus Schöpflinus adnotavit a).

a) L. c. p. 611.

Circa finem porro ſeculi huius XV. in Suevica etiam Nigræ ſilvæ plaga ad Nicrum diſtinctus ordo equeſtris effloruit, cum aliis tribus, Hegovico nimirum ad lacum Podamicum, ad flumen Kocher item & Danubium an. 1488. ſub nomine *St. Görgen Schild.* Verum quum exinde paci ac tranquillitati publicæ an. 1486. ſub Friderico III. imp. ſtabilitæ non ſatis fuiſſet proſpectum, hinc alibi quoque gentium in Imperio germanico eiuscemodi ordines liberæ nobilitatis Teutonicæ ſunt conſtituti. Sic in receſſu comitiorum Wormatienſium an. 1495. Maximiliano I. Imp. ac epiſcopo Argentinenſi commendatur, ut cum Briſgoiæ, Sundgoviæ & Alſatiæ nobilibus de denario communi ſolvendo agerent. Recenſentur in hoc receſſu ſeptem huiusmodi ordines, Suevicus, tractus Rhenenſis, Metenſis cum Weſtria, Briſgoicus cum Sundgovia & Alſatia, Bavaricus & Franconicus, qui unus in ſex cantones diviſus eſt, Rhenenſis in tres, Suevicus autem in quinque. Speciatim hi enumerantur in dicto receſſu, atque inter eos noſter quoque Nigra-Silvanus ad Nicrum, cuius capitaneus primum fuit Georgius von Ehingen ampliſſima per Sueviam familia, de qua paſſim Cruſius in Sueviæ annalibus. Generalis vero & ſupremus capitaneus erat Hugo comes de Werdenberg. Hugonis nomen ceu gentilitium fuerat perilluſtris huius familiæ, in grati, ut opinor, animi teſtimonium erga Hugonem de Werdenberg, qui an. 1277. ditiones ſuas comitatu Heiligenbergenſi auxit: quibus ineunte ſec. XV. dynaſtiam de Sigmaringen adiecit Eberhardus connubio iunctus Annæ de Zimmeren. Adoleſcente ſec. XVI. cognominis Anna de Werdenberg nupta Friderico de Fürſtenberg marito ſuo atque adeo Fürſtenbergicæ familiæ, Nigræ ſilvæ noſtræ ſideri primario, comitatum Heiligenbergenſem detulit, Chriſtophoro ultimo ſtemmatis ac nominis Werdenbergici an. 1534. 29. Ian. defuncto.

Quæ porro de ortu ordinis equeſtris Suevici ad Nicrum & Nigram ſilvam modo diximus, cum iis conferenda ſunt, quæ ſupra p. 124. & 130. iam attulimus de confœderationibus illis, quæ ſec. XIV. in illis plagis primum fieri cœperunt, præprimis *die Schlegelgeſellſchaft.* Memorat quidem Trithemius in chronico Hirſaug. ad an. 1367. bellum illud inter comitem de Wirtemberg & comitem de Eberſtein in lingua noſtra Teutonica nominatum fuiſſe *der Schlegelkrieg uſque in præſentem diem; propterea reor*, ait,

quod

quod rustici sive rurales, qui nec lanceis utebantur nec gladiis, sed clavis & fustibus seu instrumentis ligneis, quæ apud Suevos schlegel nuncupantur, victoriam contra nobiles obtinuerunt. Verum alia deinceps huius denominationis fuit ratio, quando ipsi nobiles clavum argenteum ad latus in signum vindicandæ libertatis portabant. In confiniis Nigræ silvæ ad finem vergente sec. XIV. apud oppidum Heimsheim inter Leonberg & Pforzheim situm, societas quædam coaluit nobilium, qui se appellabant *die von den schleglen*, quos Eberhardus comes de Wirtemberg expugnavit, captis tribus eorum capitaneis, quos *reges* vocabant, in latibulo suo Heimsheim, teste Hermanno Minorita in chronico ad an. 1397. apud Sattlerum a), ubi ex capitaneis seu regulis his notat Georgium Neuneck, cuius vidua an. 1443. suam oppidi illius partem Ludovico comiti de Wirtemberg vendidit, eodemque anno suam item partem Ioannes de Stein, & sic deinceps Gunolt de Giltlingen, Wilhelm de Stadion, Ulrich de Smalnstein. Demum an. 1687. accessit pars, quam iam per aliquot secula a Marchionibus de Baden in pignus tenebat familia de Gemmingen, penes quam hodie est directorium cantonis equitum nobilium ad Nicrum & Nigram silvam.

SECULUM XV.

a) *Topograph. Wirtemb.* p. 490. &c.

XIII. Hierarchia ecclesiastica, si umquam alias, hoc certe seculo XV. rebus suis quam optime prospicere, atque ecclesiæ consulere potuisset, si contentionem illam ardoremque concilia celebrandi spectemus, constituta etiam generalibus synodis certorum annorum epocha ab ineunte iam seculo in Pisano & Constantiensi concilio: unde induci provocarique debuerunt sacrorum antistites ad celebranda etiam particularia per provincias ac diœceses.

Hierarchia Nigræ Silvæ.

Singulariter id sibi agendum existimavit Metropolitana Moguntinensis ecclesia, ad quam pertinet Nigra silva, cuius historiam prosequentibus nobis incumbit, ut Metropolitarum nostrorum hac in re curam & pastoralem vigilantiam, quæ in sacris christianis præprimis suspicienda est, attendamus. Ioannes II. Archiepiscopus an. 1415. ingenti pompa Constantiam, quum celebraretur concilium, ingressus, ibi, quod a Ioannis XXIII. partibus inconsultius stetisset, Patribus per pœnitentiam satisfecit. *Quia tamen*, ut oratores Universitatis Coloniensis epist. 5. apud Martenium b) perscribunt, *per aliquot dies infirmus fuit, post convalescentiam propter aeris contrarietatem se absentavit, rediturus ad mandatum regiæ maiestatis, ut ab eodem Domino Rege audivimus*; prius tamen suffraganei sui Argentinensis episcopi causam, ut paullo post videbimus, pro viribus gessit. Ioannis successorem Conradum II. Sigismundus Imp. sibi

b) *Thes. anecd.* T. II. p. 1614.

SECULUM XV.

sibi ad decennium in imperii administratione vicarium adscivit an. 1422. qua tamen se mox abdicavit anno seq. 1423. quo concilium provinciale Moguntiæ habuit. Extat id in Harzheimii editione conciliorum Germaniæ a), uti & eiusdem convocatoria episcoporum suorum ad Synodum provincialem alteram an. 1431. quo etiam idem Moguntinus ac Coloniensis Archipræsules scripserunt dominis Salzburgensi, Magdeburgensi & Bremensi Archiepiscopis ad congregandam nationalem Germaniæ Synodum Moguntiæ habendam, ut memorata prodit apud eumdem Harzheim b) epistola.

a) T. V. pag. 206.

b) pag. 233.

Desiderantur acta concilii Aschaffenburgensis, quod successor Theodoricus an. 1440. indixerat, habetur tamen in Supplemento ad concilia Germaniæ c) eius *Missiva ad suffraganeos in puncto concilii provincialis*, ubi mox secundo loco episcopus Constantiensis Henricus misisse dicitur Hermannum de Laudenburg canonicum, & Conradum Lulli decretorum doctorem. Eiusdem Theodorici statuta synodalia an. 1451. exhibet idem Harzheimius d) uti & postea ingressum synodi provincialis Moguntinæ an. 1455, qua encyclica Nicolai Cardinalis & sedis Apostolicæ per Alemanniam legati, in diœcesana synodo præsidentis commendatur & annectitur.

c) T. X. pag. 748.

d) T. V. pag. 398.

Multam Theodoricus operam navavit in restituenda pace Udalricum Manderscheidium inter & Rabanum Trevirensem simul ac Spirensem episcopum, qui postremam hanc sedem iam ab an. 1396. illam vero ab an. 1430. obtinuit. Hunc Rupertus imp. an. 1410. defunctus inter alios arbitrum familiæ herciscundæ, Gregorius vero XII. suum in Germania legatum an. 1412. constituit. Eo episcopatum Spirensem resignante an. 1438. successit Reinhardus ab Helmstat, dein an. 1456. Sigefridus III. a Veningen; an. 1459. Ioannes II. ab Enzeberg, ac post huius cessionem an. 1464. Matthias a Ramung Bavarus, ut in catalogo episcoporum Spirensium apud Eccardum e) legere est. Ad Ludovici ab Helmstat, qui Matthiæ an. 1478. successerat, tempora pertinet *appendix II. episcoporum Spirensium* apud eumdem Eccardum, *continens excerpta ex passione sacerdotum sub marchione Alberto electore anno* 1484.

e) Corp. hist. med. ævi. T. II. p. 2216.

Post mortem Theoderici Moguntini gravissimæ ortæ sunt lites inter candidatos Dietherum comitem de Isenburg & Adolphum de Nassau, de sede sanguinolento bello contendentes. Accusatus de simonia Dietherus demum cedere Adolpho compulsus est: quo mortuo iterato renunciatus archiepiscopus, an. 1475. Moguntiæ academiam instituit, sedemque an. 1482. in pace mortuus Alberto seu Adelberto Saxoni reliquit.

Huius

Huius fucceffor Bertholdus de Heunenberg brevem quidem, fed graviffimum in fynodo an. 1499. ad clerum Moguntinum habuit fermonem, quem apud citatum Harzheimium a) legere eft.

SECULUM XV.

a) T. V. p. 673.

Res Conftantienfes & Argentinenfes.

XIV. Celebrata cumprimis fec. XV. fuit urbs Conftantia & frequentata conciliis, œcumenico præcipue, de quo iam diximus, comitiis item Imperii, ipforumque Imperatorum præfentia. Ac quidem poft initia ftatim feculi Rupertus illuc conceffit ad compefcendos Abbatiscellanos contra S. Galli abbatem rebelles, quos fruftra Marquardus epifcopus ad officium revocare conatus eft paftorali cura, adhibitis etiam, quum graviffima monita & exhortationes nihil proficerent, cenfuris ecclefiafticis: quibus illi efferati potius non abhorruerunt in epifcopum ipfum exurgere, urbemque Conftantiam obfidione cingere; fed fruftra, ut Bucelinus in chronologia Conftantienfi ad an. 1406. fcribit, quum nemo excurfionem faceret, aut hoftile aliquid tentaret, fi forte hoc ipfo edocti ab iniuriis & facrilegiis abftinerent; unde motis inde caftris vicinos diripuerunt. Dum vero exercitum contra eos parat Marquardus, nobilitatemque Sueviæ in eos animat, moritur. Succeffor autem eius Albertus, quod ipfemet in Abbatiscellanos gladium ftrinxiffet, nec levem ediditfet ftragem, Romæ pro irregulari habitus, numquam obtinere potuit confirmationem fedis fuæ & epifcopatus, quem poft triennium an. 1411. refignavit Ottoni marchioni de Hachberg & Röttelen, parentibus Rudolpho VI. & Anna filia Egenonis comitis de Friburg. Hic tunc necdum facerdotio initiatus, an. 1412. fabbato S. in monafterio S. Blafii presbyterii ordinem fufcepit, ipfaque die pafchatis in facello abbatis primam Deo litavit hoftiam. Sub eo celebratum eft concilium Conftantienfe, cœptum an. 1414. in fefto omnium Sanctorum, finitum an. 1418. Notat laudatus Bucelinus ad an. 1436. fynodum diœcefanam; comitia vero imperii habita ibidem an. 1446. & 1460. Ludovico Palatino præfidente loco Friderici imp. qui an. 1443. ipfe Conftantiæ præfens fuerat, iterumque an. 1461, pacem ibidem cum Helvetis confirmavit: uti poftea an. 1468. Fridericus elector Palatinus res cum iisdem Conftantiæ compofuit, nihil non molientibus, ut Waldishutum in fuam poteftatem redigerent.

Sic etiam an. 1474. Conftantiæ celebri in conventu fœdus perpetuum Auftriæ duces inter & confœderatos Helvetiæ fancitum fuiffe, ibique Ludovicum Galliarum regem cum iisdem fœdus primum iniiffe Bucelinus l. c. commemorat, uti & ad an. 1488. Conftantiæ aliisque in locis conventus fuiffe habitos, confœderationemque Suevicam, cui diver-

SECULUM XV.

ſi epiſcopi, abbates, comites & equeſtris ordinis heroes certatim nomen dederunt, quod Helvetiorum exemplo incitamentoque plures eiusmodi libertatis licentiam affectare viderentur. Celebratis iterum Conſtantiæ an. 1492. a Maximiliano I. R. R. comitiis Helveti quidem in partes vocati contra Carolum Galliarum regem, non detrectarunt auxilium, ſi a pontifice ſacris interdiceretur rex ob raptam Maximiliani ſponſam. Viciſſim vero idem Maximilianus imp. an. 1499. Conſtantiæ cum principibus de invadendis bello Helvetis tractat, iamque Conſtantia egreſſus Wolfgangus comes de Fürſtenberg copiarum Cæſareanarum dux cum octodecim millibus armatorum hoſtem aggreditur, atque iam victor a quindecim millibus hoſtium ex Schwaderloch irrumpentibus interceptus profligatur.

Non ſunt hæc equidem a propoſito noſtro aliena, imminentibus a meridie Nigræ ſilvæ Helvetis: magis vero ad id pertinent, quæ e Conſtantia ſede epiſcopali emanant, ad quam potior Nigræ ſilvæ pars ſpectat; extantque ſynodorum Conſtantienſium tituli & decreta luculenta in Harzhemii conciliis Germaniæ a) ſub Burchhardo epiſcopo an. 1463. ſub Hermanno ep. an. 1476. b) ſub Ottone II. an. 1483. c) repetita iterum in conſtitutionibus ſynodalibus an. 1492. a Thoma epiſcopo editis.

a) T. V. pag. 449.
b) pag. 505.
c) pag. 545.

Apud eumdem Harzhemium d) referuntur acta concilii Argentinenſis ad an. 1435. ex Martenio e) ſub Bertholdo ep. celebrati, cuius prooemium præmittitur, in quo paſſim decreta eius nomine afferuntur, nec non epiſcoporum Ioannis & Friderici, nonnulla etiam ex concilio Herbipolenſi deſumta. Fuerunt porro Fridericus & Ioannes Argentoratenſes epiſcopi ſeculo XIII. Bertholdus quoque primus poſt initia eiusdem ſeculi XIII. & ſecundus ſec. XIV. nullus autem huius nominis ſec. XV. occurrit in Gallia Chriſtiana f) cuius auctores g) afferunt, ſynodum illam a Bertholdo II. epiſcopo an. 1335. fuiſſe celebratam, cuius ſtatuta Harzhemius, & ante eum Martenius perperam ex ſeculo XIV. ad ſeculum XV. reduxit, errore facili, dum unus centenarius C. amanuenſis, vel typographi incuria fuit additus, ac loco anni MCCCXXXV. notatus annus MCCCCXXXV.

d) Ib. p. 235.
e) Theſ. anecd. T. IV. p. 529.
f) T. V.
g) Ib. p. 808.

Obſervavimus vero, nonniſi a Friderico, ac ſemel dumtaxat a Ioanne decretorum ex Herbipolenſi ſynodo deſumtorum factam eſſe mentionem, quo ipſo coniiciendum videtur, ſtatuta illa fuiſſe quidem in ſynodo dioeceſana promulgata a Bertholdo II. ut tamen proximorum anteceſſorum ſuorum Ioannis I. an. 1308. & Friderici I. an. 1301. diſciplinæ eccleſiaſticæ maxime ſtudioſorum decreta in unum cum ſuis collegerit, quæ ſubinde quo-

quoad ſenſum ſaltem ex antiquiore quodam Herbipolenſi concilio fuerant cooptata a). Ad annum 1439. diem 24. Iunii S. Ioanni Baptiſtæ ſacram figitur epocha eminentiſſimæ turris Argentinenſis poſt annos 162. demum conſummatæ, dum ædificari cœpit an. 1275. ſtatim poſt perfectam ab Erwino de Steinbach eccleſiam. In hac iam an. 1260. organa eodem loco, quo hodie ampliſſima per celeberrimum artificem Io. Andream Silbermann nuper defunctum recens confecta audiuntur, per Ulricum Engelbrecht poſita ſunt, eodem tamen adhuc ſeculo an. 1238. incendio conſumta b).

b) *Vid. Grandidier Eſſais ſur la Cathedrale de Straſbourg.*

Anno 1435. quiete tenuit epiſcopatum Argentinenſem Guillelmus II. contra cuius negligentiam in adminiſtranda ſua diœceſi palam in concilio Conſtantienſi declamaverat epiſcopus Saresberienſis, uti & adverſus Capituli urbisque Argentinenſis violentiam eidem illatam; quippe eum carceri quoque manciparunt, quod bello Argentinenſes petierit, pluraque Ruperto imp. Eccleſiæ bona alienarit: quæ cauſa operoſe in pluribus concilii congregationibus ventilata eſt. Deſtinati e concilio Argentinam, teſte Guillimanno, fuere archiepiſcopus Moguntinus & Badenſis marchio, qui & epiſcopum carcere liberarent, & quæ controverſa erant, abolerent: ſed fruſtra uterque fuit, ſæpiusque eadem res per alias legationes haud diſſimili effectu pertentata: donec tandem per Palatinum epiſcopus liberatus rem ad concilium Conſtantiam ipſe pertulit.

XV. Adverſus hunc Guillielmum omnes diœceſis Argentinenſis abbates accuſationum capita depoſuiſſe leguntur. Ex his, qui ad nos pertinent, Ioannes Armbruſter ſeu Armbreſter abbas Schutteranus, hoc nomine ſecundus, cum Burchardo abbate Novo-villari apud comiſſarios a concilio Conſtantienſi delegatos in cauſa Guillelmi ep. an. 1416. conqueſtus eſt. Idem, ut apud Schannatum c) in chronico cœnobii Schutterani legitur bullam Nicolai IV. qua monaſterium in protectionem S. Petri recipitur, & omnia privilegia confirmantur in concilio Baſileenſi an. 1433. formatum accepit, eodem teſte chronographo Schutterano, qui nullius amplius meminit abbatis Schutterani ſec. XV. Iuxta catalogum abbatum mecum ab eius monaſterio ſodalibus communicatum Ioanni II. an. 1439. ſucceſſit Paulus de Forſter, huicque an. 1451. Wilhelmus II. cognomento Schaub, cui an. 1459. Ioannes III. de Will ſubrogatur. Schutteren.

c) *Vindem. litt. collect. I. pag. 21.*

a) Io. Geileri Keiſersbergii oratio an. 1482. ſub Alberto ep. in ſynodo Argentinenſi habita extat in Bibliotheca Argent. ord. S. Ioann. Hieroſol. in folio, eademque cum aliis quibusdam opuſculis inſerta *Directorio ſtatuum* a Petro Attendorn, bibliopola Arg. 1489. edito, ut eſt a Ioſ. Rieggero faſcic. Amœnit. Litt. Friburg. p. 73. & 163. adnotatum.

SECULUM XV.

Ex his porro, quæ modo diximus, quæve etiam ex illorum temporum historia dynastarum de Geroldseck, qui advocati fuerunt huius monasterii, discimus, coniecturare facile licet, illud tunc pessime fuisse habitum, eiusque res valde accisas: præprimis vero an. 1473. dum iuxta chronicon Helveticum Petermanni Etterlin, vel sequente ex Trithemio in chronico Hirsaug. Basileenses cum mercimoniis suis navigio per Rhenum descendentes, ad nundinas Francofordienses profecturi, per dominos de Geroldseck capti, atque in oppidum Schutteren sunt deducti; *habebant enim*, sunt verba Trithemii, *domini memorati causam litis aliquam contra Basileenses.* Argentinenses autem cives, mox ut rei gestæ ordinem cognoverunt, contractis copiis cum bombardis & machinis Schutteram obsederunt, oppugnarunt & ceperunt, deiectisque muris & turribus fossatum etiam terræ coæquarunt. Accessit proximior forte intimiorque causa ruinæ Schutteranæ ex collapsæ disciplinæ statu: revocata illa tamen restitutumque monasterium est suscepta reformatione Bursfeldensi, ut idem Trithemius ad an. 1416. testatur, indicato aliorum etiam in diœcesi Argentinensi monasteriorum reformatore Ioanne Wadel seu Widel, qui fuerat Prior claustralis in monasterio Hirsaugiensi, exin Prior localis in Reichenbach, ac demum primus ex Bursfeldensi observantia abbas in Schutteren circa an. 1482. iuxta Galliam Christianam, a) quæ tamen tres cognomines confundere videtur, Ioannem Widel secundum statuendo, quem catalogus mox memoratus IV. dicit, ac anno demum 1432. Ioanni III. Will substituit, qui, ut perhibent Schutterenses, monasterium in spiritualibus ac temporalibus rebus restituit, ope monasteriorum S. Blasii, Hirsaugiensis & Alpirspacensis.

a) *T. V. pag.* 855.

Gengenbach.

XVI. Series abbatum monasterii Gengenbacensis sec. XV. quam eadem Gallia Christiana b) exhibet, ex chronico Gengenbacensi apud Lunigium c) desumta est. Convenit fere cum catalogo mihi a sodalibus Gengenbacensibus submisso quoad annos regiminis, nisi quod post Enenolfum I. de Wartenberg, qui in necrologio natus de Wildenstein an. 1424. huius loci abbas electus, an. 1453. mortuus dicitur, famosum inter annos 1453. & 1454. interstitium sub Guilielmo cardinali Metensi notetur. Wolzo seu Wolzius de Newenegk (quæ familia passim in documentis præsertim Alpirspacensis monasterii sec. XIV. & XV. occurrit) an. 1454. electus, Romæ an. 1456. ab excommunicatione absolutus memoratur. Post hunc in citato Msc. catalogo interponitur, qui apud Lunigium, adeoque & in Gallia Christiana omittitur, Egenolfus II. de Wartenberg ab an. 1459. usque 1461. quo omnes Sigismundum

b) *Ib. p.* 872.

c) *Spicil. eccles. T. III. pag.* 291.

dum abbatiæ regimen ſuſcepiſſe conſentiunt. Additur apud Lunigium, ante abbatis huius electionem conventuales unanimiter iuramento ſeſe obſtrinxiſſe, ne poſthac ex ignobilibus nati in ſuum monaſterium reciperentur, de quo ſilet catalogus: notat vero poſt Iacobum I. de Bern Beatum de Schawenburg, nominis & ſtirpis ſecundum; unde primis huius nominis & ſtirpis præceſſiſſe debuiſſet. In necrologio mecum communicato Kal. Febr. præciſe legitur: *Beatus de Schawenburg reverendus dominus abbas huius loci cum progenitrice ſua* 1500.

SECULUM XV.

XVII. Quod paullo ante coniectati ſumus a nobilibus de Geroldseck male fuiſſe habitum monaſterium Schutteranum, id certius conſtat de Ettenheimenſi cœnobio pariter in diœceſi Argentinenſi ſito. Fuerat id Guillielmo II. epiſcopo Argentinenſi imperii vicario ceu tutori & advocato an. 1417. a Sigismundo imp. concreditum: paullo poſt tamen ad Geroldseckios rediit, qui aliique vicini nobiles iam an. 1420. ceu advocati comparent. Hi penſione ſua non contenti monaſterium iam aliunde attritum vix non penitus deſtruxerunt, ut palam facit inſtrumentum incorporationis eccleſiæ parochialis in Ettenheim, monaſterio ea de cauſa factæ, his verbis: *Licet fructus, reditus & proventus dicti monaſterii, qui ab olim abundare conſueverunt, propter guerrarum turbines, patriæ depopulationem, aliasque calamitates, quæ partes iſtas quadraginta annis citra graviter afflixerunt, adeo diminuti & exiles facti fuiſſent & eſſent, quod abbas & conventus commode ſuſtentari, hoſpitalitatem, qua plus ſolito gravarentur, & alia eis incumbentia onera ſupportare vix potuiſſent; tamen noviſſime vel circa annum Domini* 1427. *quidam nobiles inter ſe ſeptem annis, vel circa continue guerrantes ipſum monaſterium & eius poſſeſſiones invaſerunt, & ruptis portis & ianuis manu armata more hoſtili intrarunt &c.*

Ettenheimmünſter.

Acciderunt hæc ſub Andrea I. abbate, qui non Iacobo, ut hactenus exiſtimabatur, ſed Laurentio ſucceſſit, a quo an. 1405. ſacellanus ad capellam D. Virginis in Ettenheim iudici eccleſiaſtico fuit præſentatus. Unde vero, qualisve fuerit, aut quando vita exceſſerit, non conſtare fatetur chronographus Ettonianus P. Bernardus Muggius. Id certum, parvo illum temporis ſpatio abbatis munere functum, Andreamque, Kranich cognomento, ex patritiis Argentoratenſibus natum, habuiſſe ſucceſſorem. Hunc varia ſcripta virum magnæ doctrinæ & integritatis fuiſſe Muggio comprobarunt, qui multa tulit fecitque abbas pius; cedere tamen Ioanni de Geroldseck fuit compulſus, qui advocati nomine, ut diximus, monaſterium ita afflixit, ut accedentibus aliorum nobilium vicinorum invaſionibus pene ad interitum devenerit, parum proficiente transactione cum Geroldseckio per Ioannem

SECULUM XV.

nem abbatem Schutteranum facta an. 1438. quum Andreas abbas iam extremum decumberet, qui & eo anno obiit, cognominem nactus successorem Andream de Uchtensheim, virum genere & virtute nobilem, qui non ultra tres annos præfuit, abbas etiam monasterii Salsensis, quod nunc est præpositura canonicorum secularium. Monasterium sub hoc abbate in cineres redactum Andreæ successor Henricus Reiff restituit, Trithemio memoratus an. 1459. præses capituli provinciails ordinis nostri per provinciam Moguntinam & diœcesin Bambergensem eodem anno Norimbergæ apud S. Ægidium celebrati, cum Georgio eiusdem monasterii, Bertholdo S. Ægidii in Brunschwig, & Eberhardo S. Iacobi prope Moguntiam abbatibus. An. 1470. defunctus successorem habuit Hessonem de Tiersberg, sub quo monasterium cum advocatia an. 1486. in ditionem Philippi comitis Palatini Rheni devenit, qui Brisgoiam bello sibi subiecit. In appendice historiæ Geroldseckianæ a) legitur instrumentum, quo Albertus Argent. episcopus advocatiam in Ettenheimmunster Thiopoldo domino in Geroldseck in feudum an. 1481. confert.

a) Pag. 222.

Plurima ab Hessone abbate monasterio fuisse adquisita, instrumenta publica & emtionis litteræ attestantur. Inter hæc sunt, quæ monasterium in Riegel possidet a Baronibus in Staufen & monasterio Einsidlensi, cuius abbas Conradus Ettenheimensi cœnobio donavit ecclesiam S. Georgii in Kenzingen, S. Agathæ in Thenningen, S. Martini in Endingen cum capellania S. Gangolfi in Schelingen, S. Martini in Riegel cum duabus capellis, S. Michaelis ibidem & S. Nicolai prope Kenzingen. Sic etiam & census monasterii S. Trudperti ab eo dissitas suo cœnobio adquisivit, cui adeo utilissime præfuit annis triginta, ad initium nempe usque seculi XVI. mortuus an. 1500. 4. die Iulii in ipso iubilæo.

Monasterium S. Trudperti.

XVIII. Perinde ac monasterium in Ettenheim Geroldseckios, ita monasterium S. Trudperti dominos de Staufen, Barones Brisgoicos infestos habuit invasores sec. XV. dum eisdem abbas Diethelmus I. (quem Bucelinus & Keraslithus in chronico Benedictum appellant) ex ea familia natus, ultimo regiminis sui anno 1410. monasterii advocatiam iterum contulisset, iuxta communicatum mihi ab eius sodalibus abbatum catalogum; dum Buccelinus in Germania sacra dubius est, num an. 1407. decesserit. Abbatis huius insignia & imaginem post summum chori altare fenestris inustam adhuc sua ætate, exeunte sec. XVI. fuisse conspicuam, generisque eiusdem posteros etsi capitales monasterii hostes sepulturam suam ibi elegisse Keraslithus testatur. Omittit is cum Bucelino & Gallia Christiana b) Ulricum seu Udalricum III. abbatem, cuius libe-

b) T. V. pag. 1000.

liberalitatem San-Trudpertini documento unico memorabilem habent an. 1411. cui sequenti iam anno Conradus II. cognomento Loeser successerit, mortuus an. 1432. Post eum Paulus abbas, in propugnandis monasterii iuribus acerrimus, gravissimos cum dominis de Staufen conflictus victor decertavit, cœnobium bellico furore conflagratum restituit, tantumque absuit, ut quidpiam de reditibus alienaret, ut etiam maioris momenti abstractos redimeret. Obiit an. 1455. moxque sequenti eius successor Nicolaus II. cognomento Zeller ecclesiam ex incendio restitutam per episcopum Constantiensem (Keraslithus Ioannem Bellinensem & Henricum Constantiensem episcopos nominat, dum Bellinensis Constantiensi suffraganeus fuit) die 19. Iunii reconciliari curavit. Anno 1457. Iacobus dominus de Staufen pactum inter Nicolaum S. Trudperti & S. Blasii abbates ob homines ligios auctoritate sua stabilivit. Idem Nicolaus S. Trudperti abbas sumtuosissimam litem urgere coactus contra dominos de Staufen (ex quibus Martinus de Staufen supremus præfectus Austriacus urbium & provinciarum Brisgoiæ ad Rhenum & in Nigra silva circa an. 1468. fuerat) monasterium undiquaque infestantes, tandem an. 1481. victor, an. 1483. obiit. Successor eius Rudolphus (quem Gallia Christiana an. 1480. ante Nicolaum præfuisse perperam scribit) haud otiosus præsul an. 1487. pedum suscipiendum reliquit Ottmaro Arnold, de suo monasterio multis nominibus optime merito.

SECULUM XV.

XIX. Abbati San-Trudpertino an. 1411. commiserat Ioannes XXIII. P. ut iniuste ablata monasterio in Sitzenkilch congregationis San-Blasianæ restitui curaret. Erat tunc Ioannes I. abbas S. Blasii, qui misso ad Bonifacium IX. P. libello supplici pro se suoque antecessore Henrico veniam precatus, quod Benedicto XIII. antipapæ adhæsissent, accedentibusque Marquardi Constantiensis episcopi commendatitiis litteris in gratiam est receptus, ac an. 1402. ab eodem episcopo auctoritate a Romana sede sibi delegata abbas cum monachis, omnibusque parochis, vasallis & subditis ab excommunicatione coram multis testibus fuit absolutus. Fundatum eodem anno monasterium ordinis S. Pauli primi eremitæ in Bondorf a Rudolpho de Wollfurt & Elisabetha de Krenckingen eius uxore ac Wolfone filio ad instar cœnobii eiusdem ordinis in Grumwald, ab Henrico IV. abbate S. Blasii seculo superiore dotati, idem Marquardus episcopus confirmavit. Idem, quod in se receperat, impetrare a Bonifacio IX. confirmationem omnium privilegiorum a dubiis pontificibus tempore schismatis Avenionensis acceptorum, obtinuit anno 1405. palam ac solemniter ex cathedra Constantiensi præconatus,

Monasterium S. Blasii.

una-

SECULUM XV.

unaque privilegium perpetui pontificalium usus cum licentia conferendi ordines minores. Unde eodem adhuc anno in Sigillo sedens comparet Ioannes abbas, mitratus, sinistra pedum pastorale tenens, dextera elata monachum ante se genuflexum benedicens. Quantæ vero amplitudinis fuerit monasterium S. Blasii ineunte hoc seculo XV. sub Ioanne I. abbate, ex charta an. 1408. quam edimus, colligere est, in qua enumerantur plures separatæ capellæ & ecclesiæ: quales in ipso monasterio fuerant, monasterium (ecclesia scilicet) novum & vetus, capellæ B. Virginis gloriosæ, S. Ioannis Baptistæ, S. Benedicti, S. Michaelis, S. Nicolai, & ecclesia S. Stephani.

Non dubitamus, esse Ioannem I. quem *pro nunc* abbatem suum commemorat auctor anonymus tertii saltem libri *constructionum*, uti appellare solemus. Subditur eidem opusculum asceticum inscriptum: *claustrum animæ cum dispositione officiorum & officialium suorum, secundum quod disponi solet & ordinari claustrum materiale.* Incipit: *Abbas huius claustri est iugis meditatio divinæ præsentiæ.* Sub eodem Ioanne abbate vixit Ioannes de Ochsenhusen iunior, cuius extat iam an. 1383. *rotulus censuum officii cellerarii per fratrem Ioannem dictum de Ochsenhusen:* alius item rotulus, qui abbatum seriem continet hoc exordio: *anno Domini* 1385. *frater Ioannes de Ochsenhusen sacerdos & monachus monasterii S. Blasii codicem brevem sive chartam hanc, in qua venerabilium quondam abbatum in hoc monasterio existentium, nec non aliorum patrum ac monialium tam intra quam extra illud tempus, quo dictum monasterium per incendium fuerat devastatum, defunctorum nomina, quæ in alia charta, quæ antea similiter fuerat descripta, sed a feris rupta & lacerata, invenire potuit ac etiam postea de hac vita decedentium de novo conscribi fecit ac procuravit, incipiens a Reginberto loci fundatore, assignatis insuper sepulcris sive locis, in quibus ossa memoratorum requiescunt abbatum.* Eodem, quo hæc scripsit anno, renunciatus fuit hic Ioannes præpositus noster Nallingensis in Würtembergia; ab anno autem 1396. usque 1401. præposituram Berovienſem administravit: inde in monasterium rediens inter confratrum manus precesque animam efflavit an. 1412.

Ioannes I. abbas anno sequente mortalitati concessit, cuius adhuc supersunt varia pro disciplina monastica & choro, pro scholis item statuta, iam ante ordinis nostri reformationem in concilio Constantiensi paullo post præceptam facta. Huic a principio interfuit Ioannes II. S. Blasii abbas, primi proximus an. 1413. successor, inde tamen revocatus curis & periculis sui monasterii an. 1415. semper alias in concilio substiturus, ut

habet

habet charta autographa, *ni arduæ & evidentes causæ monasterio graviter incumbentes* illum redire compulissent. His ansam fuisse datam ex furtivo Ioannis XXIII. P. Constantia discessu, opitulante Friderico Austriaco propterea proscripto, eiusque terris direptioni expositis, coniicere licet ex charta eiusdem Ioannis abbatis, qua procuratores suos cum plena potestate constituit Ioannem Petridomus & Gottfridum Ruttinensem abbates, ita effatus: *nunc autem præliis, hostilitatibus sævis & atrocibus, inter quæ & quas monasterium nostrum pene cum omnibus possessionibus, rebus & pertinentiis suis situatum existit, irrecuperabiliter quassatur, nosque sine periculo, metu corporis & rerum, ad dictum concilium redire nequeamus.* Capitulo provinciali ordinis nostri, quod an. 1417. in monasterio Petershusano, iubentibus concilii Patribus, fuit celebratum, Ioannem nostrum fuisse præsentem, præter constitutiones eiusdem capituli ab eo studiose receptas, argumento quoque esse possunt varia eius statuta, quæ memoratus superiore iam libro superstes adhuc *ordo operis Dei* adiecta haud raro per aliam manum continet cum hac clausula: *ita statuit Ioannes abbas.* Idipsum inde etiam arguitur, quod in autumno eiusdem anni Constantiæ egerit, dum exauctoratis tribus schismatis capitibus Angelo Corrario, Petro de Luna, & Balthasare Cossa, Martinus V. in pontificem an. 1418. III. id. Nov. eligeretur: a quo mense sequenti impetravit bullam, qua pontifex roboravit *omnes libertates & immunitates a præcedentibus Romanis pontificibus & generalibus conciliis, sive per privilegia, sive indulgentias concessas &c.* Alteram item ab eodem privilegiorum confirmationem an. 1424. obtinuit, veluti etiam an. 1414. a Sigismundo imp. ac Ioannes I. a Ruperto Cæsare. Per turbas enim & rapacitatem huius seculi opus cumprimis fuit protectione principum & potestatis utriusque, ecclesiasticæ nimirum & politicæ, datis passim protectoriis per concilia, pontifices, eorumque legatos. Protectorium tale extat, excitatis quoque imperii electoribus, ducibus, marchionibus & comitibus vicinis, nominatim marchione Badensi, comitibus de Lupfen & Fürstenberg, ac urbibus Helvetiæ &c. an. 1435. datum monasterio S. Blasii contra Ioannem de Krenckingen, dictum de Wisenburg (quod castrum an. 1438. a Wernero de Stoufen obsessum captumque, a Blasianis dirutum fuit) per concilium Basileense. Præsens huic adfuit Nicolaus abbas S. Blasii, Ioannis II. an. 1429. successor, legatione etiam Friderici III. Rom. regis perfunctus an. 1444. ut palam fit ex gravissimo sermone, quem ex codice bibliothecæ Cæs. edimus per socium suum ad Patres concili habito pro tollendo schismate ex electione Felicis V. antipapæ, restituendaque Eugenii IV. P. obedientia.

SECULUM XV.

Præsedit etiam idem Nicolaus S. Blasii abbas cum Hartungo S. Petri, Georgio S. Ægidii Norimbergæ, & Henrico Amorbacensi abbatibus capitulis provincialibus ordinis nostri Norimbergæ annis 1439. & 1441. apud S. Ægidium Norimbergæ celebratis, in quibus exhibita fuit cum aliis, & lecta plumbea bulla concilii Basileensis an. 1439. super reformationem ordinis nostri per provinciam Moguntinam & episcopatum Bambergensem edita; statutum pariter fuit, ut in omnibus monasteriis nostris nondum strictius reformatis observetur, quilibet copiam ipsius habeat, & in quolibet monasterio singulis angariis in capitulo quotidiano publice legatur, ac per præsidentem, aut cui iusserit ipse, in lingua vernacula fratribus exponatur, ne prætextu ignorantiæ se valeat quisquam excusare. A temporibus porro concilii Constantiensis usque ad annum 1524. habita sunt hæc capitula provinciæ Moguntinæ & Bambergensis per unumquodque triennium, locis tamen plerumque a monasterio S. Blasii nimium dissitis; unde paullatim ea accedere difficile fuit, & posthabitum a multis, etiam San-Blasianis. Atque hinc in bulla Sixti IV. P. an. 1479. inter alios abbates illa accedere negligentes San-Blasianus quoque notatur.

Nullus igitur seculo hoc XV. ex S. Blasii abbatibus præsens huiusmodi capitulis adfuisse legitur post Nicolaum. Hic quantæ existimationis auctoritatisque fuerit apud summas etiam potestates, vel inde elucescit, quod Nicolaus V. P. Alberto Austriæ duci concessurus denominationem viginti personarum ad canonicatus & beneficia ecclesiastica, huius rei executionem ei commiserit an. 1450. ut ex bulla, quam edimus, cognoscitur. Anno sequente Nicolaus tit. S. Petri ad vincula S. R. E. Cardinalis presbyter confirmationem privilegiorum, & alia indulta iunctim edita dedit Nicolao abbati nostro Moguntiæ die 23. & 25. Nov. eiusdem an. 1451. Ipse vero an. 1560. fatis cedens successorem adeptus est Petrum, nonnisi decem mensium abbatem.

Sub Christophoro ex nobili familia de Grütt post Petrum an. 1461. abbate, intercessione apud Paulum II. P. interiecta, per Philippum Cardinalem eiusdem pontificis pœnitentiarium cum monasterii subditis an. 1467. per quadragesimam & alios ieiuniorum dies dispensatum fuit in lacticiniis, *cum dictum monasterium in vasta solitudine, & in loco alto, infertili, nemoroso & frigido, ubi propter frigora, & terræ altitudinem nives per tres anni partes sedent, situatum sit, ac propterea ibi vinum, oleum olivarum, granum & alii fructus usui humano necessarii crescere non possint, neque etiam pisces, nec dictum oleum olivarum temporibus quadragesimæ sine gravibus expensis haberi valeat, dicti exponen-*

nentes sine usu lacticiniorum in dictis diebus Quadragesimalibus & aliis ieiunialibus commode vitam ducere non possunt. SECULUM XV.

Vix lites postea inter Christophorum abbatem & conventum an. 1481. per compromissarios fuerunt sopitæ, dum mox anno sequente aliis turbis mors Christophori locum dedit in electione successoris Eberhardi de Reischach. Hic iuvenis monachum apud S. Blasium professus, postea per bullam pontificiam, maioris, ut dictitabat, perfectionis zelo, sub Christophoro abbate monasterium nostrum deseruit, ac apud Friburgum Brisgoiæ ordinem Carthusianum amplexus, expletoque probationis anno solemniter professus est. Verum id vitæ genus haud multo post iterum aspernatus, an. 1471. a Francisco Cardinali Pauli II. P. in Alemannia legato inde abeundi licentiam obtinuit, simulque ut a censuris, *absque tamen spe beneficiorum*, anno sequente per Nicolaum Rhenaugiensem abbatem absolveretur. Fuerat tunc Rhenoviæ monachus Eberhardi frater Laurentius de Reischach, qui postea illius monasterii abbas adfuit fratri Eberhardo in abbatem S. Blasii an. 1482. electo, quem Sixtus IV. an. 1483. ad dignitates monasticas idoneum declaravit. Interim tamen Petrus de Rettenbach diœcesis Basileensis, præpositus in Veltbach, ab eodem Sixto P. abbatiam nostram tamquam vacantem anno sequente accepit. At vero Eberhardus ad Innocentium VIII. Sixti successorem confugit, qui an. 1485. abbatibus Augiæ maioris & S. Trudperti causam hanc decidendam demandavit: quorum sententia Eberhardus in quieta abbatiæ San-Blasianæ possessione permansit.

Nobilis hæc familia de Reischach iam inde a seculo XIII. bene mereri cœpit de S. Blasii monasterio in variis officiis ac utroque statu seculari æque & religioso: Berovii etiam inter moniales & alibi, in parthenone præcipue Waldensi Cisterciensis ordinis, ubi septem abbatissæ numerantur ex hac familia, quæ ad ipsam huius monasterii fundationem plurimum contulit, in eoque sepulturam elegit, perinde ac in cœnobio Amtenhusano. Hæc seculo XV. in varias stirpes divisa diversas quoque sedes obtinuit, indeque nomina *Rischach zue der neuen-Hewen*, *in Hewen*, *in Stoflen*, *Hohenstoflen*, *in Ach*, *in Richenstein*, *in Immendingen*, *in Slatt*, ut monumenta nostra domestica, pleraque sigillis suis munita, docent. Servatur in monasterio Petershusano genealogia huius familiæ imaginibus expressa in missali ad præteriti seculi initium impresso, quod Wernherus de Rischach singularis eiusdem cœnobii benefactor illic deposuit. Legitur ibi elogium Eberhardi abbatis S. Blasii ab anno 1482. ac novem, quibus præfuit, anni numerantur, eodem nimirum tempo-

 re,

SECULUM XV. re, quō germanus eiusdem Laurentius in Rheinau abbas sedit, quod pariter in dicto missali notatur.

Sub Eberhardo abbate Conradus Sittinger monasterii S. Blasii frater conversus celebri tunc temporis organo duobus follibus instructo ecclesiam ornavit an. 1488. is ipse, qui in monasterio S. Trudperti iam sub Nicolao eius loci abbate simile pneumaticum opus absolverat, cum hac inscriptione: *hoc opus completum est sub Nicolao abbate per me fratrem Conradum conventualem S. Blasii anno* 1474. Refertur etiam Eberhardus vestes pro ministerio altaris fieri curasse cum insigniis Reischachianis, exsolutas primum, ut Casparus I. abbas in suo Originum libro putat, ab eius successore Blasio I. cognomento Wampach ex Obereggingen, qui tantum ab an. 1491. usque 1493. præfuit, successorem adeptus Georgium cognomento Eberhard. Hic Horba ad Nicrum fluvium oriundus, sacerdos iam cum litteris commendatitiis ex monasterio Alpirspacensi ad nostrum D. Blasii devenit, ubi etiam solemne iuramentum dixit. Exin ob vitæ morumque integritatem ac dexteritatem variis admotus officiis, tandem an. 1493. abbas quoque renuntiatus, anno mox sequenti a Maximiliano I. Imp. in favorem monasterii sui diversa obtinuit diplomata, bullas etiam postea conservatorias a pontificibus; quibus omnibus tunc maxime opus fuit ob atrocissimum, cuius iam meminimus, Cæsareanos inter & Helvetios bellum, dum per Kleggoviam vicinasque terras erumpentes victores Helveti (qui prius an. 1477. Badæ in Helvetia pacis arbitri fuerant inter Rudolphum marchionem de Hachberg & Christophorum abbatem S. Blasii ob iura monasterii in Margraviatu) Thiengen, Kussenbergicum, Stühlingicum, & Blombergicum castrum ceperunt, suisque excursionibus colonos etiam nostros ac ditiones deprædati sunt; donec demum an. 1499. per Ludovicum Mediolanensium ducem Basileæ pax utrimque restitueretur.

Abbates e D. Blasii ad alia monasteria evocati.

XX. In Msc. codice sec. XIV. quo continetur ordo operis Dei in monasterio S. Blasii syllabus quoque habetur abbatum, e S. Blasii ad alia monasteria evocatorum, in quo diversis characteribus tres adiiciuntur abbates sub Ioanne II. S. Blasii abbate ad alia cœnobia postulati: ac primum quidem ad an. 1420. *eligitur dominus Ioannes de Surse in monte Angelorum, & rexit abbatiam tres menses.* Servantur etiamnum in archivio San-Blasiano confœderatorum Helvetiorum de afflictissimo monasterii Engelbergensis statu litteræ, quibus exoratus Ioannes abbas S. Blasii cognominem Ioannem dictum Kupferschmid, patritia oppidi Surse familia ortum, Engelbergam misit cum duobus presbyteris, & P. Nicolao Sto-

Stocker præpoſito tunc Nallingenſi, abbate poſtea S. Blaſii, ut rebus quantocyus occurrerent. Sed, uti Bucelinus & Gallia Chriſtiana breviter memorant, Ioannes hic Conſtantia poſt ſuſceptam conſecrationem in cœnobium rediens morte ſublatus dicitur menſe tertio an. 1421. In rotulo membranaceo San-Blaſiano hæc tantum notantur: *anno Domini* 1421. *obiit dominus Ioannes de Surſe abbas montis Angelorum.*

Narrat Io. Metzlerus Lib. II. de viris illuſtribus San-Gallenſibus c. 53. & 54. a) Henricum IV. S. Galli abbatem dum morbo Friburgi Brisgoiæ decumberet (quo & deceſſit, in S. Blaſio ſepultus) exoraſſe a S. Blaſii abbate virum religioſum, quem œconomiæ San-Gallenſi præficeret, atque obtinuiſſe Eglolſum Blaurerum (Blarer) familiæ nigrorum, nobilem & gravem virum: qui res bene gerendo ita ſe in patrum gratiam inſinuarit, ut defuncto Henrico 14. Sept. an. 1426. abbatiam ſuam illi decernerent. Magni Prioris officium is iam an. 1406. ad S. Blaſium geſſerat: inde præpoſiti Berovienſis munere ab an. 1412. functus, iterato magnus S. Blaſii Prior an. 1416. fuerat renuntiatus. Abbas autem San-Gallenſis præfuit annis ſeptemdecim, mortuus an. 1442. ipſo die Pentecoſtes. Refert inter alia laudatus Metzlerus de eo, quod ad concilium Baſileenſe multos & optimos libros miſerit, ſed eos nunquam deinceps receperit, quod quidem etiam abbatiæ Cluniacenſi eveniſſe conſtat. Extat in collectione conciliorum Labbei b) ex Dacherii ſpicilegio epiſtola concilii Baſileenſis ad Cluniacenſes monachos, in qua dum nova petunt SS. Patrum opera, de acceptis fidem haud equidem infallibilem faciunt, *certificantes vos*, ſcribunt patres, *quia non ſunt minus ſalvi hic, quam in monaſterio veſtro.* Non dubito, quin monaſterium S. Galli magis adhuc propterea conqueri potuiſſet de concilio Conſtantienſi, perinde ac aliæ vicinæ abbatiæ, Augienſis imprimis.

a) *Apud Bern. Pez. T. I. theſ. anecd. P. III. pag.* 615.

b) *T. XIII. pag.* 1660.

Præfuit tunc Augienſi monaſterio Fridericus I. comes de Zollern, æmulum favente Romana ſede nactus Henricum de Hornberg, quem etiam commemorat Rhenaugienſis Mſc. catalogus abbatum Augienſium an. 1427. a Pontifice fuiſſe conſtitutum abbatem, falſo quidem ex abbate & monacho S. Blaſii, quum monachus fuerit S. Petri in Silva Nigra, quatuordecim tantum hebdomadis poſt mortem Friderici de Zollern ſuperſtes. Fridericus hic ante mortem adhuc, quam an. 1427. oppetiit, cognominem Fridericum de Wartenberg, & dominum de Wildenſtein, S. Blaſii monachum in ſubſidium periclitantis Augiæ divitis accerſiverat. Erat is tum præpoſitus Clingnovienſis, qui Romæ, quorſum ita volente S. Blaſii abbate ſe unacum magiſtro Haslacher iurium doctore, & Conrado Freuel Cellenſi

SECULUM XV. Acroniano famulo contulerat, a Martino V. abbatiam vacantem monachisque destitutam obtinuit præ aliis candidatis, Alberto scilicet Barone de Sax monacho Einsidlensi, & altero Barone de Gundelfingen canonico ecclesiæ Constantiensis. Iam vero tunc defunctus fuerat, qui apud Eisengreinium inter orthodoxæ matris ecclesiæ doctores celebratur anno 1427. *Conradus Baro de Zimbern, divitis Augiæ Benedictinæ professionis monachus, germanus, patria Suevus, vir ingeniosus, gravis & ornatus moribus, christianæ religionis observantissimus, orator facundus, poeta gravis, musicus absolutissimus, qui multa in laudem beatissimæ virginis Mariæ doctissimo carmine scripsit: deploravit & statum Augiæ heroico versu.*

Deplorandus is utique fuit; adveniens enim illic Fridericus noster nonnisi duos reperit novitios, Henricum comitem de Lupfen, & Ioannem L. B. de Roseneck, qui brevi tamen ad patrios remearunt lares. Divinas vero in choro laudes clerici quidam seculares celebrabant, quum monachi deessent, quorum nonnullos ex S. Blasio advocavit, qui chorum monasticamque disciplinam sustinerent, suoque magisterio novos plantarent surculos, nobiles quidem, haud tamen ex prima illa dumtaxat nobilitate, cui soli accessum prius patuisse testatur Ohemius. Ex his iam ad sacram professionem admissis nonnullos ad academiam Viennensem misit, Petrum vero de Renz decretorum, & Ioannem Spenlin artium liberalium & Ss. Theologiæ doctores in Augiam advocavit. Bibliothecam quoque construxit, in quam codices partim cum blattis & tineis certantes, partim distractos & obæratos vindicavit, revocavitque, ac novos statuto pretio, quod etiamnum singillatim habetur, a memorato Io. Spenlin & Friderico marchione de Rötteln comparavit. In concilio Basileensi præsens, anno 1435. capitulo provinciali in monasterio Fratrum Prædicatorum præfuit, disciplinæ monasticæ observantissimus, ac restaurator in suo Augiensi monasterio studiosissimus, unacum Ortwino S. Petri Erfordiæ, Ioanne S. Georgii in Stein, & Henrico in Faucibus abbatibus. Ibidem ab abbate Hormbacensi digitum S. Pirminii primi abbatis & fundatoris suæ ecclesiæ obtinuit, cui amplissimam chori structuram, hodieque cum vernacula inscriptione positi an. 1447. primi lapidis superstitem adiunxit: alter ipse Pirminius fundator inde a suppari chronographo Gallo Ohemio, ac deinceps apud omnes celebratus. Iuxta necrologium manu coæva *Fridericus abbas de Wartenberg seu Wildenstein obiit ipsa die S. Silvestri papæ de sero ante nonam horam anno Domini* 1454. *valde memoria dignus & reverendus pater, quia huius monasterii recuperator & alter fundator extitit, & per XXVI. annos pervigil rexit.* Lapis eius sepulcralis visitur extra chorum in latere dextro ante altare trium regum, ubi sepultus iacet.

XXI.

XXI. Quocumque demum modo abbatibus ex congregatione San-Blasiana aliorsum evocatis accenseri potest Ioannes de Ochsenhusen, Mellicensibus novis votis an. 1426. sociatus, indeque an. 1428. in abbatem ad Scotos Viennam assumtus: sive is ex quatuor illis Ochsenhusanis presbyteris iuvenibus fuerit, qui an. 1392. Blasianum iugum excussedrunt Ioannis nomine insigniti: sive fermentum saltem aliquod Ochsenhusii ex veteri disciplina San-Blasiana acceperit, quod is postea tam salubriter lateque in patriam iterum Sueviam dispersit. Extat in bibliotheca civica Msc. mandatum Iuliani cardinalis, sedis apostolicæ in Germania & Basileensi synodo legati, ad abbatem hunc Scotorum Viennæ, ut binos e gremio suo monachos reformandi causa ad monasterium Wiblingense transmittat, datum Basileæ penultima Febr. an. 1435. obiit autem Ioannes an. 1446. Ochsenhusani Blasianique ineuntis huius seculi anno quarto causam suam arbitrio Marquardi episcopi Constantiensis commiserunt, qui auditis rationum momentis suam Ochsenhusanis libertatem iuxta bullam pontificiam stabilivit, ac terminos inter utriusque loci homines ligios constituit. Apud Lunigium in spicilegio ecclesiastico a) extat cum aliis pluribus novæ abbatiæ Ochsenhusanæ pontificiis & Cæsareis instrumentis Martini V. confirmatio omnium privilegiorum & libertatum monasterii Ochsenhusani, dato anno pontificatus primo, II. Kal. Februarii. Unde aliqui perperam cum Bruschio exemtionem monasterii Ochsenhusani a congregatione San-Blasiana adscribunt pontificis huius benevolentiæ, utpote qui liberaliter lauteque, dum adhuc Cardinalis Constantiense concilium adiret, Ochsenhusii fuerit habitus. Sic ex Bucelino Gallia Christiana b) Nicolaum Fabrum seu Fabri Biberacensem ex ultimo loci Priore seu præposito an. 1392. electo factum esse anno 1420. primum abbatem scribit, secus ac superiore libro accidisse diximus, Nicolaum nempe iam an. 1392. electum fuisse abbatem, qui an. 1389. post P. Henricum Laurim ex gremio San-Blasiano datus fuerat Ochsenhusio præpositus.

Cellæ congregationis San-Blasianæ.

a) *T. XVIII. pag. 372.*

b) *T. V. pag. 1071.*

Hoc præpositorum nomine veniebant superiores cellarum exterarum congregationis San-Blasianæ, ad normam scilicet congregationis Cluniacensis, tam monachorum, quam monialium: quibus præpositis commissa erat rerum temporalium administratio, dum Prior rem monasticam, atque apud moniales forum quoque internum conscientiæ curabat, veluti cellæ Bürglensis Prior in parthenone Sitzenkilch, qui simul in remotiore cella Guthnau confessarium agebat saltem extraordinarium. Parthenon hic an. 1423. igne consumptus, frustra omni cura abbatum, atque vicini etiam episcopi Basileensis, concessa quoque ab illo pro colligendis eleemosy-

nis

SECULUM XV.

nis ad eius restaurationem indulgentia, numquam tamen satis restitui res amplius ad illum statum potuerunt: unde ab Alexandro V. P. an. 1492. S. Blasii monasterio in præposituram concessum est. Felicius fuit Beroviensis monialium cœnobii fatum, licet hoc etiam seculo XV. iterato incendio consumptum, annis nimirum 1443. & 1456. præposito tunc Henrico de Reischach. Ex eadem nobili familia comparet Barbara de Reischach magistra (Meisterin) eiusdem parthenonis Beroviensis an. 1495. proxime vero antecedente 1494. Ursula de Schellenberg sub abbate Georgio. Præpositorum autem Beroviensium integram seriem hoc seculo habemus inde a Diethelmo Blatter, cui anno 1407. Eglolfus Blarer successit paullo ante memoratus, postea abbas San-Gallensis.

Duos denique Bürglensis cellæ præpositos ex ectypis lapidum sepulcralium, Conradum dictum Roth an. 1426. & Andream Stehelin de Stockburg an. 1492. mortuum, unaque imaginem tabernaculi seu conditorii SS. Eucharistiæ ex lapide, prout more veteri ad cornu Evangelii in choro Bürglensi nostra adhuc memoria conspicuum fuit, an. 1481. positum hic exhibemus. a)

Hirsaugiense monasterium.

XXII. Refloruit hoc sec. XV. celeberrimum olim Hirsaugiense monasterium in utroque statu, pedetentim tamen in temporalibus, ac iisdem veluti gradibus, quibus monasticæ disciplinæ vigor crevisse visus est: vergente nihilominus ad finem seculo domesticis simultatibus & contentionibus interturbatus. Rem strenue aggredi ac studiose pro viribus agere initio mox seculi cœpit Fridericus, in abbatem ipso anno seculari 1400. electus, *qui*, sunt verba Trithemii ad eum annum, *puer ad ordinem veniens, ut illo tempore consuetudo fuit, monastica disciplina & moribus utebatur inventis. Factus autem abbas confestim in alium virum mutatus est, & non solum temporalia prudenter, sed etiam spiritualia religiosius ordinaria potestate correxit. Quantum potuit opere & sermone utilem se curavit exhibere pastorem, & inordinatam subditorum vitam libenter ad regularis observantiæ tramitem reduxisset. Eius namque diebus reformatio illa Castellensis in Bavaria sumsit exordium, quam ille charam habens, monachis suis persuadere non potuit. Ordo enim totus ubique iacebat deformatus.* Addit postea, quod vitam in se duxerit

a) Supra portam præposituræ Bürglensis visuntur arma seu scutum marchionum Badensium, in quorum ditione est posita. Tabernaculum ex lapide in choro ad cornu Evangelii. Statua lignea cuiusdam episcopi vel abbatis mitrati ante tabernaculum posita. Dein lapides quinque sepulcrales, primus ita inscribitur: *anno Domini millesimo quadrigentesimo vicesimo sexto obiit frater Cuonradus dictus Rot, præpositus huius loci.* Alter ita: *Anno Domini MCCCCLXXXXV. ipsa die Erasmi epi obiit religiosus in Cristo frater Andreas Stehelin de Stocbburg.* Reliqui tres ad seculum sequens pertinent.

rit religiosam, sperans se ita exemplo suo subditos ad meliora inducturum, quamquam nihil aut parum profecerit. Nihilo secius, ubi ad an. 1416. reformationem ordinis nostri sec. XV. ab ovo repetens enucleatius edisserit, Hirsaugiense monasterium primum fuisse testatur, quod in diœcesi Spirensi reformationem Bursfeldensem susceperit. Præsedit Fridericus in monasterio Fuldensi cum Lamberto Montis monachorum prope Bambergam & Henrico S. Gotthardi Hildesiensi abbatibus tertio capitulo provinciæ Moguntinæ & Bambergensis pro reformatione ordinis nostri an. 1420. cum illa Bursfeldensi non confundenda.

Aderat Wolframus Friderici successor, in chartis apud Besoldum, Schœpflinum, & alibi passim Wolz, Wolfo, Wolfgangus appellatus, in concilio Basileensi, & ut idem Trithemius ad an. 1435. scribit, cum magna devotione mentis, quæ pro reformando ordine abbatibus tunc a concilio proponebantur, audivit. Subdit vero, eumdem Wolframum consilio Ioannis Rhode inductum, reformationes, institutiones & consuetudines observantiæ Bursfeldensis, repudiata Mellicensium infructuosa plantatione, iam senem Hirsaugiæ postea introduxisse, ut inferius ad an. 1457. plenius docet, iterumque ad an. 1460. de successore etiam eiusdem Bernardo, quem amatorem & conservatorem disciplinæ monasticæ constantissimum laudat, utpote qui regularem observantiam Bursfeldensium in se suisque subditis vigilantissime custodierit.

Hic monachorum & monialium reformator devotissimus, eodem Trithemio teste, plura cœnobia non nostræ solum, sed aliarum quoque religionum suo vel labore vel consilio ad regularis observantiæ integritatem revocavit. *Contra hanc reformationem*, ut paullo post scribit, *in Altburg Beghardi fratres, qui per diversas cellulas in nemore Hirsaugiano morabantur, se contumaciter opposuerunt, dolentes sibi similes improbæ conservationis sorores de latibulo iniquitatis expulsas. Unde contra Bernardum religiosissimum patrem plures machinationes insidiosas struxerunt, sed nihil prævaluerunt &c.* Ita Trithemius, qui porro observat, Bernardum prima litterarum rudimenta posuisse in Hirsaugiensi Prioratu Richenbach, ubi monachus fuerat factus: postquam autem Wolframus abbas regularem observantiam Hirsaugiæ restituisset, amore disciplinæ illuc venit, & reformatorum congregationi adscriptus conversationem suam in omni humilitate instituit ac ferventer continuavit. Ordinatus illic abbas prioris vitæ puritatem nequaquam remittens augmentavit potius, non verbo solum, sed multo magis sanctissimæ conversationis exemplo dignum se atque imitandum coram Deo & hominibus pasto-

SECULUM XV.

rem exhibendo. *Tempore sui introitus*, pergit idem, *ad abbatiam invenit monasterium ære alieno gravatum in* 12. *millia florenorum*, *& cuncta pene ruinosa ædificia: & quia vir erat timens Deum benedixit ei Dominus*, *ut qui spiritualia Christo Salvatori auxit obsequia*, *in temporalibus numquam deficeret.* Habentur apud Besoldum a) & Schœpflinum b) tabulæ emtionis vici Frielsheim ab eodem an. 1461. factæ. Mechtildem quoque Palatinam, Eberhardi Barbati primi ducis Wirtembergiæ ex primo coniugio cum Ludovico comite matrem, uxorem dein Austriæ Archiducis Alberti, qui frater erat Friderici III. imp. beneficam experta est Hirsaugia, tunc etiam, quando Bernardus an. 1473. Fridericum III. Wilæ in domo Hirsaugiensi solemniter excepit cum filio Maximiliano, qui postea Rom. rex an. 1491. ibidem cum processione cleri & populi pulcra, ordinatione solemni in pontificalibus, teste Trithemio, fuit exceptus.

a) *Docum. monast. Wirtemb. T. I. p.* 364.
b) *Cod. diplom. hist. Bad. P. II. pag.* 362.

Sub Blasio Bernardi successore post Georgium (qui abbatiam, quam an. 1482. susceperat, *considerans se ad curam pastoralem propter multas conditiones non esse idoneum*, *sponte ac libera voluntate anno regiminis sui secundo resignavit*) an. 1493. habitum est in monasterio Hirsaugiensi provinciale ordinis nostri capitulum. Idem an. 1490. alteri provinciali capitulo Norimbergæ celebrato cum Georgio S. Stephani Herbipoli, Ioanne S. Ægidii Norimbergæ, & Henrico Blaubeurensi abbatibus præsederat. Gravem Blasii antecessor cum suis habuerat dissensionem, quibus in turbis, Trithemio teste ad an. 1484. hic etiam necdum abbas dolo & suggestione æmulorum ad breve tempus exulare coactus fuit apud fratres Weissenburgenses. Inde cum honore ad monasterium revocatus, ac haud diu post in abbatem sublimatus, his, qui exulandi causam præstiterant, nullam reddidit vicem, sed omnes patienter toleravit, novis nihilominus cum suis, paucis ante mortem annis, litibus implicitus. Sedandæ dissensioni ipse cum aliis tribus abbatibus, Ioanne Bursfeldensi principali præsidente, ut ex instrumento an. 1498. confecto constat, non semel Hirsaugiæ ad visitandum præsens erat Trithemius: *Visitavimus*, inquit ad an. 1496. *& per viginti continuos dies summis conatibus pro pace laborantes inquietum pelagus revocare ad tranquillitatem nequaquam potuimus. Quid plura? ut vel aliquantulum cedendo magis quam resistendo mitigaremus furorem*, *abbatem non sine dispendio rerum temporalium ab administratione unius anni suspendere cogebamur*, *omnem in utroque statu auctoritatem penes Priorem & Cellerarium constituentes. Anno autem transacto iterum visitantes*, *administrationem Blasio abbati restituimus*, *& pacem*, *ut licuit*, *reformavimus. Triennio ista duravit turbatio*, *quousque tandem in se reversi abbas cum*

fra-

fratribus rancorem omnem deposuerunt. Hæc Trithemius, qui postea eumdem Blasium abbatem acerrimum sistit privilegiorum sui monasterii defensorem, quæ cuncta etiam interea a Maximiliano I. imp. an. 1495. confirmari curavit, speciatim quod asylum, postea lacessitum & denuo vindicatum, attinet, ut apud Besoldum legere est a).

SECULUM XV.

a) *L. c. p.* 377.

XXIII. Graves multiplicesque abbatibus Hirsaugiensibus intercessere lites cum cellis suis, quas tres sec. XV. numerabant, Reichenbach, Roth, & Schönrein. Harum prima rebus pollens, auctaque egregie fuit hoc seculo, ut ex chartis eiusdem monasterii palam fit, nomine quidem & auctoritate Priorum plerumque conscriptis. Sic in chartis huiusmodi Conradus Stahler Prior occurrit ipso anno seculari 1400. Nicolaus Vögelin an. 1412. 1414. Wolf Mayser von Berg an. 1423. 1426. Hunc existimo fuisse Wolframum seu Wolfonem, abbatem postea Hirsaugiensem, cuius extat charta dotationis capellæ B. Mariæ V. in Horba, quæ fuerat monasterii Reichenbacensis, sic incipiens: *Nos Wolfo dictus Mayser divina annuente gratia abbas monasterii in Hirsau ord. S. Benedicti siti in diæcesi Spirensi, nec non gubernator ac provisor generalis monasterii eiusdem ordinis præconcepti, scilicet in Richenbach siti in diæcesi Constantiensi. Ego frater Ioannes de Malmschern Prior in antescripto monasterio in Reichenbach. Insuper nos Scultetus, magistri civium consulesque in oppido Horwe &c.* An. 1425. pro 60. florenis decimæ quædam vini in Horb, ibidemque an. 1445. domus a Reichebacensibus coemta, ac an. 1454. hypothecæ instar prædium in Nideracheren, donec illud Georgius de Schauenburg cum coniuge Catharina de Sickingen reluerent, prout legere est in brevi Reichenbacensi historia b). Ibidem an. 1471. notatur Ioannes Maldinsheimer Prior a Bernardo Ottone Fridrich de Strasburg complura prædia in Hugenbach solutis quadringentis quinquaginta florenis adquisisse: rursus an. 1483. fratres mutuos 100. florenos, quos Præposito & conventui omnium Sanctorum in Nigra silva concesserant, oppignorata quarta parte decimarum vini in Capell in tuto collocasse, & Horbæ alias vini decimas a Io. Struchler pro 85. fl. comparasse: quod observo, ut quod tunc argenti, seu, si mavis, vini Horbensis pretium fuerit, statuas.

Congregationis Hirsaugiensis cellæ.

b) *In Kuen collect. script. rerum hist. monast. T. II. p.* 45.

Accidit vero, ut sub Wolframo hoc abbate iam an. 1432. uti narrat Trithemius, Reichenbacenses non requisito abbate Hirsaugiensi, quod præsumtum antea numquam fuerat, ex se alium Priorem eligerent, quem quidem haud nominat Trithemius, Nicolaum Graeff. Res ad concilium Basileense fuit delata, extatque instrumentum procuratorium Reichenbacensium monachorum ad idem concilium per fratrem Ioannem Horneck

SECULUM XV. ibidem conventualem an. 1436. quo res diiudicata est Basileæ præside Ioanne in Rynau, ac sententia definitiva pro abbate Wolframo lata, cuius capita apud memoratum Trithemium ad an. 1432. leguntur. Postea vero an. 1438. tractatum de ratiociniis dandis, arbitro Ioanne abbate Selsensi in suo monasterio, itemque an. 1448. de reformatione a Reichenbacensibus suscipienda est conventum. Notatur in charta an. 1443. Ioannes Malinsheimer Prior in Richenbach, ac iterum cognominis Io. Malinsheimer in chartis 1471. Hos inter an. 1454. Ioannes de Munchingen, post hunc Stephanus Mollenkopf an. 1473. Henricus Guldin Priores in Reichenbach occurrunt. Dum marchione de Baden & Bernardo comite de Eberstein agentibus Reichenbacenses iterum Hirsaugiensibus sese opponerent, res an. 1473. iudicio Spirensis episcopi pro Hirsaugiensibus fuit decisa, uti a Trithemio quoque est adnotatum.

Eodem anno Georgius de Ettenheimünster, Reichenbacensis Prior ab abbate Hirsaugiæ anno præcedente constitutus, iuxta præscriptam formulam eidem abbati iuramentum deposuit; atque annua ratiocinia abbati perinde dederunt eius successores Ioannes de Wangen anno 1482. Nicolaus de Ersing, Henricus de Stamheim, Ioannes Widel an. 1490. Ioannes de Rott an. 1497. ad finem vergente XV. seculo Priores, ac supersunt quorumdam ratiocinia & scripta etiam iuramenta. Post medium sec. XV. Nicolaus Donis monachus Reichenbacensis Cl. Ptolomæum ex Græca in Latinum transtulit; quinque etiam chartas recentioris geographiæ ab eo factas an. 1470. Leonardus Hol Ulmæ an. 1482. ligno incisas edidit post auctoris mortem an. 1471.

Ut refert Trithemius ad an. 1441. *Godfridus præpositus in Rote, de permissione & consensu Wolframi abbatis Hirsaugiensis, ad cuius iurisdictionem cœnobium ipsum sine medio pertinet, semperque pertinuit a prima fundatione sua usque in præsentem diem, præposituram ipsam resignavit.* Notatur cognominis Gottfridus præpositus Rothensis, qui an. 1408. Friderico abbati Hirsaugiæ præposituram in acceptis referens fidelitatem promittit, itemque Wilhelmus dapifer de Stetten an. 1441. seu potius an. 1450. iuxta Trithemium per Wolframum abb. Hirsaug. post obitum Gottfridi præpositus constitutus: *qui paullo post in superbiam elatus abbatem suum cœpit contemnere, volebat enim ipse, si potuisset, advocatiam præpositura, quam comites de Oettingen in feudum recipiunt, alienare penitus, & eis in perpetuam concedere proprietatem. Quod ut mox Wolframo abbati Hirsaugiensi certa relatione innotuit, omnes eorum conatus impedivit. Conspiraverant in unum comes & præpositus, alter cupiens* ad-

advocatiam præpositura liberam, alter ut a iurisdictione abbatis fieret absolutus. Extant etiam Pii II. P. an. 1459. datæ litteræ ad Wilhelmum de Lustnau, ut in inscriptione appellatur, præpositum Rothensem, quas subreptitias iudicat Trithemius, ad eumdem annum testatus, Wolframum abbatem ad convocationem Mantuanam pro negotio præpositurae suæ in Roth Augustensis diœcesis, & pro aliis arduis monasterii causis, unum ex monachis conventualem cum Ioanne Nauclero doctore ad Romanum pontificem Pium II. misisse, ut causam verbis & scriptis redderet meliorem, eo quidem effectu, ut pontifex litteras subreptitias supprimeret, & cassatis omnibus male indultis præpositum ad obedientiam revocaret. Res etiam anno sequente inter Wilhelmum comitem de Oettingen & Bernardum abbatem Hirsaugiensem transacta est, & an. 1469. ab eodem abbate, præsentibus tamen episcopi Augustani & Ulrici comitis de Oettingen ablegatis, instituta visitatione Petrus Scheller præpositura est deiectus, suffecto in locum eius Bernardo: quem tamen episcopus Augustanus nonnisi ad preces Mechtildis Palatinæ, Archiducissæ Austriæ tandem agnovit, causatus, se inscio non constituendum fuisse præpositum. Refert ad an. 1489. Trithemius, restitutam tunc Hirsaugiensi cœnobio, opera Eberhardi barbati Wirtembergiæ comitis, advocatiam præpositurae Rothensis, quam comes de Oettingen sine præscitu & requisitione abbatis Blasii Friderico marchioni Brandenburgensi in Onolzbach vendiderat.

SECULUM XV.

Fuerunt etiam abbatibus Hirsaugiensibus contentiones cum advocatis monasterii Schonrein in diœcesi Herbipolensi, & quidem perhibente Trithemio ad an. 1442. quum Prior eius monasterii, abbati Hirsaugiano immediate subiectus, census & proventus renovare ab abbate iussus differret, comite de Ryneck, qui locum & fratres tutare debuerat, multipliciter in contrarium nitente, & rusticis contra æquitatem assistente, ne necessariam censuum renovationem fieri contingeret. Unde iure commotus Wolframus abbas, post multas contentiones cum comite habitas, ad Schonrein ipsus descendit, & sicut ex registris patet, censum ibidem invitis comitibus renovavit. Conventio etiam postea, Ottone Palatino auctoritatem interponente, facta est inter eumdem abbatem & Philippum comitem de Ryneck an. 1453. item an. 1467. & 1477. Bernardum abbatem inter & Philippum iuniorem ob advocatiam.

XXIV. Iam inde ab origine sua Hirsaugiæ obnoxium quoque fuit Gottesaugiense monasterium, quod teste Schœpflino in historia Badensi a) an. 1406. ex Bernardi marchionis Badensis voto Gregorius XII. P. in Carthusiam conversurus erat, si annuos quadringentorum florenorum reditus

Gottesau.

a) *T. IV. p. 417. & cod. diplom. P. II. pag. 31.*

SECULUM XV.

ditus novos prioribus adderet marchio, quam vero conditionem hic non adimpleverat. Trithemius in chron. Hirſaug. a) ad an. 1417. proximum Hirſaugiæ in diœceſi Spirenſi adiungit S. Mariæ in Gotzawe monaſterium, in quo reformatio Bursfeldenſis fuerit recepta, quod ex Bucelino Gallia Chriſtiana. b) refert ad annum 1458. nominatque ad an. 1474. Bonifacium abbatem, ex monacho S. Iacobi Herbipolenſi aſſumtum.

a) *T. II. pag.* 354.

b) *T. V. pag.* 751.

Monaſterium S. Georgii.

XXV. Monaſterium S. Georgii ſec. XV. imprimis effloruit, & mira illuſtrium illius antiſtitum vigilantia inſignem operam præſtitit ordini noſtro per Germaniam, dum primum eius reformandi cura ſuſcepta eſt in concilio Conſtantienſi. Celebrato enim ibi an. 1417. capitulo provinciæ Moguntinæ & Bambergenſis, in Petershuſano monaſterio, præſediſſe dicitur Ioannes abbas S. Georgii cum Ludovico Trenorchienſis cœnobii in diœceſi Cabilonenſi, Thoma Ebracenſi & Siffrido Elbacenſi abbatibus. Conradus abbas Gengenbacenſis an. 1404. mancipium vendidiſſe notatur Ioanni S. Georgii abbati, itemque plura eodem anno Erhardus de Falckenſtein in Ramſtein; chartam ſignant Erhardus, Egenolfus, Reinoldus fratres, Egenolfi ſenioris filii: Erhardus & Egenolfus fratres an. 1406. Conradus de Geroldseck curator aulæ comitis de Wirtemberg an. 1407. Conradus de Lupfen eiusque frater Bruno an. 1408. eodemque anno Ioannes I. & an. 1420. Ioannes II. S. Blaſii abbates concambium eiusmodi fecerunt cum eodem Ioanne abbate S. Georgii. Huic an. 1427. ſucceſſit Silveſter Billing e celebri olim in oppido Eſslingen familia, perinde ac eius anteceſſor, proximique ſucceſſores, principis titulo inſignitus paſſim in chartis. Extat in archivio San-Georgiano charta an. 1431. appenſo triplici ſigillo Erhardi, Eglolfi, & Reinolti de Falckenſtein: quorum primum & tertium diverſis in ſcutis infra arietem vel capricornum, in medio falconem (in primo præterea plures falcones circumvolitantes cerni videntur) ſupra cervum gradientem repræſentat: in ſecundo ſigillo Reinolti aries tantum vel capricornus uno in ſcuto habetur. Eodem anno 1431. cum Nicolao abbate S. Blaſii idem Silveſter abbas mancipia permutat, uti alii paſſim etiam eius ſucceſſores cum aliis inſtituerunt hoc commercium, quod iam præcedente libro ſuperioribus quoque temporibus frequentatum ab anteceſſoribus memoravimus: notatque de S. Georgii monaſterio ex chartis diligentiſſimus eiusdem abbas Georgius Geiſſer, illud etiam cum primoribus familiis fuiſſe ſuſceptum, uti a Silveſtri an. 1434. ſucceſſore Henrico V. cum Egone & Ioanne comitibus provincialibus in pago Bara de Furſtenberg an. 1442. ac proxime ſequentibus cum comitibus de Falckenſtein, de Geroldseck dynaſtis inSulz, iterumque cum Nicolao abbate S. Blaſii & aliis.

Sub

Sub isto abbate Henrico Ludovicus comes de Wirtemberg an. 1449. a Conrado de Falckenstein arcem huius nominis inferiorem emit, cum parte advocatiæ monasterii S. Georgii, quæ inter eam familiam ita erat divisa, ut pars apud Falckensteinios de Falckenstein, altera apud Falckensteinios de Ramstein resideret. Utraque arx inferior & superior Falckenstein an. 1449. ad memoratum Ludovicum comitem de Wirtemberg devenit, emta a Iacobo & Wilhelmo fratribus, Aigilwarti filiis, cum dimidia advocatiæ San-Georgianæ parte: ut tamen alteram eius partem Falckensteinii de Ramstein sibi servarent, donec matrimonio ad Ioannem de Rechberg dynastam in Schramberg pervenisset, qui eam cum reliquis bonis Elisabethæ uxori tradidit, hæcque eamdem an. 1462. vendidit monasterio S. Georgii. Factum id sub abbate Ioanne IV. Schwichter seu Swigger cognominato, qui Henrico an. 1457. mortuo successit, huicque an. 1467. defuncto Henricus VI. qui monialibus quoque sibi subiectis salutares constitutiones dedit; eius autem successor Georgius I. an. 1474. electus post mortem Henrici reformationem in ipsum S. Georgii monasterium induxit, maximis laboribus summa cum laude perfunctus obiit an. 1505.

SECULUM XV.

XXVI. Sub Georgio hoc abbate an. 1499. parthenon in Fridenwiler iterum conflagravit, uti prius iam an. 1452. Supersunt etiamnum statuta, quæ huic monasterio dedit Henricus VI. an. 1472. & haud multo post an. 1495. Georgius auctiora: constitutiones item, & sic dicta charta reformationis seu visitationis Urspringensis parthenonis a Bernardo Hirsaugiensi & Georgio abbate in Alpirspach, ac Ioanne Wiblingensi delegatis pontificiis, & deputatis capitulorum provincialium an. 1474. &c. datæ, postea an. 1498. auctoritate ordinaria roboratæ, ac sub obedientia præceptæ.

Monialium cœnobia S. Georgii, aliæque cellæ.

De monasterio Amptenhausen præter memoriam in nonnullis chartis quoad sec. XV. nihil memoratu dignum reperi. In necrologio eius monasterii notatur Ioannes Schwichter abbas S. Georgii ab an. 1457.

Ineunte sec. XV. accessit S. Georgio domus fratrum (Bruderhaus) in Bugelsberg prope oppidum ducatus Wirtembergici Rosenfeld, in Sulz & Bahlingen, cella prius tertii ordinis S. Francisci eremitarum, qui ordinem S. Benedicti suscipere cupientes an. 1409. a Ioanne abbate S. Georgii in congregationem sunt suscepti, ac regulam Benedictinam professi. Hi quidem postea locum illum sororibus de tertia regula S. Francisci inclusorii in Uttingen ad inclusorium ibidem faciendum concessione Ottonis ep. Constantiensis an. 1426. reliquisse dicuntur: moniales tamen ibidem pro superiore agnovisse abbatem S. Georgii, ordinem S. Bened. professas,

ex

SECULUM XV. ex aliis ſubſequentium annorum chartis, quæ in S. Georgii archivio ſervantur, palam fit: feuda item ibidem habuiſſe S. Georgii monaſterium, docet charta Petri abbatis de Alpirſpach, nec non teſtimonium Henrico abbati S. Georgii an. 1441. & 1443. præſtitum a Wernero Murer de Ginsdorf, conventuali Alpirſpacenſi.

Inter easdem chartas reperitur etiam cenſitica pro cella Kniebus ad monaſterium Alpirſpacenſe pertinente an. 1474. data nomine Prioris Iacobi de Steinhylip & conventus in Kniebus, cui teſtis quoque ſubſcribit Georgius Prior in Rippolzau cella S. Georgio adhucdum unita. Vendidit autem vi chartæ illius monaſteriolum, ut ibi notatur *Gottshuslin*, cenſus octo florenorum monaſterio in Alpirſpach. An. 1425. compoſitio quædam facta legitur inter Petrum Hanke abbatem in Alpirſpach, & Ioannem Munzer Priorem in Rippolzau. An. 1444. inter eumdem abbatem & Ioannem Fryguff Priorem in der Rorhalten by Rottenburg ord. S. Pauli Eremitarum. An. 1425. Reichenbacenſes & Rorhaldenſes ſocietatem inierunt. a)

a) *Kuen ſcript. rer. monaſt. T. II. p.* 45.

Alpirſpach. XXVII. Initio ſec. XV. occurrit Henricus abbas Alpirſpacenſis, ſub eoque Petrus dictus Hagke ſacerdos monachus & Prior an. 1407. notatur. Proſtat transactio inter hunc abbatem & Conradum de Furſtenberg facta an. 1411. Henricus abbas legitur adhuc in charta anni 1413. mortuus anno ſequente, teſte Cruſio b). In chartulario monaſterii S. Georgii extat chartula venditionis & emtionis an. 1418. inter abbatem S. Georgii Ioannem & Hugonem Alpirſpacenſem. Legitur eodem anno 1418. Hugo abbas in bulla Martini V. qua privilegia monaſterii Alpirſpacenſis, imprimis exemtionem a ſecularibus exactionibus, confirmat apud Beſoldum: notatur idem etiam in Sigismundi imp. confirmatione omnium privilegiorum eiusdem monaſterii an. 1424. Paucis ante annis eidem abbati & conventui abbas Gengenbacenſis vendidit cenſus quosdam vici in Rumlisdorff, teſte eodem Cruſio c). Præfuit Hugo an. 1429. capitulo provinciali ordinis noſtri Bambergæ cum Georgio Caſtellenſi, Arturno S. Petri Erfurtenſi, & Henrico de Gulpen S. Ægidii in Nurnberg abbatibus.

b) *Annal. Suev. P. III. L. VI. c.* 10.

c) *Ibid. c.* 13.

Reformatio monaſterii Alpirſpacenſis Wiblingenſi in acceptis refertur, ſub Eraſmo Marſchalk, Hieronymo Hulzing, Victore Nigri, Georgio Swarz, ut tamen reformationis in Suevia auſpicium Felix Fabri in annalibus Sueviæ repetat ab anno 1435. Udalrico Habluzl auctore, cujus magiſterio efformati monachi iſti Wiblingenſes, ſucceſſive abbates fuere poſtulati in Alpirſpacenſi cœnobio, uti legere eſt in *templo honoris*

ris monasterii Wiblingensis. Ibi namque Erasmo Marschalk Hieronymus Hulzing an. 1447. in abbatia Alpirspacensi successisse dicitur, errore ut videtur typographico; quum eo anno, imo antecedente iam 1446. Conradus abbas Alpirspacensis in charta notetur: in chartis vero an. 1433. 1435. usque ad an. 1443. Petrus Hagum seu Hauck abbas, quem Crusius a) Haggum appellat ad an. 1446. Occurrunt inde an. 1451. Volmarus, an. 1455. Andreas de Neunecke. An. 1456. iterum Conradus abbas apud Besoldum legitur in Fridericiana confirmatione privilegiorum, quo tamen tempore ex sententia Wiblingensium Hieronymus Hulzing monachus Wiblingensis abbas fuerit Alpirspaci. Sub eo Victor Nigri monachus itidem Wiblingæ, Prior conventus Alpirspacensis, & animarum pastor vigilantissimus, ac zelo divino succensus fructus haud contemnendos fecisse, atque insignia animarum lucra reportasse ibidem memoratur: dignissimus proin habitus, qui post Hieronymum disciplinæ moderandæ habenas susciperet, ex Priore monasterii electus pater, & abbas, mortuus an. 1475. Georgius eius per septennium successor obiit an. 1482. Alii Erasmum an. 1471. Georgium an. 1472. Hieronymum an. 1480. Gerardum an. 1494. memorant. Georgius & Hieronymus notantur in veteri necrologio Amptenhusano, ille ad 14. hic ad 19. Kal. Aprilis.

SECULUM XV.

a) *L. c. P. III. L. VII. c. 6.*

Hæc vero quomodo conciliari possunt cum chartis an. 1455 usque 1468. in quibus occurrit Andreas de Neunecke abbas Alpirspacensis, quem Crusius b) ad an. 1460. controversiam habuisse notat cum priorissa parthenonis in oppido Oberndorf: paullo vero ante an. Domini 1459. 18. Kal. Maii. obiisse dominum Gregorium, qui fuerit monasterii huius ex primis reformatoribus abbas primus: de quo nihil uspiam invenire licuit circa illa tempora. Trithemius in annal. Hirsaug. Bernardo abbati Hirsaugiæ inter alia octo cœnobia reformata primo loco attribuit Alpirspacense, unioni Bursfeldensi incorporatum, quod ipso iam ad an. 1416. attestante, in diœcesi Constantiensi unicum fuerat reformatum O. S. B. monasterium. Est quidem Wiblingense pariter eiusdem diœcesis cœnobium, illud tamen, ut infra videbimus, Mellicensi potius reformationi vel Castellensi addictum. Uti vero testatur P. Romanus Hay in *astro inextincto* c), Alpirspacense monasterium an. 1482. in congregationem Bursfeldensem est receptum, præsentatis per Hieronymum eiusdem loci abbatem litteris promotorialibus Eberhardi comitis de Wirtemberg. De isto abbate iam supra, quem Besoldus in charta an. 1488. notat, qui annus cum Wiblingensium elencho citato minus convenit. Rem, prout inveniri potuit, a nobis propositam discutiant alii.

b) *L. c. P. III. L. VII. c. 13.*

c) *pag. 231.*

SECULUM XV.

Monasterium S. Petri.

XXVIII. In memorato paullo ante Amptenhusani parthenonis Necrologio, quum solertissimus S. Georgii abbas Georgius Geisser legisset Benedictum abbatem, neque synonymum inter suos antecessores reperiret, illum fuisse Benedictum de Thanheim coniectatus est, qui Friburgo Brisgoiæ oriundus monasterii S. Petri in Nigra silva abbas fuit, Erhardo circa annum secularem 1400. defuncto suffectus. Mortuus non ita multo post, incertum quo anno. Gallia christiana a) Erhardi mortem ad an. 1403. Benedicti ad an. 1405. consignat. Abbatiam reliquit Ioanni II. qui tamen in antiquo catalogo haud legitur, confusus cum suo successore Ioanne III. cognomine Canzler, quem unus catalogorum, qui sub oculis sunt, anno 1409. alter an. 1411. obiisse vult. Henricum is de Oettingen successorem est nactus, hicque an. 1414. mortuus Henricum de Hornberg, quem iam memoravimus a Martino P. anno 1417. contra Fridericum de Zollern abbatem Augiensem fuisse constitutum, qui Fridericus an. 1402. electus absque benedictione abbatiam æmulo suo reliquit, numquam, dum vixit, quiete possidendam. Eodem uterque anno 1427. obiit. Henricus paucis septimanis superstes in Augia sepultus est, die IV. Nov. mortuus, quem Gallia christ. b) distinxisse videtur ab abbate San-Petrino, quum hunc iam an. 1420. defunctum scribat. Sub hoc abbate advocatia ad ipsum monasterium rediit, cuius pii fundatores Zaringenses Bertholdus II. & IV. ut ab advocatorum exactionibus & oppressionibus tutum præstarent monasterium, id primum, ut in rotulo fundationis legitur, caverunt: *primum fuit donationis exordium, numquam aliquem huic cellæ præponere advocatum.* Nihilominus temporum iniquitate factum est, ut advocatia hæc ad comites de Friburg materna ex stirpe a Zaringensibus oriundos deferretur, qui illam etiam Ioanni de Blumeneck pro 600. fl. locarunt, quo eodem pretio an. 1420. redemta ad monasterium postliminio rediit.

a) *T. V. pag.* 1057.

b) *L. c. & p.* 990.

Sub Henrici apud S. Petrum successore Ioanne IV. monasterium an. 1437. igne conflagravit. Ioannes vero an. 1439. fatis cessit, paucisque post annis an. 1443. eius successor quoque Iacobus II. Vogt de Alten-Summerau. Sub eo an. 1441. Wilhelmus marchio Badensis, teste Schœpflino c) advocatiam monasterii ex abbatis & conventus manibus redemit, atque dynastiæ Badenvillanæ coniunxit. Nihilominus monasterium hoc a Friderico III. imp. an. 1443. statibus imperii adnumeratum, eiusque matriculæ fuit insertum. Post Iacobum Conradus de Hoffen primus abbas infulatus fuit: cui circa an. 1448. mortuo successit Burchardus de Mansberg, eique an. 1453. Ioannes V. de Kuffenberg, qui an. 1469. præposituram Herzogenbuchse in Helvetia ditionis Bernensis, dein

c) *Hist. Bad. lib. III. §. 29.*

ad-

administrationem monasterii usque ad an. 1472. postea etiam pedum infulamque abbatialem reliquit Petro II. Einhart de Wilheim. Huic & successoribus ab Ottone ep. Constantiensi an. 1487. datum est privilegium, portandi almutium, in argumentum gratitudinis ob exantlatos labores & merita de episcopatu & ecclesia Constantiensi. Obiit an. 1492. habuitque successorem Simonem Budner. In confirmatione privilegiorum huic abbati an. 1498. data, Maximilianus I. imp. monasterium ad immediatos imperii status pertinere dicit, uti iam seculo præterito Carolus IV. imp. an. 1361. idem pro futuris perinde ac præteritis temporibus statuens, certum id ac exploratum agnoscit: tandem vero Austriæ archiduces acceperunt monasterium hoc in sua. SECULUM XV.

XXIX. Doctissimus S. Petri abbas Philippus Iacobus, in libro vernaculo de vita & monasterio S. Udalrici in Nigra silva, affert chartam Oswaldi comitis de Tierstein, vergente iam hoc sec. XV. a Sigismundo Archiduce Alsatiæ & Brisgoiæ præfecti, qua etiam in protectionem Austriacam suscipit monasterium hoc S. Udalrici Ord. S. Bened. seu quod perinde est, Cluniacensis, prout promiscue hoc sec. XV. fuit adpellatum, illud quidem ineunte seculo in charta an. 1409. qua Philippus Thalome Conrado Rotkam dimidiam horti partem in Hegglingen pro annuo censu tradit: hoc in instrumento Thomæ suffraganei Constantiensis, dum sub Paulo de Tünheim post Hugonem de Morsperg (qui in charta an. 1415. occurrit, & Ioannem de Breittingen) Priore apud S. Udalricum, reconciliato monasterio seu ecclesia, quæ incendio perierat, cum cœmeterio, quatuor altaria, & duo quidem in honorem S. Udalrici, unum in choro, & alterum in navi ecclesiæ pariter a se dedicatæ an. 1464. consecravit. Anno sequente autem Nicolaus Symundi, presbyter, custos & prædicator eiusdem monasterii Romam missus Breve indulgentiarum impetravit, pro conferentibus eleemosynam in expensas ad restaurandum monasterium, *retro actis temporibus igne crematum lamentabiliter adeo, quod in suis muris, structuris & ædificiis, ac ornamentis ecclesiasticis non parum collapsum & damnificatum fuit &c.* Coniicere licet, idem triste fatum non ita multo post rursus contigisse monasterio, quum Daniel episcopus Bellinensis Ottonis Constant. episcopi vicarius in spiritualibus generalis, se iterum ecclesiam dedicasse, & ambo S. Udalrici altaria consecrasse in authenticis litteris an. 1489. testetur, sub eodem Priore Paulo de Tünheim, post quem an. 1492. Iodocus Erny primum in chartis Prior legitur. Cella S. Udalrici.

SECULUM XV.

Seldense & Waldkirchense monialium cœnobia.

XXX. Substitit adhuc sec. XV. propinquum S. Ulrico O. S. B. cœnobium eiusdem instituti Cluniacensis in Selden, ex Bolsweil, ut suo loco diximus, illuc translatum. Unus ad an. 1408. Henricus Wanner Præpositus in Selden, Basilea oriundus & civis Friburgensis, venit in notitiam. Ex archivio episcopali Basileensi palam fit, an. 1497. & 1498. Iacobum de Ambrosia abbatem Cluniacensem commisisse Christophoro de Utenheim custodi ecclesiæ cathedralis postea episcopo Basileensi, ut ceu vicarius suus in spiritualibus æque ac temporalibus rem ageret in utroque monasterio S. Udalrici & Selden, ob supinam Prioris de Disteing in S. Udalrico incuriam, ac præsens periculum parthenonis Seldensis, qui ad interitum vergebat hoc seculo XV. Idem fatum perinde experta sunt alia nonnulla familiæ Benedictinæ virginum monasteria in silva nostra Nigra, illustre cumprimis S. Margarethæ Waldkirchense. Commune id nempe fuit aliis quoque celebrioribus utriusque sexus cœnobiis, ut a potiori nobilitate, unde ornari se sustentarique credebant, ad incitas demum redigerentur.

Obiit an. 1419. Anastasia ex comitum Palatinorum Tubingensium familia, Waldkirchensis abbatissa, dum postea unam dumtaxat superfuisse ibi monialem, litteræ Sigismundi imp. an. 1434. produnt, quibus consensum præbet, ut illud in collegium canonicorum secularium transmutaretur, prout a Iuliano Cardinali in concilio Basileensi an. 1431. provisum fuerat. Mirum videatur illo, quem vidimus parthenonis Waldkirchensis statu: *quod nobilis & religiosa domina Agatha*, ut apud Schœpflinum in historia Badensi a) ex originali an 1420. refertur, nata quondam nobilis viri Domicelli Hessonis, domini olim in Usenberg, monialis S. Margarethæ prope Waldkirch Ord. S. B. Constant. diœc. postquam 24. annos & ultra in monasterio in Künigsfeld ord. S. Claræ Constant. diœc. versata fuisset, atque adeo paternam hereditatem & omnia bona reliquisset, dictum monasterium intraverit.

a) *Cod. prob. P. II. p. 113.*

Alba Dominarum item.

XXXI. Superest etiamnum parthenium Alba Dominarum O. S. B. quod an. 1403. perinde ac eiusdem regulæ monasterium virorum Alba Dominorum Cisterc. ord. ab eodem torrente Alba dictum, igne conflagravit, iniecto a militibus marchionis Badensis cum Ruperto R. R. arma conferentis hoc etiam propter monasterium. Pace opera Friderici Colon. Archiepiscopi & Friderici episcopi Ultraiectini pacta, de monasterio Albæ Dominarum conventum est, ut Cæsar de eo ex sententia trium Rhenensium Electorum statueret. Fuerat initio huius seculi XV. abbatissa huius monasterii Margaretha comitissa de Eberstein, an. 1404. mortua iuxta epitaphi-

taphium apud Schannatum a), ubi mox alterum hoc subiungitur: *anno Dom.* 1443. *Margaretha de Wingarten abbatissa obiit.* Sunt, qui hic Elisabetham de Wingarten interponant, an. 1414. defunctam, Gertrudem item de Wingarten ante Margaretham an. 1443. mortuam: quum tamen in diplomate Sigismundi imp. an. 1431. Erlinda de Wingarten abbatissa nominetur, in charta autem anni 1493. Margaretha de Wingarten, cui alii Catharinam de Wingarten postponunt ab an. 1488. usque 1495. Agnetem vero de Gertringen an. 1474. vel 1475. mortuam Margarethæ de Wingarten anteponunt, alii duas eius nominis, quarum altera an. 1443. altera an. 1482. obierit. Margarethæ abbatissæ an. 1470. litteras commendatitias ad episcopum Spirensem a Carolo marchione Badensi datas fuisse, Schœpflinus in historia Badensi b) memorat. Postrema sec. XV. abbatissa fuit Margaretha de Zorn, quam an. 1503. convenit utraque pars Badensis & Albensis, ex impressis nuper scriptis pro & contra immunitatem seu immediatam imperii huic monasterio competentem libertatem.

SECULUM XV.

a) *Vindem. litt. collect. I. pag.* 153.

b) *Lib. IV.* §. 183.

XXXII. Iam meminimus supra, utrumque monasterium, Albam Dominorum & Dominarum, an. 1403. incendio conflagrasse, occasione belli Rupertum imp. inter & Bernardum marchionem Badensem horumce monasteriorum causa suscepti. Extat apud Besoldum c) diploma eiusdem Ruperti an. 1401. quo illud monasterium in sua recipit, suumque imperatoris esse ius statuit, eis dandi advocatum, in absentia autem imperatoris liberum relinquit monasterio eligere sibi protectorem. Sequitur mox altera eiusdem Ruperti charta an. 1403. mense Maio data, qua abbati & conventui præcipit, ut muris, turribus & fossa monasterium cingant. Quæ ipsa res ansam præbere incendendi eodem anno monasterii, ac facile etiam mortem abbatis accelerare potuit Marquardi, qui Henrico abbatiam an. 1403. reliquit ex fide epitaphii apud Schannat d): *an. Domini* 1403. *die Cyriaci martyris obiit venerabilis Dominus Marquardus abbas.* Quem vero Henricum vocat Crusius e), fuisse videtur Henricus III. an. 1403. in locum defuncti Marquardi electus, eo quo an. 1408. libertas monasterii asserta est a Ruperto imp. Bernardo marchioni iam reconciliatus, uti apud laudatum Besoldum legere est, diploma quoque eiusdem Ruperti imp. an. 1415. quo omnia antecessorum suorum privilegia confirmantur. Sequitur chirographum Conradi abbatis & conventus monasterii, quo Eberhardum seniorem, & iuniorem filium comites Wirtembergiæ ad dies vitæ in dominum & protectorem eligunt an. 1416. uti & an. 1419. Ludovicum & Ulricum fratres: quod idem an. 1427. repetit Henricus IV. abbas cum suo conventu, dicti

Alba Dominorum Ord. Cisterc.

c) *Doc. rediv. T. I. p.* 95.

d) *Vindem. litt. collect. P. I. p.* 152.

e) *Annal. Suev. P. III. L. VII. c.* 12.

SECULUM XV.

Conradi III. succeſſor, primo ſtatim regiminis anno. Eidem Henrico Sigismundus imp. an. 1435. confirmat omnia privilegia & libertates, nominatim a Carolo IV. & Ruperto impp. atque ab ipſo Sigismundo adhuc Romanorum rege conceſſas. Quæ quidem omnia apud Beſoldum extant, ac deinceps duæ Pii II. P. bullæ an. 1459. quarum prima monaſterio omnia ſuorum anteceſſorum indulta privilegia rata habet, altera vero Ioanni abbati facultatem concedit, mitra aliisque pontificalibus utendi.

Fuit hic Ioannes ſecundus huius nominis, qui mortuo Henrico iuxta catalogum huius monaſterii mecum communicatum Henrico IV. anno 1450. ſucceſſit, huicque Ioannes III. de Horw, an. 1456. Hic vero inſerendus foret Henricus Magſtat, qui iuxta epitaphium apud Schannatum *anno Domini* 1459. 18. *Kal. Decemb. obiit venerabilis in Chriſto pater & Dom. Henricus de Magſtat XI. abbas huius loci:* ubi tamen confuſi videntur Henricus III. Marquardi an. 1403. ſucceſſor, & cognominis Henricus hic IV. Magſtat, quem Cruſius venerabilem in Chriſto virum nominat. Quod ſi citato Schannati catalogo fides adhiberi velit, ambæ ſupra memoratæ Pii II. bullæ datæ an. 1459. prior quidem III. Kal. Dec. ſeu 29. Nov. poſterior VII. Id. Dec. ſeu 7. Dec. die Ioanni abbati data, poſt mortem primum Henrici abb. conſignandæ forent. Ioannes iſte de Horb fuiſſe dicitur in memorato catalogo mihi ſubmiſſo, cui an. 1460. Ioannes de Udenheim ſucceſſerit. Sed hic rurſus repugnat citatum epitaphium apud Schannat, in quo Ioannes de Derdingen ita notatur: *Anno Domini* 1466. *ipſo die Epiphaniæ obiit dominus Ioannes Derdingen, XII. abbas huius loci, cuius anima requieſcat in pace, amen:* ad quem adeo pertinent ſequentes apud Beſoldum chartæ Friderici III. imp. an. 1461. & Eberhardi comitis de Wirtemberg an. 1465. Sequitur dein alterum epitaphium Ioannis: *Anno Domini* 1478. *XI. Kal. Iunii obiit venerabilis in Chriſto pater & Dominus Ioannes, XIV. abbas huius loci;* atque hunc fuiſſe Ioannem de Udenheim, ſcribit Gallia Chriſtiana a): quæ tamen ante eum refert hoc epitaphium, neſcio unde deſumtum: *anno Domini* 1469. *V. Kal. April. obiit D. Ioannes de Horba, XIII. abbas huius loci. Requieſcat in pace amen.*

a) T. V. pag. 759.

Idem Mſc. catalogus Ioannis de Udenheim ad an. 1478. ſucceſſorem ponit Nicolaum, de quo legitur apud Schannatum, conſentiente etiam Cruſio, ſequens epitaphium: *anno Domini* 1485. *XI. Kal. Auguſti obiit venerabilis in Chriſto pater dominus Nicolaus Wagenlaiter de Oberczrode, XV. abbas huius loci;* qui tamen eſt iuxta catalogum mecum communicatum abbas loci decimus ſeptimus: & recte quidem, ſi ſupra memorati inſe-

inferantur vulgato in Gallia Chriſtiana & Schannat catalogo, quum ex chartis indubii fuerint Albæ Dominorum abbates. Nicolai ſucceſſor Bartholomæus de Rechtberg ex celeberrimis fuiſſe abbatibus perhibetur, Eberhardo barbato Wirtembergiæ duci chariſſimus, ab eius conſiliis, quæ multi in adminiſtratione ponderis fuerunt. Is apud Beſoldum an. 1496. cum ſuo conventu Eberhardum tutorem agnoſcit: mox vero ſequitur anno ſequente inſtrumentum procuratorium ſeu gravatorium ſuo & conventus nomine apud imperatorem Maximilianum contra eumdem ducem; nec non & apud Schœpflinum transactio Eberhardi ducis & Chriſtophori Badenſis cum Maximiliani I. imp. confirmatione ſuper advocatiam monaſterii, anni eiusdem, ad quem rem omnem ediſſerit Trithemius in chronico Hirſaugienſi. Rei totius ac controverſiæ originem ſuperioribus iam libris indicavimus, a familia Eberſteiniana exortam, ex qua hoc etiamnum ſeculo XV. ibi ſepultorum comitum epitaphia citatus Schannatus exhibet a). Cruſius vero b) multarum familiarum inſignia in eodem monaſterio notat, uti Wirtembergenſium, Badenſium, Calvenſium, Nellenburgenſium, Berwangenſium, Stœffeliorum, Landenbergenſium, Richtenbergenſium, Reiſchachenſium, Spetorum, Nippenburgenſium, Berningenſium, Michelbachenſium, Kyngſpachenſium, Gyltlingenſium, Lamersheimenſium, Smalſteinenſium, Remchingerorum, Sickingenſium, Windeckerorum, Strubenhartenſium, cæterorum.

SECULUM XV.

a) *L. c. p.* 151.

b) *P. III. Lib. VII. c.* 13.

XXXIII. Tennenbacenſe alterum eſt ordinis Ciſtercienſis in Nigra ſilva monaſterium, ſub regula S. Benedicti quidem, a nobis vero monachis nigris nomine magis & colore, quam inſtituto diſtincti. Oſtentat etiam hoc monaſterium illuſtriſſimarum familiarum ſepulcreta, comitum Uracenſium ſeu Friburgenſium, marchionum item Badenſium ex linea Hachbergica, cui etiam ſtirpi Imperatores (ſub quorum protectione immediata fuerat monaſterium) advocatiam detulerunt: quam quidem uſque ad an. 1475. conſervarunt, quo eam Sigismundus archidux Auſtriæ ſuſcepit. Apud Schœpflinum c) habetur charta, qua Carolus marchio Badenſis teſtatum facit, ſe a Burchardo abb. & conventu Tennebacenſi in advocatum eſſe electum an. 1453. Extat charta an. 1462. in archivio Auſtriaci regiminis Friburgi, qua Egenolff & Rudolph Kuchlin nobiles equites fratres Burchardo abbati & conventui Tennenbacenſi alteram partem Vogteiæ vici Kichlinſperg tradunt cum conſenſu Suſannæ abbatiſſæ vallis Andela. In Gallia chriſtiana d) decimus octavus numero abbas cenſetur Burchardus II. cum magna ſubſequentium etiam ſerie, ſed abſque omni nota chronologica, ut adeo nihil certi aſſertique ſine ulteriore luce ſtatui poſſit.

Tennenbach.

c) *Cod. diplom. hiſt. Bad. P. II. p.* 337.

d) *T. V. pag.* 1089.

XXXIV.

SECULUM XV.

Parthenon in Guntherstal.

a) *Ib. p.* 1094.

XXXIV. Plura profert Gallia Christiana a), quod seriem attinet abbatissarum nobilis parthenonis in Güntersthal, ad paternitatem monasterii Tennenbacensis etiamnum spectantis. Prima, quæ seculo hoc XV. diem suum an. 1418. obiisse dicitur, Dinana censetur, qua abbatissa an. 1414. Crucifixi imago singulari Dei providentia miraculose ex aquis servata perhibetur. Sub Mechtilde de Falckenstein post Adelheidem de Munzingen & Margaretham Brunerin abbatissa, ingens illa, Bruschio & Crusio memorata inundatio accidit in Brisgoia an. 1480. festo S. Magdalenæ, quæ Friburgi pontes, telonia, vicina plurima ædificia & multa molendina sustulit. Stagnabat aqua in toto cœnobio Guntheriano hominibus umbilicotenus in peristylio ac templo in ea consistentibus: atque e cœmeterio saxa quoque sepulchralia rapiebat. Aufugerunt moniales in vicinum collem, ubi in casa rustica Deum & Sanctos precibus onerabant. Hæc Crusius, cum magno nobilium familiarum & monialium catalogo. Has inter primo loco recensetur D. Verena Tegelina, postea abbatissa electa primum post mortem Mechtildis an. 1482. quum semel abdicasset, iterum etiam contra voluntatem electa, mortua an. 1492. iuxta Galliam Christianam & abbatissarum catalogum, qui præ oculis est. Apud Crusium post Verenam Tegelinam notatur D. Agnes de Gusslingen priorissa, postea an. 1487. abbatissa. Post complures vero alias moniales occurrit Veronica de Mulnheim procuratrix, dein abbatissa, soror Conradi abbatis Gengenbacensis, mortua an. 1508. quarto regiminis anno.

Wilhelmitæ in Oberried & suburbio Friburg.

XXXV. Quos suo loco memoravimus monachos sub regula S. Benedicti ex instituto S. Wilhelmi (cuius ordinis privilegia in concilio Basileensi an. 1435. confirmata a Bollandistis referuntur) monialibus Guntersthalensibus in secessu Nigræ silvæ successisse, fuerant sec. XV. partim in Oberried, Wilhelmitæ in Silva dicti, reliqui in suburbio Friburgensi subsistebant. Huic monasterio Cella Mariæ, illi Corona S. Mariæ nomen inditum erat, utrumque Priori suberat, Provincialem vero sec. XV. habebant Ioannem Kuorz Priorem Portæ cœli in Tennenbach. Priores in utroque monasterio uti & monachi circa hæc tempora passim erant nobiles, veluti in Suburbio ad finem seculi superioris & ineunte sec. XV. Conradus de Falkenstein, & Martinus de Riehin: in silva seu Oberried, Henricus Berenlapp de Bollsweil, & Iodocus de Falckenstein œconomus. Anno 1412. monasterium Coronæ B. Mariæ in silva igne conflagravit, litteris senatus Friburgensis ubique pro eleemosyna propterea commendatum. Res tamen iterum sunt restitutæ, gratia etiam principum Austriæ; ex quibus Albertus Archidux an. 1457. quemcumque futuris

turis

turis quoque temporibus Priorem Oberriedanum Sacellanum suum nominavit, cum prærogativis, quæ aliis quibusvis Capellanis & Prælatis competunt. Seculum XV.

Celeberrimus exeunte sec. XV. & ineunte sec. XVI. theologus Iac. Wimphelingus, dum Friburgi erat, veluti in eremitorio quodam apud Wilhelmitas in suburbio degebat, datis subinde litteris *ex heremitorio divi Guilhermi in suburbio Friburgensi:* in litterarum quoque inscriptione eremitam se appellat silvæ Hercyniæ peccatorem. Dum vero eidem odium in monachos obiiceretur, id etiam excusationis loco adfert, quod apud Argentinenses & Friburgenses Guilelmitas singulariter hospitium delegisset, quodque magnam voluminum suorum partem in bibliothecas monasteriorum S. Benedicti, canonicorum regularium & Fratrum mendicantium dudum dispersérit: quæ cum aliis legi possunt in Iosephi de Riegger amœnitatibus litter. Friburgensibus a). Wimphelingi iacta in monachos tela retudisse P. Langius in chronico apud Pistorium b) testatur iussu & instinctu Trithemii: *Scripsi*, inquit, *contra eum*, *imo eius deliramenta*, *opus bipertitum in laudem & defensionem claustralium omnium.*

a) *Fascic. I. & II.*

b) *Script. rer. Germ. T. I. p. 1262. seqq.*

XXXVI. Superest Carthusianorum monasterium sub promontorio Nigræ silvæ urbem Friburgensem attingente situm, quod, uti generatim ordo Carthusianus sec. XV. viros doctos produxit, ac insignes inter alios Priores, aliis etiam Carthusiis præfectos. Sunt hi medio seculo Ioannes professus Coloniæ, alias Prior domorum Rutilæ, Rurimundæ, Portæ montis, Basileæ & Friburgi. Marcus de Spira eius successor, vicarius S. Paulæ & Portæ montis, alias Prior dictæ domus an. 1464. Ioannes Nicolai professus Argentinæ, alias Prior Rutilæ & Friburgi, & convisitator Provinciæ Rheni, ob. 1476. N. professus & Prior Friburgi & Boni lapidis ob. 1483. Wernerus an. 1486. cui successit Ioannes Keslin artium magister & decretorum doctor, alias Prior domus Throni B. Mariæ in Gemnico, visitator Provinciæ Alemannicæ superioris, & convisitator Provinciæ Rheni: sub quo privilegia antecessorum suorum archiducum Austriæ sec. XIV. & XV. non solum confirmavit, verum etiam iniuncta eis, qui iura monasterii infringere præsumserit, pœna 20. marcarum auri, an. 1495. corroboravit Maximilianus I. imp. Huic imprimis charus & a confessionibus erat P. Gregorius Reisch ex Balingen, qui ex visitatore Provinciæ Rhenanæ Prior Carthusiæ Friburgensis insignem, quæ superest a nuperrimo incendio, ex lapide quadrato ædificavit ecclesiam, in omni genere scientiarum experientissimus, auctor operis, quod *Margaritha philosophica* inscriptum, ineunte sec. XVI. non uno in loco editum fuit, magnoque in pretio habitum. Carthusia Friburgensis.

SECULUM XV.

Studium reformandi institutum monasticum sec. XV.

XXXVII. Mira fuit sec. XV. ordines religiosos, Benedictinum cumprimis reformandi contentio. Passim notavimus, quid hac de re actum sit in conciliis Constantiensi & Basileensi, quo an. 1441. profectus Iacobus Iunterburgius adhuc Cisterciensis sermonem habuit coram concilii Patribus. Sequente anno ordinem Carthusianum ingressus sanctissime vixit, mortuus an. 1465. de reformatione ordinum religiosorum optime meritus, & clarus pluribus opusculis, editis a Brownio, Pezio, Walchio, Klüpfelio, atque a nobis etiam. Quoad rem autem præsentem postea eum laudabimus.

Neque vero uti superioribus seculis, sic actum fuit sec. XV. ut novi veluti instituerentur ordines, dum reformantur veteres, vel etiam antiquantur, novis institutis, quibus potissimum id agebatur, ut contraria contrariis curarentur, quæ forte ceu vitia seu excessus, aut abusus in religiosa instituta sese insinuaverant. Haud ad nos nunc attinet, quod penes Silvam nostram molitus est institutum Eberhardus senior, seu barbatus Wirtembergiæ comes, ut in anonymi chronico Wirtembergensi apud Schannatum a) ad an. 1482. refertur. Romam is devotionis causa profectus, a Sixto IV. P. obtinuit auctoritatem & licentiam transferendi seculares canonicos ex collegiata ecclesia Aurach ad Herrenberg, atque in eorum locum reponendi Fratres, qui de communi vita cœnobitæ nuncupantur, eo quod Apostolorum exemplo sine proprio socialiter in communi sub uno præposito vivant. Extat Sixti IV. bulla iam anno 1481. data, qua clericos hosce seculares regulares ab Eberhardo in communi viventes institutos in Ecclesia S. Mariæ in Herrenberg adprobat, de quo laudatum chronicon ad annum 1487. b) memorat, his temporibus Eberhardum consummato monasterio in loco, qui nominatur ab antiquo Schonbuch, non monachos cuiuslibet adprobatæ regulæ, non canonicos regulares, non denique seculares; sed novum quoddam genus hominum, qui nullam alicuius ordinis regulam observant, verum in communi viventes, fratres de communi vita vocantur, in novam introduxisse domum, quam apostolica auctoritate erexerat, griseumque habitum in flavum commutavit, statuens, ut ordinis S. Petri nuncuparentur & essent; in cuius patroni memoriam clavem de albo panno lineo ante pectus tunicæ assutum portarent &c. c)

a) *Vindem. litter. coll. II. pag. 35.*

b) *pag. 36.*

c) *Vid. supra pag. 222.*

Neque etiam huc referimus frequentem hoc seculo Beghardorum Beginarumque metamorphosin: quibus ex vicinia nostra Basileæ expulsis ineunte seculo iussu quoque Constantiensis episcopi alio migrandum fuit,

quas

quas vero in orientali Nigræ ſilvæ plaga ordinem S. Benedicti in Beutelſpach adoptaſſe memoravimus, nec non & ſtudia ac conatus Wolframi abbatis Hirſaugienſis in reformandis Beghardis ſuæ ditionis, & removendis ab eorum conſortio Beguinis. SECULUM XV.

Ioannes Nider celebratiſſimus huius ævi Dominicanus paſſim ac generatim monaſteria nimium deformata conqueritur, multaque exiſtere ſolo nomine clauſtra deplorat. Ex noſtris Ioannes Trithemius, præterquam quod penthicum ſcripſerit de ſtatu & ruina monaſtici ordinis, in quo ad reformationem ſuſcipiendam claſſicum canit, idem agit paſſim in aliis quoque operibus ſuis, ipſemet expertus a) in ſuo Spanheimenſi monaſterio rebelles ingratos, quibus nuntium remittens pauperculam S. Iacobi Herbipoli abbatiam aſſumſit, *malens*, ut ait, *inter paucos habere pacem, quam cum multis iugem Deo & ſaluti adverſam contentionem.*

a) *Opp. ep. 31.*

Ceſſit tamen multis zeloſis abbatibus ſuſceptum paſſim ab ineunte ſec. XV. ad meliora ſuos revocandi inſtituta reformandique ſtudium. Talem Gobelinus Perſona ſynchronus in Coſmodromio ſuo ad annum 1403. laudat Wilhelmum de Monte Paderbornenſis monaſterii Benedictini abbatem. Huius exemplo ſtimulatus poſtea Io. Buſchius, qui canonicus quidem regularis & præpoſitus *Novi operis* prope Hallam, diverſorum tamen ordinum ac monaſteriorum utriusque ſexus reformator fuit inſignis, ut ipſe in libris reformationum & viſitationum plurimorum monaſteriorum a Leibnitio b) editis memoriæ prodidit hæc atteſtatus: *communiter ergo, ubi reformare monaſteria cœpi & tentavi, effectum bonum conſecutus ſum; quamvis in principio ſpeciales frequenter paſſus fui adverſitates, quæ tamen ſigna fuerunt futuræ proſperitatis. Dominus autem ſemper mecum fuit tamquam bellator fortis, præſtans mihi victoriam.* Raynaldus ad an. 1417. refert pariter Martini V. ſtudium in reſtituenda ordinis Cluniacenſis diſciplina, quippe qui a pietate ob ſchiſma valde deſciverat. Miſſus igitur illuc fuit Iacobus S. Euſtachii diaconus Cardinalis, qui, ut priſtinum regularis obſervantiæ ſplendorem reſtitueret in Biſuntino, Trevirenſi & Moguntino archiepiſcopatibus, præfecit viros religioſos & peritia conſpicuos, quos ab univerſis merito honore excipi iuſſit.

b) *Script. rer. Brunſw. T. II. pag. 476. 806. 819.*

Hæc nunc propius nos ſpectant tam ob ordinem Cluniacenſem in noſtram Nigram Silvam uſque ſeſe protendentem, quam propter Ordinis noſtri reformationem in provincia Moguntina, ad quam eadem ſilva pertinet, ubi opera imprimis fuit impenſa in reformandis monaſteriis Benedictinis in concilio Conſtantienſi cœpta. *Eo tempore*, inquit iam laudatus

tus Gobelinus Persona a), *quo concilium Constantiæ agebatur, abbates, priores & prælati cæteri Ord. S. Bened. de provincia Moguntina ibidem existentes, perpendentes quantum ordinis sui religio per dictam provinciam in ipsius ordinis & totius ecclesiæ scandalum mundanis illecebris obfuscata a regulari sua observantia indecenter deviaret, & quanto dominus rex* (Sigismundus) *erga reformationem status ecclesiastici ducebatur affectu, generalem reformationem universalis ecclesiæ in hoc prævenire cupientes, concordaverunt, quod omnia & singula monasteria dicti Ordinis per præfatam provinciam constituta Regulam S. Benedicti per omnia servare deberent, & ad hoc prosequendum & executioni plenariæ demandandum viri idonei per ipsam provinciam mitti deberent.* In eumdem modum Ioannes Trithemius in chron. Hirsaug. ad an. 1417. *Eodem anno*, inquit, *Patres de concilio Constantiensi memorato, considerantes sacrosanctum ordinem nostrum sub norma divi legislatoris monachorum Benedicti (de quo sancta mater ecclesia tot olim habuit Romanos Pontifices, tot Cardinales, archiepiscopos, prælatos & monachos doctrina & sanctitate insignes) nimia vivendi licentia collapsum, & totum pene miserabiliter in utroque statu desolatum ex eo maxime, quod a multis retro annis Capitula provincialia iure præcepta celebrari de triennio in triennium fuerint intermissa, neglectæ visitationes & nulla in monasteriis observantiæ regularis integritas.* Provocat sacrosancta & generalis synodus Constantiensis in decreto, eodem anno post celebratum in monasterio Petershusano *capitulum provinciale Ordinis monachorum nigrorum provinciæ Moguntinæ & diœcesis Bambergensis* ad constitutionem Benedicti XII. ea de re editam. Concilium quoque Basileense postea an. 1439. decretum (cuius Trithemius ad eum annum meminit, articulos simul faciendæ reformationis inserendo) eam in rem promulgavit, quo conscientiam eorum onerant Patres, ad quos pertinet, *ut quoties videbitur expedire, in quibusvis monasteriis & locis sæpe dicti ordinis, in quibus maior non viget observantia regularis, visitationis & reformationis officium fideliter & sollicite exercere secundum dictorum articulorum, quorum tenores inferius de verbo ad verbum annotari fecimus, continentiam atque formam auctoritate universæ ecclesiæ exercere curetis.*

a) *Cosmodr. at. VI. c. 96.*

Extant quoque Nicolai de Cusa card. S. Petri ad vincula, sedis apostolicæ legati, qui capitulo provinciali Herbipoli apud S. Sebastianum an. 1451. celebrato aderat, litteræ ad abbates & religiosas personas O. S. B. per provinciam Moguntinam: ac generales porro Sixti IV. P. an. 14[illegible]. in quibus inter alia nominatim stimulantur Nigræ silvæ monasteria,

ſteria, ob neglectum ad capitula provincialia acceſſum accuſata, S. Blaſii ſcilicet, S. Trudperti, S. Petri, S. Georgii. Ioannes Capiſtranus ordinis quidem S. Franciſci, cuius tamen opera, teſte Raynaldo ad an. 1437. etiam Eugenius IV. P. ad diſciplinam in monaſterio Caſinenſi reſtaurandam uſus eſt, in noſtram quoque Germaniam miſſus ad prædicandam contra Turcas cruciatam, hic etiam zelum ſuum demonſtravit. Seculum XV.

Laudavimus iam Udalrici abbatis Wiblingenſis in reformando ſtudium, in noſtram quoque Nigram ſilvam effuſum. De eo ex veteri tabula eiusdem monaſterii in *Templo honoris* hæc notata referuntur: *Udalricus Hablüzel, ſub quo incepit reformatio an.* 1435. *monaſterium maxime augmentabatur in ſpiritualibus & temporalibus, & ſtrenue vixit, ita ut ab ipſo monaſteria fuerint reformata, videlicet Auguſta Vindelicorum apud S. Udalricum, Hirſchau, Blaubeuren, Lorch, Elchingen, Alperſpach, Anhuſen, Echenbrunn.* Meminimus quoque litterarum Iuliani Card. Arelat. Baſilea datarum ad Ioannem Ochſenhuſanum, qui reformationis cauſa ad Mellicenſes conceſſerat, inde Viennam a Benedictinis Scotis abbas evocatus. Maxime ſiquidem tunc in illis plagis agitabatur reformatio, ut paullo poſt videbimus, multaque eam in rem collegit opuſcula Bernardus Pez in Bibliotheca Aſcetica, tomo VIII. imprimis. Unde id unum ſaltem notare licet, a Martino de Senging Mellicenſi in tuitionibus regulæ S. Bened. relatum, quod viſitatores auctoritate conciliorum Conſtant. & Baſil. inſtructos attinet: *Item dato*, inquit, *quod iſtiusmodi viſitatores eſſent boni zeli ad procedendum in ipſa viſitatione ſecundum rigorem iuſtitiæ, tamen per Iuriſtas, ubicumque locorum venerint, ſuperantur, ita ut nec os aperire audeant.* Dici non poteſt, quantum diſciplinæ monaſticæ perinde ac eccleſiaſticæ univerſim nocuerint formulæ forenſes, iuriumque contentio in forum eccleſiaſticum introducta. Id vero tunc maxime apud nos fuiſſe pernicioſum, ea produnt, quæ paullo poſt ſubdit a). *Eſt hoc*, inquit, *quod abbates miſſos viſitatores a ſacro concilio in diæceſibus Auguſtenſi & Conſtantienſi certorum monaſteriorum refutaverunt, & contemtibiliter egerunt, bene armati Iuriſtis ſibi aſſiſtentibus, & ſuum inde emolumentum pinguiſſimum capientibus nedum ab abbatibus tantum, ſed etiam ſequeſtrati a conventualibus.*

a) *L. c. T. VIII. p.* 512.

XXXVIII. Exemplo anteriorum temporum optimum pro reformando ordine noſtro viſum eſt conſilium, ſi unitis operis res agerentur, monaſteriis nimirum in unam congregationem coadunatis: cuiusmodi tres in Germania eſſe cœperunt ſec. XV. quibus laudata Concilii Conſtantienſis pro ordinis noſtri reformatione cura occaſionem dedit; ſeu, ut cum

Congregationes O. S. B. ſec. XV. inſtitutæ.

SECULUM XV.

Trithemio loquar, ex inſtitutione memorati concilii Conſtant. tres ordinis noſtri obſervationes ſeu reformationes in Germania ſumſerunt initium, Caſtellenſis videlicet in Bavaria, Mellicenſis in Auſtria, & Bursfeldenſis.

Agit idem Trithemius in chronico Hirſaug. ad an. 1404. de reformatione Caſtellenſis monaſterii in Bavaria, diœceſi vero Eichſtattenſi, *cuius eo tempore abbas nomine Otto, vir inſignis, prudens & religioſus, divino ſuccenſus amore ſe imprimis, deinde monachos ſuos ad regulæ puritatem inſtituit, & monaſterium ſuum in utroque ſtatu ſucceſſive magnifice reformavit. Supervenit poſt decennium Conſtantienſis auctoritas concilii, per quam iam dicta reformatio Caſtellenſis etiam in alia Bavariæ Sueviaque monaſteria fuit diffuſa.* Bernardus Pezius a) ex Mſc. S. Udalrici Auguſtæ libellum exhibet de monacho ad exemplum Chriſti crucifixo, cui titulus eſt: *Tractatus reformatoris monaſterii Caſtellenſis.* Itemque b) libellum epiſtolarem quæſtionum regularium ſanctimonialium virginum, ubi c) ita loquitur: *Dominus Prior in ſpecu S. Benedicti anno præterito in iubilæo* (anno 1400.) *cum fuiſſem ibidem, inter cætera dubia Regulæ, quæ movebam, ipſe reſpondit, quod ſcapulare ſit proprius habitus monachorum.* Ad finem legitur: *F. Franciſcus monachus in Caſtello ordinis S. Benedicti.* Haud dubie a ſuo abbate pro addiſcendis ritibus ac diſciplina monaſtica eo miſſus. Trithemius, paſſim ſua adhuc memoria factum interitum huius reformationis luget in chronico Spanheimenſi, oratione lugubri habita anno 1493. item de duodecim excidiis diſciplinæ monaſticæ. Idem tamen in chron. Hirſaug. ad an. 1420. celebrat Ioannem monachum Caſtellenſem, qui inter alia in regulam S. Benedicti duo magna volumina ſcripſerit, ſermones quoque multos & varios non inelegantes ad monachos. Commodo hæc ſane fuerunt Ottoni abbati ad cœptam reformationem Caſtellenſem proſequendam, quæ tamen nuſpiam legitur Nigram ſilvam noſtram penetraſſe, quod vero de duabus alteris conſtat, Mellicenſi primum, dein & Bursfeldenſi.

a) Bibliothec. Aſcet. T. IX. pag. 195.
b) pag. 217.
c) Cap. 3.

Mellicenſis paullo poſt concilium Conſtant. cœpta eſt an. 1418. Nicolao de Dynckelſpühel rectore academiæ Viennenſis (qui antea religioſam iuventutem Mellicenſem tam philoſophicis quam theologicis diſciplinis imbuerat) primum ſuggerente conſilium religioſiſſimo Archiduci Alberto, uti legere eſt in chronico Mellicenſi P. Anſelmi Schram ad eum annum. Ad rem vero expediendam conſultum exiſtimavit advocare Nicolaum Seyringer de Matzen, patria Auſtriacum, Priorem tunc temporis ſacri ſpecus & monaſterii S. Annæ prope Neapolim, quem nonnulli cum Nicolao de Dynckelſpühel confundere videntur. Conſue-

ſuetudines Sublacenſes Nicolai de Matzen leguntur in codice Einſidlenſi, & ſine nomine auctoris in San-Gallenſi, editæque ſunt a P. Anſelmo Schram in chronico Mellicenſi a), & a Bernardo Pezio ordo diurnus per annum in monaſterio Sublacenſi ſervari ſolitus b).

SECULUM XV.

a) pag. 320.
b) Bibl. Aſcet. T. VIII.

Necdum Caſinenſis congregatio tunc coaluerat, quæ, perinde ac Burſfeldenſis, ineunte iam ſeculo XV. parvis initiis effloreſcere incipiebat ex monaſterio S. Iuſtinæ Patavino prope extincto. Novis colonis illuc ex monte Olivetano accitis præfectus eſt abbas Ludovicus Barbus, qui brevi tempore monaſticen in ſuo monaſterio, & congregationem incepit tam celeri curſu, ut iam an. 1417. a Martino V. confirmari potuerit, dum Mediolanum tranſiret. Credibile eſt, Ludovicum Barbum in concilio Conſtantienſi præſentem cœptam ibi provinciæ noſtræ Moguntinæ reformationem plurimum iuviſſe, maxime vero in concilio Baſileenſi, ubi inter præſidentes ab Eugenio IV. conſtitutos numerabatur. Extat eius epiſtola poſt ſuum a Baſilea diſceſſum ſcripta ad abbates ibidem pro capitulo generali provinciæ Moguntinæ congregatos. Reformatio autem ab eo in Italia inſtituta necdum tunc interiorem etiam Italiæ partem, in qua S. Benedictus inſtitutum inceperat, pervaſit: eaque tempeſtate ex Teutonica natione monachi ſacrum ſpecum, in quo S. Benedictus puer delituerat, incolebant ſub Nicolao de Matzen Priore. Hic, ut diximus, inde cum aliis Mellicium evocatus, atque abbas ordinatus fuit per Martinum V. P. agentibus id Conſtantiæ in concilio apud pontificem legatis Alberti V. archiducis; ſimulque ſtatuta Sublacenſia fuere propoſita, ad quæ reformatio Mellicenſis eſſet efformanda, uti apud memoratum P. Schram in chronico Mellicenſi, & P. Martinum Kropp in bibliotheca Mellicenſi exponitur.

Ex præcipuis novis colonis erat Petrus de Roſenheim, a Trithemio ad an. 1420. & Eiſengreinio inter orthodoxos matris eccleſiæ doctores poſt Nicolaum de Dynckelſpühel ad an. 1415. laudatus. Eius ſermonem de ſtatu vitæ monaſticæ ſui temporis edidit Bernardus Pezius in bibliotheca Aſcetica c), cum hac ad finem parænesi: *Nolite ergo expaveſcere, nolite timere, ſed revertamur omnes tam prælati quam ſubditi, revertamur ſinguli, qui aberravimus, & exceſſuum noſtrorum emendationem ſubeamus, prout iam noſter ordo per Dei gratiam cœpit a ſuo lapſu pauliſper reſurgere, & ad regulares obſervantias aſpirare. Nam laus Deo! per mundi partes monaſteria ſuæ pravitatis conſuetudine ad ſtatum regularis vitæ erecta, reparataque ſunt.* Paulus Langius in chronico Citicenſi apud Piſtorium d) inter viros illuſtres tempore Conſtantien-

c) T. II. p. 92.

d) Script. rer. Germ. T. I. pag. 1229.

SECULUM XV. tienſis concilii, ſtatim poſt Petrum de Alliaco eiusque præceptorem Ioannem Gerſon, locum dat Petro de Roſenheim monacho Mellicenſi, *qui*, ait, *roſeum memoriale divinorum eloquiorum, et alia edidit.*

a) l. c. p. 356. Memorat nonnullos citatus P. Schram a), qui ex Suevia Mellicenſium reformationis ſtudio inducti illuc avolarint, monaſteriorum etiam abbates vel procuratores, atque an. 1470. ad conventum Salisburgenſem acceſſerint b), ex diœceſi quoque Conſtantienſi Ioannes de Wiblingen abbatis ſui procurator. Monaſterii huius pro reformatione ſtudia paſſim iam laudavimus, in noſtram etiam Nigram ſilvam uſque fructuoſa, ut de monaſterio Alpirſpacenſi diximus, de Hirſaugia item, ubi quidem primitus obſervantiam vitæ regularis ex Mellicenſi in Auſtria cœnobio a Wolframo abbate acceptam fuiſſe teſtatur Trithemius ad annum 1428. Ea vero rurſus evaneſcente, quod imprimis deplorat in oratione lugubri an. 1493. habita, Hirſaugia nomen dedit Bursfeldenſi, cuius ortum atque progreſſum idem ad an. 1416. explicaverat. Subdit vero ad an. 1428. *conſiderans Wolframus, quod in obſervantia Mellicenſium non eſſet conſtantia, ſed paullatim in priſtinam laberetur deformitatem, propterea quod ipſi Mellicenſes provinciali capitulo de triennio in triennium eſſent contenti & ſuæ reformationis nullum omnino celebrarent conventum, neque viſitationis officium debita & neceſſaria cum diligentia exercerent &c.* Poſtea ad an. 1460. Bernardum abbatem cumprimis laudat, quippe qui obſervantiam Bursfeldenſem in ſe ſuisque ſubditis vigilantiſſime cuſtodierit; atque Hirſaugiæ ex diœceſi Spirenſi Gottesaugienſe quoque cœnobium iungit, ex Conſtantienſi vero unicum huius reformationis Alpirſpacenſe ad an. 1462. memorat. Cruſius in annalibus Sueviæ ad an. 1462. monaſterium Lorchenſe tunc demum iuxta Mellicenſium obſervantiam reformatum fuiſſe teſtatur.

b) pag. 428.

Studia uniendi tres in Germania congregationes.

XXXIX. Studioſe tunc temporis agebatur de uniendis tribus per Germaniam congregationibus, Caſtellenſi, Mellicenſi & Bursfeldenſi. Egit id primum Pius II. P. quum profectum cerneret, quem Adamus Villius abbas S. Martini maioris Coloniæ viſitator generalis congregationis Bursfeldenſis tulerat: qui id negotium maxime an. 1464. in conventu abbatum Colonienſis & Trevirenſis provinciæ apud S. Pantaleonem præſtiterat. In noſtra vero Moguntina provincia ipſi Moguntini Archiepiſcopi unionem illam quam maxime urgebant. Commiſerat id Pius II. P. an. 1461. epiſcopo Eichſtettenſi. *Convenientibus autem*, ut ad illum annum narrat Trithemius, *ad commiſſarium apoſtolicum prædictum epiſcopum, vocatis abbatibus certis, plures inter ſe habuere tractatus,*

tus, sed tantam diversitatem rituum, consuetudinum, morum & constitutionum trium observantiarum in unitatem reducere nullatenus potuerunt. Bursfeldenses enim, quorum strictior observantia est regulæ S. Benedicti magis conformis, ad laxiora Mellicensium & Castellensium noluerunt retrocedere: & Mellicenses cum Castellensibus, quorum reformatio fuit laxior & regulæ minus consentanea, observantiam Bursfeldensium ut duram refutarunt. Ex eo tempore plures deinceps Patrum sunt factæ conventiones in diversis locis, non sine magnis expensis & fatigationibus, sed inter eos fieri numquam potuit uniformitas usque in præsentem diem. Nostris etiam temporibus Bertholdus ex comitibus de Hennenberg archiepiscopus Moguntinus plures inter eos sæpe habuit pro eodem negotio tractatus, quibus & ipse frequenter interfuit, sed intentionem suam in effectum ducere non potuit. Manent ergo tres observantiæ Ordinis nostri memorati procul ab invicem separatæ, quarum duæ Mellicensis & Castellensis quotidie deficiunt, tertia autem Bursfeldensis de die crescit in diem, proficit & ampliatur.

Pro unione illa facienda multum laborarunt abbates capitulorum provinciæ Moguntinæ, ut palam fit ex variis ad eam rem epistolis a Bernardo Pezio a) editis: imprimis Martini de Senging Mellicensis *de statu monasterii Bursfeldensis sub initium suæ reformationis*, ad ven. Ioannem de Weilheim Priorem Mellicensem ex ipso monasterio Bursfeldensi, quo accesserat P. Martinus ibique moratus, ut disciplinam experiretur, atque exploraret, num unio & conformatio trium in Germania observantiarum sperari liceat b). Sub initium statim nuntiat, obtulisse se de novo tres abbates pro unione suorum monasteriorum Bursfeldæ, scilicet Ettenheimmünster, ad S. Stephanum Herbipoli, & Hirsau, sed dilatos esse usque ad proximum capitulum Bursfeldense: scripta est hæc epistola an. 1457. Sequuntur postea c) ad rem imprimis epistolæ Ioannis de Welming abbatis Mellicensis ad Casparum abbatem Tegernseensem in Bavaria. Harum prima data an. 1459. inscribitur *de restituenda universim in ordine S. Benedicti monastica disciplina, & procuranda rituum & observantiarum conformitate.* In altera anni sequentis d) certiorem illum facit de pluribus quoad regularis observantiæ incrementum, factam quoque esse collationem, sed conclusum adhuc absolute nihil. Ex mox sequenti autem palam fit, consilium fuisse de habenda synodo, in qua hæc res tractaretur. Caspar abbas Tegernseensis in Bavaria, ubi vigebat Castellensis reformatio inter paucos quidem abbates, quinque scilicet, hos dudum convenisse scribit e) in responsoria, ad rem plenius discutiendam, ut ad finem tandem tenderent. Mortuo interea temporis Casparo ad Conradum eius successorem an.

a) Bibl. Ascet. T. VIII.

b) Ib. p. 553.

c) pag. 581.

d) pag. 584.

e) pag. 587.

SECULUM XV. an. 1464. ſcribit Ioannes abbas Mellicenſis a) de negotio unionis & conformitatis in regulari obſervantia monaſteriorum Benedictinorum in Germania; ubi memorat a patribus & abbatibus provinciæ Moguntinæ informatos eſſe patres & abbates in Auſtria, quid in unionis negotio ageretur: quo in argumento ſequens etiam verſatur Conradi abb. Tegernſeenſis ad Melchiorem S. Udalrici abbatem epiſtola, ac iterum alia eorumdem Conradi & Melchioris abbatum eiusdem anni ad Ioannem abb. Mellicenſem, una cum huius reſponſoriis anni ſequentis. Poſthæc habetur alia epiſtola Melchioris S. Udalrici abbatis ad Conradum Tegernſeenſem poſt celebratum an. 1467. provinciale capitulum data, ubi finem diu quæſitum, Deo donante, tandem in brevi ſe aſſecuturos ſperat: quod quidem, ut in contextu epiſtolæ loquitur b), *efficacius fieri non poteſt, niſi conformes efficiamur, & ſanctam unionem, pro qua iam diu laboravimus, reformari inter nos faciamus, prout etiam Patres trium obſervantiarum iam finaliter conſenſerunt, & in votis concordes fuerunt.*

a) pag. 603.

b) pag. 635.

Mentem hanc inſediſſe abbatibus provinciæ Moguntinæ in capitulo provinciali an. 1467. in monaſterio Montis monachorum Bambergæ congregatis, manifeſtat eorum epiſtola ad laudatum Conradum abbatem Tegernſeenſem, cuius procuratori P. Bernardo unacum cæteris Patribus univerſis locum dederunt in capitulo; commiſſumque eſt publice in capitulo præſidentibus, ut cæteris quoque de provincia Salisburgenſi Patribus ſcriberent, perinde ac abbati Tegernſeenſi, ad quem miſſa hæc epiſtola claudit ſyllogen illam epiſtolarum apud Pezium: cui ſubſcribunt F. Eberhardus abbas montis monachorum, F. Sebaldus abbas S. Ægidii, F. Martinus abbas in Munſter Schwarzach.

Pius II. P. initio ſtatim ſui pontificatus unionem hanc trium in Germania congregationum animo volvens, ut ſupra iam meminimus, id in negotiis dedit epiſcopo Eichſtatenſi, qui an. 1459. miſſis ad Burſfeldenſe capitulum litteris Sanctitatis ſuæ intentionem declaravit Abbatibus gratiſſimam: qui ideo Sanctiſſimum rogarunt, ut ſalvis ordinariorum iuribus de opportunis ad id exequendum remediis providere dignaretur. Fecit id an. 1461. transmiſſa bulla, uti apud P. Romanum Hay in *aſtro inextincto* c) legere eſt, nec non & illa, quæ porro eam in rem geſta ſunt an. 1483. in annali capitulo Burſfeldenſi Erfordiæ habito per delegatos epiſcopi Eichſtatenſis, ubi advenientibus quoque eum in finem deputatis Mellicenſis & Caſtellenſis congregationum Bulla Pii II. P. fuit exhibita. Urſit poſtea negotium Bertholdus Moguntiuus archiepiſcopus, & Ioannes abbas Fuldenſis, resque tandem eo devenit, ut in capitulo provinciali Seligen-

c) pag. 131.

ligenſtadienſi an. 1496. de qualibet trium obſervantiarum duŏ deputarentur, ſcilicet ex unione Mellicenſium reverendi Patres in Elchlingen & Wiblingen; ex unione Caſtellenſium abbates S. Ægidii in Norimberga, & S. Crucis in Werden; ex unione vero Burſfeldenſi abbates in monte S. Iacobi extra muros Moguntiæ, & S. Martini in Spanheim, Ioannes Trithemius nempe, qui rem tamen ſilet in chronico Hirſaugienſi. In eodem capitulo ad inſtantiam epiſcopi Conſtantienſis negotium reformationis commiſſum eſt abbatibus S. Udalrici Auguſtæ, & in Ochſenhauſen.

SECULUM XV.

XL. Ordinatim per ſingula fere triennia celebratum fuit eiuſcemodi capitulum provinciæ Moguntinæ & diœceſis Bambergenſis, prout nempe decretum fuerat in concilio Conſtantienſi an. 1416. uti in illius actis legitur apud van der Hardt a), electique ibi præſidentes pro celebrando proximo annuo huiuſmodi capitulo in monaſterio Petershuſano, prout ſuperius iam adnotavimus. Subnectimus hic b) ex Mſc. Einſidlenſi coævo catalogum abba-

Capitula provincialia & annualia.

a) T. I. pag. 1095.

b

b) Nomina Abbatum diœceſis Conſtantienſis, qui capitulo generali anno 1417. Conſtantiæ interfuere.

S. Georgii Ioannes præſidens. In Mure Gregorius (Georgius). Campidonenſis Fridericus de Levenberg. S. Blaſii Ioannes Duttlinger. B. M. heremitarum (Einſidlen) Hugo de Roſeneg. In Alperſpach Ioannes. 1) In Blaubüren Ioannes. In Zwifalte Wolfo. 2) SS. Petri & Pauli Henricus de Hornberg. Rhenaugienſis Hugo ab Almishoven. Yſnenſis. 3) In Etin Ioannes. 4) S. Ruperti (Trudperti) Conradus. In Augia maiori Fridericus de Zollern. In Wagenhuſen - - Pregantienſis (Augiæ maioris) Nicolaus. 5) In Schaffhuſen Conradus. 6) Petri domus Conſtant. Ioannes Frey. Ochſenhuſen Fridericus. 7) Wiblingen Henricus. 8) S. Galli Henricus de Gundelfingen. S. Ioannis in Turtal Albertus. *Procuratores abbatum dictæ diœceſis* In Ercba 9) In Viſchnang, id eſt, Viſchingen Ioannes Herlin. Montis Angelorum Waltherus Mirer ſeu Mirrhæus. In Wingarten Ioannes Eſſendorf.

1) In Gallia chriſt. T. V. p. 1064. notatur *Hugo*, Ioannis forte tempore concilii defuncti ſucceſſor.

2) Hic in Gallia chriſt. dicitur *Wolfgangus*.

3. *Conradus* hic eſt, qui iuxta Gall. chriſt. cœnobiorum viſitator deputatus eſt.

4) Legendum forte *Stein*, cuius abbas Ioannes an. 1432. præfuit capitulo provinciali Auguſtæ.

5) In Gallia chriſt. dicitur *Iodocus*.

6) Supplendus hic in catalogo loco eſt.

7) Nullus huius nominis, ſed Nicolaus eo tempore abbas occurrit.

8) Et hic deeſt in Gallia chriſt. notatur vero tunc *Ioannes I.*

9) Legendum *Trubs* in Emmenthal. Vid. Gall. chriſt. l. c. p. 934.

In diœceſi Argentinenſi.

In Schwarzach. In Selz. In Gengenbach. S. Waldburgis. In Hugelshofen. In Maſmunſter. (*Mauersmunſter*). In Oetenhermunſter. (*Etenheimmunſter*) In Schuter. In Altdorf. In Obermunſter. (*Ebersmunſter*). In Munwilre, i. e. Neuwiler.

De diœceſi Moguntinenſi.

In Stein, alias Steina. In Northeim. In Selgenſtat. In Burſfeldiæ.

Procuratores dictæ diœceſis. Novi montis prope Fuldam. In Hirsweld. In Brettenau, olim Bretnave. (*Breidenau*) In Haſungen. In Gerode. In Uſſenen. In monte S. Petri. Ad Scotos Erfordiæ. In Salveld. In Paulincelle. In Honberg, alias Homburg. In Rinsbrunuen, alias Rhein-

SECULUM XV.

abbatum tunc in capitulo præſentium, qui ante diſceſſum cum procuratoribus in animas abſentium ſuorum abbatum iuramentum pro ſuſcipienda reformatione depoſuerunt. Primus inter præſidentes apud van der Hardt nominatur Ioannes S. Gregorii abbas, eius ſcilicet nominis tertius Petershuſanus, in ſubiecto autem catalogo primus præſidentium ponitur Ioannes abbas S. Georgii in Nigra ſilva, cuius abbates illius capituli præſides ſuis locis nominavimus, quos inter notatur Fridericus Hirſaugienſis in tertio capitulo apud Fuldam an. 1420. celebrato.

Primum capitulum annuale atque etiam generale obſervantiæ Burſfeldenſis celebratum eſt an. 1464. Celebratiſſimæ huius congregationis exordia Trithemius in chronico Hirſaug. deſcribit, eius vero diſcipulus Paulus

hartshrunnen. Ad S. Albanum Ioannes de Gomingen. (Abbas ad S. Albanum tunc erat Hermannus II. ex Gallia chr. T. V. p. 578.) Ad S. Iacobum Moguntiæ Anſelmus de Dirnſtein. In Bildenſtat (*Blidenſtat*). In Spanheim Bernardus.

De diœceſi Spirenſi.

In Hirshan Fridericus. In Oedenheim. In Limburg. In Hunsheim (*Sunsheim*). In Gottsaun (*Gottesau*). In Clingenmunſter. In Wiſſenburg.

De diœceſi Herbipolenſi.

In Schwarzach. In Braun. In Schlutern. In Roten; alias Munchroten. In Urach, alias Muncheuaurach. In Steinach. In Amersbach Fridericus II.

Procuratores eius diœceſis. In Fulda abbas erat Ioannes de Merla. In Nuwenſtatt. In Colberg Erfridus de Feldberg. In Ranz (*Banz*) Erhardus de Schwanenburg, procurator horum omnium abbatum. In Rez.

De diœceſi Bambergenſi.

Montis S. Michaelis. *Procuratores:* Abbates Scotorum Nuwenburgenſis. In Wiſenau. In Michelsveld.

De diœceſi Auguſtenſi.

Elvangenſis Sifridus præſidens. In Teggingen. In Werden. In Faucibus. In Lorch, In Elchingen. In Auguſta. In Foltenbach (*Fultenbach*). In Nevesheim (*Neresheim*). In Urſingen (*Urſinum*). In Brezenhuſen. *Procuratores.* In Benedictenburen. In Weſſenburen. (*Weſſenbrun*).

De diœceſi Aiſtatenſi.

In Caſtello. In Wilsburg. In Achhuſen (*Anhauſen.*).

Procuratores vero abbatum. In Blauckenſtein, ſeu Blankenſtetten. In Haidenheim.

De diœceſi Curienſi.

Diſſertinenſis. Fabarienſis. S. Mariæ in Wiſsgawe.

De diœceſi Halberſtettenſi procuratores abbatum.

S. Ægydii Brunſchweigtenſis. In Lutter, alias Luttra. In Hagenſpurg, forte Husburg (*Huisburg*). In Grenburg. In Hilderleben. (*Illesleben*). In Wimmelsburg. In Elderadorf. In Rinsdorf.

In diœceſi Werdenſi.

Procuratores abbatum. S. Michaelis in Limenburg ſeu Luneburg, & Vetenhuſen.

De diœceſi Hildenenſi.

In Cluſa. *Procuratores* S. Michaelis Hildeſinenſis. S. Gotthardi extra muros Hildeſinenſes. Henricus in Ringelsheim.

De diœceſi Magdeburgenſi.

Procuratores abbatum. In Willenbors. In Holnordenhuſen. In Corvey Theodoricus III. a Rheins. In Munſter. In Schligdorf. In Abdinkhofen. Badenpurnenſis.

lus Langius in chronico Citicensi apud Pistorium breviter ad an. 1430. prosequitur, ad an. autem 1439. notat capitulum provinciale Moguntinensis & Bambergensis diœcesium, in quo inter alios abbates e Nigra silva nostra præsedit Nicolaus S. Blasii abbas. Idem primum memorat ordinis S. Bened. capitulum provinciale an. 1468. in Saxonia, & annuale Bursfeldense, nec non annuale provinciæ Moguntinæ anno sequenti, de quo silet Trithemius ad annum 1469. refert vero mortem Ioannis de Hagen, qui fuit abbas monasterii Bursfeldensis in observantia regulari secundus: post Ioannem nimirum ex Rheinhausen primum in restituta Bursfeldia abbatem, colonis quatuor eo missis ex monasterio S. Matthiæ Treviris a Ioanne Rhode abbate, quem Otto Trevirorum archiepiscopus e Carthusia extractum illi monasterio præfecit, isque non sine maximis laboribus, periculis & insidiis monachorum, quos deformatos in eo reperit, ad regularis vitæ observantiam reducere studuit.

SECULUM XV.

Feliciter igitur res processit in nova colonia Bursfeldensi sub cognominibus memoratis abbatibus Ioanne de Rhode & de Hagen, eorumque successore Theoderico, qui an. 1472. præfuit capitulo annuali Erfordiæ & postea Hildesheimensi, ut refert Langius a), & teste Trithemio ad annum 1473. capitulo provinciali Norimbergæ apud S. Ægidium. Provinciali vero Saxoniæ, Magdeburgensis scilicet & Bremensis diœcesium capitulo an. 1474. præfuit abbas Bagaugiensis, ut Langius perhibet b); postea autem Georgium abbatem successorem Thomæ rem perdidisse luget, ad finem labente iam sec. XV. quando tamen ipse Trithemius pro virili sua rem egit, ut palam fit vel ex sermonibus suis; quos in capitulis tam annualibus Bursfeldensibus, quam provincialibus Moguntinæ provinciæ habuit: quod munus singillatim indici solebat. Hic idem ad an. 1485. testatur, Weissenburgensem abbatem verba fecisse in vigesimo quinto capitulo apud S. Udalricum in Augusta celebrato, ubi post Ioannem S. Ægidii in Nurenberg inter præsides ponitur Henricus in Weissenburg, Paulus de Elchlingen, & Ioannes Trithemius S. Martini in Spanheim; quod munus subiit nondum elapso a sua in abbatem electione biennio. Idem capitulo Norimbergæ apud S. Ægidium cum aliis præsedit, ac in speciali opere omnes capitulorum ordinationes collegit, Moguntiæ an. 1605. inter eiusdem opera pia impressas.

a) *Pistor. rer. Germ. T. I. p. 1252. seq.*

b) *L. c. pag. 1256. & 1259.*

Anno 1493. in provinciali capitulo Hirsaugiæ celebrato, ubi primo loco inter præsides ponitur Trithemius, inter alia statutum est, ut eiusdem compendium recessuum capitularium semel saltem in triennio legeretur: itemque, ut perpetuis futuris temporibus eius liber de ruina or-

SECULUM XV. dinis noſtri durante capitulo ad menſam prælegatur, id quod prima vice in hoc capitulo factum fuerat. In altero an. 1496. idem præclaram illam de cura paſtorali orationem habuit; anno autem 1499. præſes verba iterum, ſed ex tempore, fecit in monaſterio Seligenſtadienſi. Reliquas orationes, quæ editæ proſtant, dixit in capitulis annualibus Bursfeldenſis obſervantiæ.

a) *T. I. Act. Concil. Conſt. pag.* 1095.

Edidit Hermannus van der Hardt a) monachorum Benedictinorum capitulum provinciale Conſtantiæ habitum pro viſitatione & reformatione monachorum Ordinis S. Benedicti, in quo poſt alia fuit ordinatum, ut intra annum proximum, & ante futurum capitulum, ſaltem per menſem quilibet abbas generale capitulum, ſi quos ſibi extra ſuum monaſterium ſubiectos habeat, facere & finire teneatur, in quo ſtatuta prædicta publicentur, quæ nihilominus non ſemel per annum in capitulo quotidiano legi iubentur unacum Benedicti XII. conſtitutionibus. Capitulum hoc quotidianum prius iam fuit præceptum, in quo poſt Martyrologium & lectionem Regulæ, quæ vulgariter per præſidentem ipſi capitulo, ſeu per alium, cui ipſe iuſſerit, exponatur, ac de diſciplina regulari agatur, & negligentium ſeu delinquentium culpæ & exceſſus puniantur, unde etiam capitula culparum ſunt dicta.

Statæ viſitationes monaſteriorum.

b) *L. c. p.* 1090.

c) *Ib. p.* 1101.

XLI. Pleraque ibidem iuxta Concilii Conſtantienſis decreta, quod in præfatione habet van der Hardt b), *de viſitatoribus cleri diœceſium & perſonarum*, perſcribuntur capita, modos ſuſcipiendi viſitatores, iuramentum viſitatorum, copia veri procuratorii ſecundum conſtitutiones Benedictinas. Tum vero in proceſſu generali capituli provincialis tunc in Petri-domo celebrati conſtituuntur ſingillatim viſitatores per diœceſes c) „In diœ„ceſi Conſtantienſi & Curienſi viſitabunt monaſteria nondum per certos vi„ſitatores, aut a præſidentibus capituli deputatos viſitata, S. Blaſii, Iſi„genſis (*Iſnenſis*), in Tzwyfeldingen (*Zwifalten*) & Fabrienſis (*Faba„rienſis*) abbas, Conſtantienſis & Curienſis diœceſeos: & hos viſitabunt „in Faucibus & in Ottenburen abbates Auguſtenſis diœceſeos. In diœceſi „Auguſtenſi viſitabunt Prenzahauſen & in Pforzheim abbates eiusdem diœ„ceſeos: & hos viſitabunt in Wibellingen & in Ochſenhuſen abbates Con„ſtantienſis diœceſeos. In diœceſi Aichſtadenſi & Bambergenſi viſitabunt „Caſtellenſis & Bambergenſis eorumdem civitates &c. Præfati etiam viſi„tabunt monaſteria monialium in diœceſi vel diœceſibus, in quibus, ut „ſupra dicitur, ſunt ordinati viſitare monaſteria virorum &c. &c." Hæc deſcripſit van der Hardt ex Mſc. Gothanæ bibliothecæ admodum incorrecto: ubi ad finem adiicitur diploma Sigismundi imp. quo conſtitutos viſita-

ſitatores e concilio ad hoc opus emigrantes an. 1418. proxime ante concilii finem ſalvo conductu munivit: quale etiam extat Alberti II. Rom. regis an. 1439. tempore concilii Baſileenſis, ſpecialiter etiam pro capitulo provinciali Norimbergæ celebrando. Teſte Trithemio (qui & ipſe utiliſſimum ſcripſit de viſitationibus monachorum libellum, inter opera eius pia editum Mogunt. an. 1605. pag. 963. legendum) in chron. Hirſaug. ad an. 1439. eodem tempore concilium Baſileenſe ex abbatibus ordinis noſtri duodecim viſitatores per Moguntinam provinciam deputavit, inter quos erat vita & eruditione præcipuus Ioannes Rhode abbas monaſterii S. Matthiæ Ap. extra muros Trevirorum. „Hi duodecim abbates (pergit) habebant viſitare & reformare auctoritate concilii generalis omnia & ſingula monaſteria per dictam provinciam Moguntinam ubilibet conſtituta „tam monialium quam monachorum. Et notandum, quod iuxta conſtitutionem Benedicti XII. provincia Moguntina, cum Bambergenſi diœceſi exemta, quantum ad cœnobia pertinet ordinis noſtri, unum facit „capitulum provinciale, abbatias habens hodie C. & XX. de qua provincia ab ordine translata ſunt a tempore concilii Conſtantienſis in eccleſias „canonicorum ſecularium decem monaſteria.“

Proſtat inſignis prorſus conſtitutio Nicolai de Cuſa S. Petri ad Vincula presbyteri Cardinalis legati apoſtolici *de viſitatione*, quæ orditur de vita & moribus viſitatorum, maxime dum viſitant; tum poſt præſcriptam formam viſitationis & modum procedendi per ſingula monaſticæ diſciplinæ capita diſcurrit. Typis ea impreſſa fuit an. 1493. Norimbergæ a Georgio Storcho ex Sulzbach, unacum ſynopſi conſtitutionum provincialium Ordinis S. Benedicti per provinciam Moguntinam & diœceſin Bambergenſem: ſeu *abbreviatura receſſuum capitularium Patrum Ordinis S. Benedicti per provinciam Moguntinam & diœceſin Bambergenſem a tempore concilii Conſtantienſis uſque ad an. Dominicæ incarnationis milleſimum quadringenteſimum nonageſimum tertium celebratorum : nec non modus viſitandi monaſteria utriusque ſexus, unacum ſumma privilegiorum provinciæ & diœceſis ac Ordinis præfatorum.*

Continuata ſunt eiusmodi capitula & viſitationes pro conſervatione diſciplinæ monaſticæ etiam in ſequens adhuc, quod libro proximo videbimus, ſeculum, quo adoleſcente defecerunt in provincia Moguntina diœceſique Bambergenſi; dum viciſſim obſervantia Bursfeldenſis maiora ſemper incrementa cœpit. Narrat vero Paulus Langius in chronico Citicenſi ad an. 1485. de ſuo obſervantiæ Bursfeldenſis monaſterio, quod in illo vergente ad finem ſec. XV. Petrus abbas cætera laudatiſſimus auſteritate

ſua

SECULUM XV.

sua rem perdiderit „Potius (inquit) ad ferociam quam misericordiam, seve„ritatem quam clementiam declinans. Proinde non salutem plerumque im„becillium, sed desperationem produxit. Dum enim multiplicaret ca„tenas & carceres, statuta & pœnas, formidulosiores inrecuperabiliter „suas & fugavit & perdidit oviculas. Quod utique cavisset, si modum „censuræ tenuisset, si oleum vino, dulcia amaris, blandimenta terrori„bus miscuisset; tametsi religionis zelo, vitiorumque id actitasse creda„tur odio, haud tamen secundum scientiam, id est discretionem & pie„tatis formulam; quamvis & huius sui rigoris patronos & laudatores ha„beat."

Reformationis capita.

XLII. In concilio Basileensi de reformatione ordinis S. Bened. non una erat Patrum sententia: ipsi præsidi legato Apostolico visum est, satis fore, si modo ad observantiam trium votorum substantialium res reduceretur, cæteris Regulæ Benedictinæ capitibus in Prælatorum arbitrio relictis. Qua de re Ven. Martinus de Senging Prior Mellicensis, qui Basileensi concilio notarii munere aderat, libellum obtulit, ex Msc. Mellicensi a Bernardo Pezio a) editum, *Tuitiones* nempe observantiæ Regulæ S. Benedicti, ut ostenderet, non sufficere, *monasteria eiusdem ordinis in regulari observantia collapsa reducere ad sola tria substantialia, prout reverendissimus pater Dominus Legatus intendebat, visitatoresque ad id ordinavit*, ut initio statim loquitur, reformationem huiusmodi possibilem nequaquam esse contestatus, quod quum probasset, ipse sibi obiicit b): *ex præscriptis forte* quem *moveri ad dicendum, quod ergo securius esset regulam servare ad litteram, & in omnibus suis accidentalibus & observantiis &c. Ex quo videretur sentire, quod a monachis Regula S. Benedicti hoc modo non servetur, quod illi de salute sua consequenda ex hoc reddantur insecuri. Sed hoc nullatenus est.* Distinguit autem inter omnimodam obedientiam actualem, *quod monachus totam suam regulam observet*, quod dicit non esse de necessitate salutis, uti nec etiam omnimodam obedientiam regularem habitualem, sed virtualem saltem: *quia*, inquit c), *quilibet monachus ex voto suæ professionis semper tenetur habere paratam voluntatem ad faciendum omne illud secundum posse, quod sibi suus Prælatus secundum regulam suæ professionis præcipit. Unde ergo monachus ord. S. Bened. tenetur obedire suo abbati sibi præcipienti, ut secundum regulam teneat silentium, ieiunet, maneat intra monasterii clausuram, non comedat carnes quamdiu est sanus & fortis &c.* Postquam vero per alia quoque discurrisset capita, historiam etiam attingens reformationis tunc temporis variis studiis agitatæ, supplicat tandem, ut Patres concilii, quantum fieri potest, in his reformandis practica vitæ mo-

a) Bibl. Ascet. T. VIII. p. 505.

b) pag. 508.

c) pag. 509.

monasteriorum Specus S. Benedicti & Sublacensis sequantur, *ubi est origo Ordinis S. Benedicti, vita quoque regularis observantiæ ab initio institutionis eiusdem Ordinis stricte continuata.* SECULUM XV.

Idem suadet agens porro de uniformitate divini officii, ubi tamen consultum habet a) „ut quædam tam in cantu, quam in lectione mero a) pag. 545. „consuetudinario usu introducta recensentur, cum sint superflua, & eo„rum intuitu debita omittantur, ut sunt septem psalmi pœnitentiales „iterati, item quindecim gradus, preces in diebus ferialibus perlongæ „ad omnes horas, duæ vel tres missæ quotidie cantatæ, ubi una tan„tum est de necessitate, & raro duæ, sola die natalis Domini tres: mul„ta etiam tam in Laudibus quam in Vesperis & cursu Beatæ Virginis „suffragia, & quasi quotidianum novem lectionum officium mortuorum „cantatum, & longe creberrimæ fiunt processiones, nonnumquam etiam „per campos ad ecclesias remotas, ubi contrahunt familiaritatem veneno„sam &c. Experientia enim longa doctus didici, (pergit) certe vix suffi„cere tempora diei & noctis, quantumcumque longa sunt, ad rite, de„vote & religiose perficiendum officium divinum &c."

Extat in chronico Mellicensi P. Schram b) breviarium cæremoniarum b) pag. 320. monasterii Mellicensis an. 1418. per venerabiles Patres monasteriorum Sublacensis & sacræ Specus auctoritate Martini V. P. reformatum. Ad eum nempe modum, quo teste Trithemio ad an. 1436. Conradus abbas montis S. Ioan. Baptistæ in Rhingaugia „mandato capituli annualis „ordinarium divinorum officiorum simul & constitutiones observantiæ „nostræ, quas usitato nomine cæremonias nuncupamus, ipse lucubravit, „emendavit, distinxit, & impressioni commendavit." Passim in bibliothecis monasteriorum, in quibus viguit observantia Bursfeldensis, huiusmodi libros tam MSS. quam impressos etiam reperi, cæremoniales, rituales, missalia, breviaria, quorum reformandorum ingens fuit istius congregationis studium. Agitatum quoque fuit consilium, ut totum officium divinum ex S. Scripturæ verbis concinnaretur, prout discimus ex Iacobi Carthusiani opusculo *de cantu in divinis reformato.*

Qualis apud Sublacenses fuerit sec. XV. psallendi ratio, edisserit anonymus Sublacensis, natione, ut plerique tunc eo in monasterio, Germanus, ut ex initio & fine constat, ut iam notavi, *de consuetudine & modo vivendi cænobitarum monasterii sui anno* 1400. apud Bernardum Pezium c). Utramque ferme paginam implet eius dissertatio de laboribus tam specialibus singulorum, quam generalibus: „qui fiunt in ex„ercitiis, (inquit), quod tempore æstivali fit post Nonam, & tempo- c) Bibl. Ascet. T. VIII. pag. 493.

SECULUM XV.

„re hiemis inter Sextam & Nonam. Et hi fiunt generaliter ab omnibus tam senibus quam a iuvenibus, qui non sunt occupati ex aliquo „officio, ut exquisitio seu purgatio leguminum, fabarum, cicerum, lentum, & sic de aliis, & in loco exercitii deputato. Et isti labores sunt „magis communes per totum annum. Sunt & alii labores diversi, se„cundum quod necessitas exposcit, ut scopare, portare lapides, ligna, „lavare vestes proprias, in hortis tempore æstatis eradicare herbas inu„tiles, comportare fenum in pratis, & colligere uvas. Et isti labores „fiunt prope monasterium, & in locis sequestratis longe ab hominibus. „Et quidquid iniungitur a Priore vel Vicario, sive fit in adiutorium „officialium sive alia ex causa, fit ab omnibus absque omni contradictio„ne & nullus utitur propria voluntate." Hæc non abs re descripsi de manuum labore, qui semper apud monachos obtinuit, in Regula etiam S. Benedicti præscriptus, postea vero ob continua diu noctuque fere chori officia ita neglectus, ut in constitutionibus reformationum sec. XV. vix ulla eius ratio sit habita, quando nihilominus graviores Regulæ Benedictinæ obligationes sunt revocatæ, instituti præsertim aviti Cluniacensis. Hoc late superioribus seculis ad exteras nationes quoque, in Nigram etiam silvam nostram, ut vidimus, fuit dilatatum, paullatim vero tempore præsertim magni schismatis passim collapsum, adolescente tamen seculo XV. alicubi postliminio refloruit, veluti Gobelinus Persona a) de monasterio Paderbornensi testatum reliquit, dum an. 1418. „duo „monachi monasterii Cluniacensis cum solemni comitiva Paderbornam „venerunt, & productis litteris apostolici, & domini Regis ac abbatis „Cluniacensis, cui idem monasterium SS. Petri & Pauli ex sui primiti„va institutione est subiectum, de auctoritate sibi super via visitationis „commissa abbati & monachis ibidem plenam fidem faciendo, observan„tiam Regulæ S. Benedicti eis sub magnis pœnis eo modo, quo in præ„fato monasterio Cluniacensi servatur, per omnia tenendam indixerunt; „expresse iniungentes eisdem per obedientiam, quod ipsi deinceps tria „substantialia monachatus, videlicet abdicationem proprietatis, castitatem „& obedientiam ante omnia servarent: & quod in refectorio simul re„ficerentur: non carnibus nisi infirmi pascerentur: silentium in locis de„bitis servarent: cellas in ostiis fenestratas haberent: nec lectis de plumis, „nec camisiis lineis uterentur: & quod nullus septa monasterii intrare „permitteretur."

Alia quædam capita notantur in monachorum Benedictinorum capitulo provinciali Constantiensi pro visitatione ac reformatione monasteriorum Ord. S. Bened. apud van der Hardt b). Complures adhuc decre-

to

a) *Cosmodrom. æt. VI. c. ult.*

b) *Act. Conc. Constant. T. I. pag. 1095.*

to ſynodi Baſileenſis an. 1439. ſunt annexi, & ſub gravibus pœnis ac cenſuris præſcripti reformationis articuli, ad petitionem abbatum, & cæterorum religioſorum eiusdem Ordinis, Baſileæ tunc eum in finem congregatorum.

Habitus ſeu veſtitus.

XLIII. Articulis prioribus agitur de officio divino, confeſſione, capitulo culparum quotidiano, libris & ornamentis eccleſiæ, tum de forma & honeſtate veſtimentorum, de tonſura imprimis, ſtatuiturque, *quod omnes deferant tonſuras largas & latas, ita quod circulus ipſarum ſpatium ſeu groſſitudinem duorum digitorum non excedat transverſalium*, ut in capitulo provinciali Conſtant. primo anno 1417. a) fuit præſcriptum, conformiter etiam fere quoad reliquum habitum, ſeu veſtes & calceamenta, tam intra quam extra monaſterium, etiam *quoad tunicas & veſtes habitui ſuperiori proximas* nigri, vel bruni aut albi coloris, prout olim geſtabant monachi etiam nigri, ac etiamnum Ciſtercienſes, colore flocci ſeu floccatæ cucullæ aut cappæ albi vel nigri coloris inter ſe diſtincti. Necdum vero diverſitatem illam, quæ hodie monachos nigros Benedictinos & Ciſtercienſes colore diſtinguit, communem omnino & uniformem fuiſſe, produnt Martini de Senging Tuitiones Regulæ S. Benedicti apud P. Bernardum Pezium b): „Color (ait) „habitus exterioris debet eſſe omnino niger. Item expediret, veſtes „etiam habitui proximas fore nigras; tum propter nomen, cum eius„dem ordinis & religionis ſuppoſita dicantur monachi nigri; tum pro„pter vitandam diverſitatem inter ſuppoſita profeſſa eiusdem ordinis, „quorum aliqua forſan deferrent nigri, alia albi coloris veſtimenta: tum „etiam, quia huiusmodi colore ſcilicet nigro, veſtium prædictarum dif„ferrent a Ciſtercienſibus, qui ferunt albas veſtes.“ Adhuc ſeculo XV. in monaſterio S. Blaſii tunicam fuiſſe albi coloris, indicio eſt deſcriptio veſtium annuatim dari ſolitarum. c)

a) *Loc. cit. p.* 1104.

b) *Bibl. Aſcet. T. VIII. p.* 537.

Latitudinem & longitudinem veſtimentorum ſingillatim diſtinguunt deſcribuntque Patres capituli provincialis tempore concilii Conſtantienſis an. 1417. celebrati, itemque tempore concilii Baſileenſis, prout in eiusdem ſynodi decreto legitur, ſed non adeo diſtinctim, quod attinet genera veſtimentorum monachalium, ſeu habitus regularis ſecundum ſuam

 de-

c) „Dis iſt pfrund den Herren, Evangelier und Brüeder uf den Winter. Item 4. Elen Vilin„ger oder Rothweiler ietlichem zu einer Kutten: wer aber die machen will, bedarff er „mehr, ſo gibt man mehr alle iar. Item 5. Elen Freyburger oder Strasburger alle iar zu „einem Rocke wyſs. Item 2. Elen minder ein vierteyl ze hoſen alle iar, wen aber were „geben Eſslinger, ſo were man geben 6. Elen ze Röcken und 2. Elen ze hoſen. Item in „2. iaren ietlichem einen neuen Belz und zwenen nachtſchuch. Item ze Summer tagten „gibt man ietlichen 8. Elen leinithuech, halbtuch, und ein Elen Zwilchen alle iar.„

SECULUM XV. denominationem, quam operæ pretium eſt hisce ex iam ſæpe laudato Martino de Senging ſubiicere. a)

a Diverſitas ab hodierno habitu regulari ſuapte patet in uſu cappæ præſertim in modum pallii circumquaque clauſi. Aliud pallii genus hodie inſuetum Converſis paullo poſt idem tribuit, quo in monaſterio utantur & extra b), „a pectore deorſum per totum, ab ante aperto, habentes „caputium ſimiliter ab ante apertum, ipſi pallio appenſum, ſub quo „ſemper deferent ſcapulare, modo quo ſupra, nempe non ita lata, ſic„ut clericorum, nec ita protenſa: ſimiliter aliæ eorum veſtes brevio„res ſint veſtibus clericorum.“ Cum hodierno uſu quodammodo convenit, quam notat conſuetudinem, deferendi ſcilicet a clericis in monaſterio floccos & cucullas, floccos nempe ad Miſſam conventualem & Veſperas, cucullam vero ad alias horas, ad menſam, atque collationem. Cucullæ autem vicem tunica cum cinctura ſtrictisque manicis ſubiit iam inde, ex quo idem color tunicæ ac flocci & cucullæ albus ſeu niger eſt aſſumtus. De ſcapulari paullo ante retulimus teſtimonium P. Franciſci Caſtellenſis monachi in Bavaria, qui ineunte ſec. XV. in monaſterio ſacræ Specus S. Benedicti in Italia moratus ad cætera dubia, quæ movebat, id reſponſi ſe tuliſſe memorat, ſcapulare proprium eſſe monachorum habitum.

b) pag. 536.

Nec vero hæc quis inſtituto noſtro minus digna, aut reformationes iſtas monachorum in eiusmodi dumtaxat extrinſecis & velut accidentalibus conſtitiſſe arbitretur: ſemper enim & ante omnia in iis ſubſtantialia Regulæ urgebantur, ac ſaluberrima hanc in rem ſtatuta fuere edita, quæ paſſim locis hinc inde a nobis citatis videre eſt: unde genuinus horum reformatorum zelus elucet. Quæ autem veſtitum, victum aut ſi quæ alia ſunt, ut videntur, adiaphora, concernunt, illa ſaltem ad convenientem ordinem ac vivendi uniformitatem in uno eodemque corpore & ſub eiusdem Regulæ alumnis procurandam & conſervandam, ſine

a) „*Floccus* eſt habitus protenſus uſque ad talos, rotundus inferius, adeo latus, quod paſſus „infra ipſum faciliter fieri poſſit, habens manicas, quæ longitudine unius cubiti ultra ma„num extendantur, latitudo vero earum aliam cubitum cum dimidio non excedat. *Caputium* „vero latitudine non attingat os cubiti, ſed circa medium oſſis cubiti & oſſis ſuperioris pro„pe ſpatulam protendatur. Dictum vero Caputium retro protendatur ad minus uſque ad cor„rigiam (ſeu cingulum), nec ultra ipſam per quatuor digitos valeat extendi. *Cucullа* ve„ro eſt habitus ſimilis Flocco, niſi quod manicis caret. *Cappa* eſt habitus diſpoſitus in mo„dum pallii communis circumquaque clauſi, nec fiſſuras aliquas habens ad equitaturam. In „caputio ab ante aperto eiusdem habitus poteſt fieri nodus, cum quo claudatur propter ven„tum, ne intret. *Scapulare* eſt habitus duabus peciis (partibus) una ab ante, alia a retro „connexus, quo utuntur ſub cappis in via, in hoſpitiis depoſita cappa incedunt in eis, in „laboribus & ſub ornatu in Miſſa. Omnes iſti habitus debent habere caputia annexa, ab „ante aperta.“

ne qua nec ipse finis obtineri poterit, plurimi omnino sunt momenti. Neque id ordinibus religiosis vitio dabitur, si studiose conservare curent, quod in legionibus militaribus etiam quoad colorem, qualitatem, & mensuram vestimentorum aliaque maiore adhuc rigore observari, & exigi solet. Quantum ad historiam vero, eamdem saltem hæc utilitatem præstabunt nostris aut posteris, quam nos ex tot variis commentationibus de calceamentis, de barba, de pileis &c. Romanorum aliorumve gentium haurimus.

SECULUM XV.

XLIV. Ex iam laudata anonymi Sublacensis epistola *de consuetudine & modo vivendi cœnobitarum monasterii sui* anno 1400. quam Bernardus Pezius ex MSS. SS. Udalrici & Afræ Augustæ & Mellicensi edidit a) palam fit, aliquid saltem sec. XV. fuisse residui ex antiqua consuetudine in Ecclesia, atque etiam in Regula S. Benedicti præscripta quod tempus ac horas ieiunii attinet. „Ieiunium vero (inquit) b) „taliter fieri solet, ut per totam hiemem, id est, a festo S. Crucis „usque ad Pascha, excepta sola die Natalis Christi & diebus Dominicis ieiunetur; & ieiunatur semper usque ad bonum meridiem. In quadragesima vero ieiunatur usque post Vesperas, & fit tunc accessus ad „mensam ad minus ad duas horas post meridiem, vel quasi ad tres. „Et omnibus diebus ieiuniorum fit collatio potus brevissima ante collationis lectionem in refectorio &c.“ Explicatur deinceps refectionis modus ita temperatus: „quod in pane & vino est abundantia, quantum „quis comedere & bibere potest. Duo dantur fercula, & unum est „de generibus seminum, ut scilicet fabarum vel lentum &c. aliud vero „de oleribus vel ovis coctis in patella. Ad hoc additur de leguminibus, „ut unum pomum vel duo, si sunt parva, vel quatuor nuces, vel ficus, „vel castanea, vel allium, vel cepe. Ad cœnam vero modicum ministratur, & ut plurimum cruda olera cum aceto & oleo: & si aliquid „coctum, tunc in parva quantitate ita, ut sit una consolatio, cum dantur duo ova mollia (quod tamen raro fit) & portio casei.“

Victus.

a) *Bibl. Ascet. T. VIII.*

b) *L. c. p. 497.*

In suis statutis observantiæ regularis, quam Mellicenses ad formam disciplinæ Sublacensis compositam an. 1451. visitatoribus obtulerunt, prout in chronico P. Schram legitur, non exprimitur qualitas ciborum & condimentorum, nisi in diebus ieiuniorum. Quibus ieiuniorum & abstinentiæ diebus dum penitus passim etiam diebus per hebdomadam vel annum extraordinariis a carnibus abstinent Benedictini, quod non præscribit Regula, dici possunt compensare quodammodo eius rigorem quoad carnes quadrupedum: quorum esus minus delicatus minusque

SECULUM XV. eſt pretioſus eſu altilium, ſecus ac tempore S. Benedicti inter fruteta Sublaci & montis Caſini, terræ plagis nemoroſis. Martinus Senging Prior Mellicenſis in tuitionibus Regulæ S. Benedicti a) acriter in eos invehitur: „qui nuper auctoritati ſacri concilii pertinaciter reſtiterunt, „& obſtinate ſuis viſitatoribus obedire contemſerunt, volentibus eos re„formare ſecundum regulam ſuæ profeſſionis, nolentes ſuſcipere abſti„nentiam carnium &c. Nec habebant ſibi blandiri ſpe falſa, ſi con„cilium eos ita manere permittit: quia hoc permiſſive facit, & vellet „eos ad altiora reformare, ſi hoc absque graviſſimis ſcandalis facere „poſſet, ac malis, quæ inde orirentur. (Et poſtea): b) ad reformatio„nem veram faciendam perneceſſaria eſt abſtinentia carnium regularis, „ac ieiunium regulare, quamvis non ſint aliqua de ſubſtantialibus ordi„nis, ſunt tamen obſervantiæ corporales præcipuæ, quibus abiectis „quanta inconvenientia ſequeretur, videndum erit: & primo ex eſu „carnium a Regula prohibito. Nec obſtare videtur conſtitutio Bene„dicti XII. qui prima facie videtur certis diebus certorum anni tempo„rum ſanis & fortibus monachis Ordinis S. Bened. indulgere eumdem „eſum carnium: ſane autem intellecta nullo modo concedit nec indul„get huiusmodi eſum carnium ſanis & fortibus monachis."

a) L. c. p. 510.

b) pag. 521.

Varios epikiæ modos explicandæ celebri huic bullæ Benedictinæ adhibitos notavimus libro ſuperiore, hoc tamen adhuc ſeculo XV. paſſim conſuetos, ut nimirum facile indulgentia fieret, quandoque toti etiam conventui, ad infirmariam carnes comeſtum eundi. Sic in monaſterio S. Blaſii an. 1430. quando quidam fratribus carnes ad menſam legaverat in anniverſario, id ſaltem cavit Nicolaus abbas, ne in refectorium admitterentur: „ut fratres ipſi liberalius huiusmodi celebrationi & operationi „interſint, die huiusmodi peractionis & celebrationis cuilibet conventua„li in domo infirmariæ dicti noſtri monaſterii carnes duplices, videlicet „coctas & aſſatas pro uno prandio miniſtrari & aſſignari ſimiliter conſti„tuimus." Duobus poſt annis in capitulo provinciali Auguſtæ apud S. Udalricum celebrato inter cætera etiam fuit ſtatutum, *dari fratribus duo fercula, unum de ovis, alterum de piſcibus, cum duobus pulmentaribus*; quod ignorare non potuit Nicolaus Abbas, eo in conventu monaſterii Murenſis viſitator conſtitutus. Nec ullum aliud legitur exemplum, ut totus conventus ad carnes comedendas in infirmariam admitteretur: tantum in rotulo ſerius ad finem iam vergente ſeculo XV. indultum, *ut quater per annum, hoc eſt ad feſtum S. Blaſii, in Maio, circa feſtum Bartholomæi & Martini computando quatuordecim dies, prædicta anni tempo-*

ra

ra aut præcedentes aut ſubſequentes, ſemper bini & bini phlebotomi ſint, idque per quinque dies, quibus ſingulis quisque eorum accipiant quinque fruſta ſeu portiones de carnibus. Melius hæc cum *Benedictina* concordant, quæ fuit in capitulo primo provinciali Petershuſiano an. 1417. ſic confirmata, ut ſimul epikiæ obex poſitus videatur, ne conventus ſaltem extra refectorium comederet, his verbis: *Item quod fratres comedant & bibant in refectorio: in quo nullus omnino carne veſcatur. Diligentes ſint viſitatores, ut conſtitutiones Benedictinas de eſu & abſtinentia carnium &c. faciant inviolabiliter obſervari. Menſaque eorum non deſit lectio &c.* Concordat Baſileenſe decretum anni 1439. ſæpe laudatum. Strictior autem eſt conſtitutio Nicolai de Cuſa cardinalis legati huiusmodi: *Simul reficiant fratres ſub menſali lectione uſque ad finem refectionis continuanda. Carnium eſus ſit univerſis omni tempore & loco (caſu a Regula permiſſo duntaxat excepto) ſtrictiſſime interdictus.* Quod quidem excedit præceptum Regulæ. Iacobus Carthuſianus mitiorem S. Thomæ in quodlib. q. 9. ſequitur opinionem circa carnium eſum *vel per diſpenſationem ſuperiorum tacitam vel expreſſam, per ipſorum diſſimulationem ſive permiſſionem*, varias movens quæſtiones in tractatu, qui inſcribitur *Petitiones religioſorum pro reformatione ſui ſtatus*, editus a P. Engelberto Klupfelio in veteri Bibliotheca eccleſiaſtica a).

a) *Vol. I. part. prior. p. 160.*

Perſeveravit alicubi ſeculo hoc XV. uſus ſagiminis, quando etiam carnes vetitæ erant, loco pinguedinis ex lacte, vel olei, quo ſolo uti in quadrageſima, & apud nos aliis quoque temporibus licebat, qua de re in memoratis ſtatutis Mellicenſibus apud P. Schram ita articulatim præſcribitur: „In quadrageſima, in omnibus ieiuniis eccleſiæ, nec „non in adventu Domini & feriis ſextis per anni circuitum utimur „oleatis, ieiunantes, die paraſceves, ut ſupra tactum eſt, excepta, & „die natali Domini, quando in feria ſexta venerit, quia ibi bina uti„mur refectione, quando autem oleatis utimur, communiter pro cibo „ſecundo piſces dantur extra ferias ſextas quadrageſimæ, in quibus non „dantur piſces, niſi feſtum aliquod maius occurrat. Cæteris autem ie„iuniorum diebus lacticiniis veſcimur & ovis, ſine pinguedine carnium.“ Iam retulimus indultum Philippi Cardinalis ad epiſcopum Conſtantienſem an. 1467. rogatu Chriſtophori abbatis S. Blaſii, quo ſubditis ſanis butyri, infirmis vero lacticiniorum uſus in quadrageſima & aliis ieiunialibus diebus conceditur. Simile indultum legere eſt apud Cruſium in annalibus Sueviæ b) a Nicolao IV. P. Wirtembergenſibus datum.

b) *P. III. Lib. VII. c. 7.*

XLV.

SECULUM XV.

Divifio bonorum.

XLV. Elaborarunt pariter Ordinis noftri Patres in concilio Bafileenfi confcripti ad eliminandam illam, quam proximis feculis notavimus, divifionem bonorum inter abbatem & conventum, variosque officiales & expenfarum rubricas, hac faluberrima conftitutione art. 18. *Quum omnia bona monafterii fint pro fuftentatione monachorum, & aliis neceffitatibus fupportandis ordinata, de quibus iuxta exigentiam omnium fingulis debet provideri, ut habetur in reg. 33. abfurdiffimum eft, quod abbates & officiarii de proventibus monafterii ad fuperfluitatem eructent, & pauperes monachi clauftrales in veftitu, vel in victu, aut aliis neceffitatibus, & præfertim in infirmitate corporis egeant: fic quod fæpe ad parentum fubfidia redire cogantur. Volumus & ordinamus, quod non obftantibus, partitionibus onerum abbatis & officiariorum inter fe, omnia neceffaria monachis tribuantur de bonis monafterii univerfaliter: & ad hoc faciendum fiat refolutio usque ad proventus quorumcumque officiariorum & abbatis fimiliter, nec partitio illa, nec quæcumque alia confuetudo ipfi abbati vel quibuscumque officiariis poffit in oppofitum fuffragari. Super quo volumus præcipue præfides capituli intendere.* Eadem de caufa poftea cavent art. 34. *ne victualia, veftimenta, feu alia neceffaria monachis dentur in pecunia, feu ex reditibus ullo modo miniftrentur, conftitutione quacumque aut ordinatione non obftante.*

Sic fane quafi domini rerum fibi in proprium traditarum reddebantur monachi, facileque in animum induco, hinc ufum inolevifle, ut paffim *domini* abhinc vocari cœperint Benedictini, ut paullo ante exemplum adduximus. Plurimæque huius ævi chartæ inveniuntur, quibus abbates fuis proventus addicunt, legata faciunt, ac teftamenta condunt pro anniverfariis, plerumque cum magno onere in choro, dum viciffim aliquid refocillamenti conceditur in menfa, fubinde cum frugalitatis religiofæ difpendio. Taceo alia ingentia inde in difciplinam monafticam redundantia mala, vitium imprimis proprietatis, cuius fuapte natura incapaces funt monachi. Verfatur in hoc argumento Iacobus Carthufianus in libello *de negligentia Prælatorum* a). In eo autem libello quatuor ordines nominat, *fcilicet Bafilii, Auguftini, Benedicti & Francifci, qui debent & tenentur vivere fecundum modum apoftolicæ regulæ, fuper qua quatuor prædictorum Patrum regulæ fundatæ funt; ideoque omnia ipfis debent effe communia: unde divifionem rerum fequitur divifio voluntatum.* Poftea vero quæftionem iniiciens, quare tamen multi monachorum in iftam damnabilem proprietatem tam avide afpirent, quod nec precibus vinci, nec minis ab ea queant reflecti? *Refpondetur,* pergit b), *quod illius duplex eft caufa, fcilicet extrinfeca, quæ eft negli-*

a) Franc. Walchii monim. medii ævi p. 170.

b) pag. 199.

gen-

gentia Prælatorum, proprietatem in ſubditis tolerantium; alia eſt intrinſeca, quæ eſt inordinatus amor in vitam delicatam, quæ requirit pecuniarum uſum, ob cuius adeptionem multi intrant religionem, non propter Deum, ſed commoda corporum ſuorum, in ſeculo de temporalium ſuorum proviſione deſperantes. Ita quæ ſua ſunt, non quæ Dei, quæritantes hi monachi, corruptam intentionem proprietariam eorum & vita, & mala declarant opera.

In alio tractatu ſupra a nobis citato, qui inſcribitur: *Petitiones religioſorum pro reformatione ſui ſtatus*, agens de fine, quem ſibi præſtituerant inſtitutores ordinum religioſorum SS. Benedictus, Franciſcus „nec non „omnes, (inquit), alii ſancti Patres, qui religiones inſtituerunt, in „ſuis ſtatutis regularibus communem vitam mandant, atque præcipiunt, in monaſteriis ſuis obſervare volentes, quod eorum ſequaces omnes ſimul in refectorio ex una olla, ex unoque cellario paſcantur, „atque ex uno veſtiario induantur, nullusque curam ſui ipſius habeat, „ſed Prælati illam curam gerant, ſingulis ſubditis, prout unicuique „opus fuerit, providentes. Hæc enim ſanctorum extat intentio Patrum; nam propter hoc principaliter & religiones extant inſtitutæ, prout omnibus clare conſtat atque manifeſte. Sed heu heu „nunc valde in contrarium eſt verſa & mutata rerum facies: quia per „totam fere Alemanniam omnes utriusque ſexus perſonæ religioſæ atque „regulares curam ſui ipſius reſumſerunt, ac etiam religionem ingredientes quotidie in ipſo ingreſſu reaſſumunt ſingularem vitam, communem „atque regularem minime obſervantes in ſuarum periculum animarum, „ſolis Carthuſienſibus ac etiam quibusdam aliis, pauciſſimis dumtaxat, „exceptis. Sunt enim plerique, qui nec refectorium nec dormitorium „frequentant, ſed in propriis ædibus ac habitaculis dormiunt atque reficiuntur, poſſidentes quidem aurum & argentum, variamque ſupellectilem in vaſis pretioſis, veſtibus atque lectis, ſervos & ancillas habentes, equos & canes venaticos, & quod turpius eſt, concubinas cum „pueris earumdem, nullumque religionis veſtigium in ipſis reperitur: „quia nec tonſuram, nec habitum deferunt competentem. Sunt etiam „alii in modico religioſiores, qui communem vitam ſpecietenus videntur obſervare: nam ſimpliciores inter eos, qui chorales nominantur, „& refectorium quidem frequentant; ſed maiores atque officicales, „quorum in ſingulis monaſteriis extant ſatis multi, in locis particularibus atque anguloſis lautius & melius ſe procurant, poſſidentes „omnes ſimul maiores & minores aurum & argentum, id eſt, pecuniam ad libitum, quaſi ſibi veſtes plures atque meliores liceant, ac

SECULUM XV.

„alia, quæ placent, valeant comparare, nec non cum ſociis & ſociabus, prout libet, poſſint convivare. Sunt vero alii non pauci his „deteriores, refectorium numquam vel raro frequentantes, qui in ſtubis camerisque & locis angularibus ſe ipſos lautius ſolent procurare. Si „autem aliqui ex eis quandoque refectorium ſolent viſitare, habent tamen „ſinguli in eadem menſa ſingularia, cum cibo & potu ſpeciali, inæ„qualiter tamen, quia quilibet ſecundum ſuam facultatem, prout poteſt.“ Iterum & mox etiam peculium inceſſit, victumque ſingularem apud moniales quoque: *Nam*, inquit, *in ſingulis monaſteriis tot ollulæ ignem occupant in coquina, quot in eisdem mulieres extant reſidentes: hoc dumtaxat excepto, quod quandoque duæ vel tres vel quatuor inſimul ſibi cibos ſolent ſpeciales præparare. Sicque magna & notabilis, imo confuſibilis tam in viris quam in mulieribus religioſis extat inæqualitas in cibo, potu & veſtitu.* Poſtquam deinde graviter de neglectu clauſuræ apud moniales dixiſſet, pluribus pericula & damna proſequitur ex promiſcuo uſu pecuniarum, *qui*, inquit, *nunc religioſis omnibus indifferenter vel conceditur vel permittitur a Prælatis.*

Expoſiti monachi ad curam animarum præſertim.

XLVI. Perſæpe abbatibus huius ævi locus & occaſio fuit propheticum illud ingeminandi: *filios enutrivi & exaltavi, ipſi vero ſpreverunt me;* dum quos peculio, dignitatibus auxerunt & beneficiis, obedientiæ iugum excutere niterentur, ſibique indulgerent expoſiti extra monaſterium, ſive rebus monaſterii adminiſtrandis præpoſiti, ſive etiam curæ animarum in exterioribus locis ac parochiis mancipati. Actitabant paſſim hoc tempore epiſcopi, ut monachi etiam, quo eos magis ſibi obnoxios redderent, beneficiis inveſtirentur, quin a ſuis ſuperioribus ſeu abbatibus ad nutum revocari poſſent: quod tamen ſagaces, prudentes & experti epiſcopi in parochis regularibus imprimis æſtimant, ut, ſi forte officio deſint, aut ineptia ſua vel negligentia, ſive vita & converſatione offendiculo forent, ſine difficultate removeri, & in clauſtra ſua revocari ac recondi queant.

Certatim ſeculo XV. novi coloni Benedictini (qui olim fidem chriſtianam Germaniæ apoſtoli intulerant, atque etiam ad finem huius ſeculi ex monaſterio Montſerratenſi apoſtolatum in novum orbem, duce & anteſignano Buellio ex eodem ordine & monaſterio, primi ſuſceperant) parochiis præfecti ſunt in Nigra ſilva noſtra Ordinis S. Benedicti colonia, præſertim ex monaſteriis S. Georgii, S. Blaſii & Hirſaugia, aliis, paſſim in locum presbyterorum ſecularium ſuffecti, haud obſtantibus turbis, quas ab ineunte ſeculo bullæ quædam pontificiæ excitaverant, haud

haud equidem contra curam paſtoralem a regularibus exercendam, qui utpote ſacerdotio perinde ac presbyteri ſeculares initiati, & pro cura animarum adprobati & legitime aſſumti, ut olim apoſtolicis, ita etiam deinceps non minus parochialibus functionibus apti ſunt habiti. Recruduerunt enimvero ſuperiorum temporum lites, in academia præſertim Pariſienſi, ut apud Bulæum a) legere eſt, ob bullam Alexandri V. an. 1409. in gratiam religioſorum mendicantium datam, qua illis licebat ubique evangelium Chriſti prædicare, confeſſiones peccatorum audire, ſacramenta miniſtrare, cæteraque munia, quæ curionibus ſeu curatis parochis competunt, obire: bullam vero illam anno mox ſequente 1410. revocavit Ioannes XXIII. ob turbas inde exortas, remque in eodem ſtatu permanere voluit, in quo fuerat ante prædictam conſtitutionem.

a) *Hiſt. Univerſ. T. V. pag.* 196.

Is ipſe vero ſummus pontifex non unam tantum parochiam a religioſis monaſterii S. Blaſii, quos ſeptuaginta eſſe teſtatur in bulla, expoſitis adminiſtrandam conceſſit in diœceſi Conſtantienſi: ubi poſt primum mox ſeculi XV. annum idem Kirchdorfii in Helvetia indulſit Henrici epiſcopi Electenſis adminiſtratorisque perpetui eccleſiæ Conſtantienſis vicarius in ſpiritualibus generalis, *ſperantes*, ut verba chartæ habent, *non ſolum monaſterium in ſuo ſtatu per hoc conſervari, verum etiam divini numinis cultum, quem ferventer ſitimus, augmentari in eodem.* Non primum hoc erat exemplum curæ parochialis a monachis San-Blaſianis exercitæ in Helvetia, in qua cellæ in Wislikoven functiones quoque paſtorales adhærent, extra Nigram ſilvam. In hac autem præter vicarios plures ex monaſterio ipſo in filiales eccleſias ad animarum curam excurrentes, ab iisdem S. Blaſii religioſis adminiſtrabantur plebaniæ in Schönau, Tottnau, Tottmos &c.: quibus an. 1432. Iulianus cardinalis legatus in concilio Baſileenſi adiunxit parochiam in Niderwil, & an. 1451. Nicolaus de Cuſa cardinalis ſedis Apoſtolicæ per Alemanniam legatus parochiam in Effringen, ut ad eam monachus poſſit exponi, prout illis in plagis cum cellis monialium Berovii & alibi paſſim coniunctæ erant parochiæ a monachis noſtris curatæ.

Factum id, non obſtantibus novis controverſiis, quæ idemtidem contra regulares excitabantur ob mendicantium privilegia ab Eugenio IV. maxime autem a Nicolao V. aucta per novam bullam an. 1456. conſimilem illi, quam ab Alexandro V. obtinuerant mendicantes, ad eccleſiaſticas functiones regionatim exercendas, ubi etiam certis conſtitutis inter ſe terminis eleemoſynas colligebant. Qua de re chartam edimus, Nigram ſilvam noſtram attingentem. Unde vero ratio patet, cur Franciſca-

SECULUM XV.

ciſcanis res magis quam Dominicanis cordi fuerit, prout apud citatum Bulæum a) videre eſt, quomodo etiam res ſedatæ ſint inter univerſitatem & mendicantes, celebratis eodem anno die 18. Menſis Febr. apud Bernardinos ſeu Ciſtercienſes comitiis.

a) *L. c. p.* 200.

Efflorescens litterarum ſtudium in vicinis Nigræ ſilvæ academiis.

XLVII. Inolitum id erat, ut academia Pariſienſis comitia ſua generalia apud Ciſtercienſes ageret ſeculo hoc XV. quo felix quoque auſpicium acceperunt ſtudia litterarum in monaſterio S. Germani, a *Pratis* appellato, maxime ſub *Guilielmo Epiſcopi* abbate, qui ius canonicum in univerſitate Pariſienſi docuiſſe fertur, quam imprimis Guilielmus Tutavillus cardinalis illuſtravit, inſtauravitque, a Ioanne Launoio propterea dictus *litterarum in academia iam ſeneſcentium ac diſſipatarum reductor & reformator.* Paſſim quoque apud Bulæum laudantur nationis Germanicæ, quæ Anglicæ erat ſociata, doctores, procuratores, oratores ad regem, rectores, de Praga ſeu Bohemia, de Bavaria, de Alemannia ex familiis hodieque adhuc cognitis aut exiſtentibus, de Lantman, Kolb, Hemerlin, Krimel, ex Alſatia etiam diœceſis Argentinæ, Spirenſis item, pluresque ex Conſtantienſi de Ulma, & Auguſtana de Gamundia Suevi b).

b) *L. c. p.* 761. 793. 910. 919. *&c.*

In Conſtant. diœceſi duæ ſeculo hoc XV. effloruere academiæ, Friburgenſis & Tubingenſis: hæc proxima Nigræ ſilvæ a plaga orientali, illa faucibus eius adhærens, fundata ab Alberto VI. Archiduce Auſtriæ Friderici III. imp. fratre, ſuaſu præcipue Mechtildis lectiſſimæ coniugis ſupra a nobis laudatæ. Hæc filia Ludovici comitis Palatini, ac cognominis Wirtembergiæ comitis vidua, Eberhardo comiti id quoque conſilium poſtea ſuggeſſiſſe dicitur ad condendam univerſitatem Tubingenſem, cuius auſpicium Cruſius in annalibus Suevicis ad annum 1473. ponit. De Friburgenſi Paulus Langius in chronico Citicenſi apud Piſtorium ad annum 1463. *eodem anno*, inquit, *ſtudium univerſale Friburgæ in Briſgoia inſtitutum eſt, & ibidem uſque in præſens floret.* Paullo altius a ſua inſtitutione repetit initia academiæ Friburgenſis Ioſ. de Riegger in proluſione academica *de origine & inſtitutione academiæ Albertinæ ſeu Friburgenſis* inter opuſcula hiſtorico-iuridica an. 1775. Friburgi edita c), ſcilicet ab an. 1455. quo totum huius rei negotium Henrico IV. epiſcopo Conſtantienſi tamquam diœceſano commiſit Albertus, eumque apoſtolica auctoritate providere iuſſit. Id quod ille delegata ſibi pontificis poteſtate mox executus, tam Friburgi quam in vicinia die 17. Aprilis an. 1456. novæ huius academiæ inſtitutionem publicis edictis promulgari curavit. Publica fundationis dotationisque inſtrumenta dictæ proluſioni academicæ adiecta leguntur, imprimis Alberti

c) *Pag.* 188.

ti fundatoris, cum confirmatione Friderici III. imp. ac Henrici IV. episcopi Constantiensis executoris an. 1456. inserta simul bulla Callisti III. P. commissoria iam an. 1455. data. Adduntur confirmatoriæ incorporationum beneficiorum eidem academiæ factarum, datæ ab eodem episcopo cum suo capitulo an 1457. ab Hermanno successore an. 1469. Sigismundo item archiduce an. 1460. & seqq. ac demum a Sixto IV. an. 1477. & Maximiliano I. imp. an. 1490. &c. Ante hæc Alberti fundatoris credentiales an. 1456. habentur pro Matthæo Hummel, & Thuringo de Hallwiler, ad Augustanum, Basileensem, & maxime Constantiensem episcopos, ut destinatis illis a se commissariis opera sua adsint in fundandæ ac stabiliendæ academiæ negotio: in qua laudatus Matthæus Hummel Villinganus ex Nigra silva primus postea Rector fuit an. 1460. quando statuta academiæ die 10. Augusti primus publicavit, destinata illi iam an. 1457. cathedra medica, cum pensione 70. florenorum ex decimis Villinganis.

Eodem anno Friburgum advolavit Ioannes Kererus, quumque necdum aperta esset academia, pueros aliquamdiu latinæ linguæ elementis imbuit, an. 1460. professoribus facultatis philosophicæ Kiliano Wolfio, Ioanni Seulnhofero, Ioanni Moelfelt, & Conrado Arnold sociatus, ac an. 1466. instruendæ supellectili litterariæ admotus, totum sese interea sacratioribus studiis mancipavit. Rebus humanis exemto Kiliano Wolf de Haslach an. 1474. rector ecclesiæ parochialis Friburgensis fuit renuntiatus contra æmulum Henricum de Ampringen. An. 1482. & 1486. in actis academicis legitur universitatis superintendens, qui oculum habebit, ut lectiones, & alii actus in omni facultate & utiliter fiant, & unusquisque sive doctor, sive magister, sive scholaris se bene habeat & in vestimentis pro decentia sui status & universitatis. Kererus an. 1493. a Friderico III. episcopo Augustano e comitibus de Zollern accitus suffraganeus, longe maxime proficuus fuit academiæ instituto *Sapientiæ* collegio in gratiam pauperum studiosorum, annuisque censuum proventibus magnificentissime dotato, mortuus an. 1507. prout omnia edisseruit P. Engelbertus Klüpfelius, eiusdem nunc academiæ Professor theologus in veteri bibliotheca ecclesiastica a), ubi primum locum occupat de eius vita commentarius.

a) *Vol. I. P. I.*

Professores academiæ Friburgensi subministrarunt Viennensis, Erfordiensis, atque imprimis Heidelbergensis: ac in theologia quidem Ioannem Pfeffer de Widenberg, in iure canonico Conradum Odernheim, in philosophia magistrum primum facultatis artium Kilianum Wolf de Haslach e Nigra silva oriundum. Heidelbergam sæpius divertit iam laudatus a nobis

SECULUM XV.

Iacobus Wimphelingus, insigne Friburgensis academiæ iam adolescentis decus, perinde ac eidem familiaris admodum Ioannes Geilerus Keiserspergius, patria Schafhusanus, inde ex cathedra Theologiæ Friburgensi celebris pro tempore concionator Argentorati factus a): de quo, deque eius antecessore, ac primo in academia Friburgensi professore Ioanne Pfeffero agit integer fasciculus amœnitatum litter. Friburg. Iosephi Rieggeri de historia eiusdem academiæ optime meriti, atque de Ulrico Zasio imprimis, edito eiusdem epistolarum spisso volumine; qui ad finem tandem huius seculi XV. albo academico fuit adscriptus.

a) *Grandidier Essais sur le cathedrale de Strasbourg p. 70. &c.*

Impetrata haud multis ante annis a Sigismundo Austriæ archiduce conservatorem academiæ a summo Pontifice petendi facultate Innocentius VIII. an. 1491. abbatem monasterii S. Trudperti, qui tunc erat Othmarus Arnold, nec non cathedralium ecclesiarum Argentinensis & Constantiensis decanos conservatores ac iudices universitatis Friburgensis constituit, idemque anno sequenti Maximilianus I. imp. confirmavit, ut in analectis b) laudati Rieggeri legere est. Nigra silva nostra sic veluti quaquaversum cincta academiis, quum a septentrione Heidelbergensem haberet, ab occidente Friburgensem, ab oriente Tubingensem, quartam etiam vergente seculo XV. ad meridiem accepit Basileensem. In hac saltem Ioannes a Lapide nobis memorandus venit natione Teutonicus, teste Bulæo, c) qui relicta patria Parisiis artium magister factus litteras humaniores primum docuit. Exinde se ad Theologiam contulit, doctoris in ea lauream adeptus. Memoratur in edicto Ludovici XI. an. 1473. contra Nominales; unde in patriam reversus Realium Parisiensium doctrinam ad universitatem Basileensem (an. 1459. auctoritate Pii II. P. institutam) primus transtulit, atque ibidem perhibente Trithemio & Eisengrenio, plantavit, roboravit, auxit. Ex eo loco evocatus Tubingensis academiæ posuit initia.

b) *pag. 301.*

c) *Hist. univ. Parif. T. V. pag. 889.*

Atque ex reformatione disciplinæ monasticæ.

XLVIII. Hinc Basileam redux canonicatum ecclesiæ cathedralis obtinuit, quo demum dimisso, Carthusiano sese Ordini addixit. Fertilis admodum hic Ordo fuit viris claris doctrina, editisque scriptis sec. XV. ex quibus iam supra memoravimus nonnullos Carthusiæ Friburgensis in Nigra silva doctores. Hic vero duce Paulo Langio & Eisengrenio inter orthodoxos matris ecclesiæ doctores nominamus saltem Bartholomæum Priorem domus Bethlehem in Ruremunda Geldriæ oppido, Ioannem de Teneramunda, Priorem domus Sillinaci in Sabaudia, Oswaldum Anglicum, Iacobum Carthusianum, non confundendum, ut a nomine factum, cum Iacobo Groytrodio item Carthusiano. Utrumque recte distinguit Eisengrenius, eisque, post Dominicum monachum Carthusiæ S. Albani prope

Tre-

Treviros, interponit celeberrimum Dionyſium Carthuſianum Ryckel, aliis de Seewis, Ruremundenſem item, quamvis de innumeris illius ſcriptis pauca admodum commemoret. Paulus Langius ad magiſtrum ſuum Trithemium de ſcriptoribus eccleſiaſticis provocans in chronico Citicenſi ad an. 1460. Iacobo de Gruytrode tribuit quinque illa vulgatiſſima, ut ait, pariter & clariſſima, prælatorum videlicet, & ſubditorum, ſacerdotum &c. ſpecula, quæ perperam Dionyſio Ryckel adſcribuntur: celebrat tamen Dionyſium ceu theologum excellentiſſimum, qui propter multa & varia, quæ eleganter & utiliter ſcripſit, alter ævo ſuo Auguſtinus ſit habitus. Vel ſolus hic ſufficere queat teſtis veritatis, quod in otio ac ſolitudine religioſa monachus vitæ ſanctimoniam cum ſcientiis ſtudioque litterarum quam optime coniungere poſſit.

Sæculum XV.

Sæpe laudatus a nobis Iacobus Carthuſianus in negotio reformationis præcipuus auctor, etiam Trithemio in catalogo illuſtrium virorum a) antea cuiusdam cœnobii Ciſtercienſis abbas fuiſſe memoratur, & ob ſpem emendatioris vitæ dignitatem paſtoralis curæ cum Ordine deſeruiſſe, locumque in Salvatoris monte (Erfordienſis Carthuſiæ) impetraſſe, *ubi ſcribendo & docendo fama divulgatus, uſque adeo nomen doctoris obtinuit, ut eius verba ſcriptaque pro Apollinis oraculo haberentur.* Is, ex relatione P. Klüpfelii in præfatione bibliothecæ eccleſiaſticæ, Iuterbuckius ex natali ſolo in Saxonia dictus, apud Polonos in monaſterio Claræcumbæ in monachum attonſus, inde etiam Iacobus de Polonia, & Ciſtercienſis fuit appellatus, uti a monaſterio Iacobus de Paradiſo, iuxta Walchium in præfat. I. monimentorum medii ævi. Attamen apud Paulum Langium in chron. Citic. ad an. 1460. diſtinguuntur Iacobus de Iuterbuck, *cuius*, inquit, *ſcripta religioſis ſunt accommodatiſſima, omni ſcripturarum doctrina referta*, & Iacobus de Paradiſo, quem appellat doctorem luculentiſſimum, eumque immediate iungit Iacobo Iuterbuck, cuius vitam ſcripſit Iacobus Volradus eiusdem ordinis. Hic quum & ingenii & induſtriæ præclara indicia præſeferret, a Paulo abbate ſuo miſſus eſt Cracoviam ad perdiſcendas ſublimiores litteras tam philoſophicas quam theologicas: in quibus eum progreſſum fecit, ut ſupremam in utraque facultate lauream ferret. Sed ipſum hac de re audiamus loquentem in fragmento ſermonis, quem habuit an. 1432. fer. 3. ante Purificationem, apud P. Klüpfelium b): *Recolens, me a pulveribus civilis & ruſticanæ ſobolis traxiſſe originem, & in camino paupertatis plurimis annis delituiſſe, a quibus erectum ad ſacri ſacerdotii, imo ad ſtatum religionis & perfectionis me ſubvexit, gradatimque ad*

a) Opp. T. I. pag. 1588.

b) Bibl. vet. eccleſ. Vol. I. pag. 169.

SECULUM XV.

ad ascensus artium philosophiæ & theologiæ facultatis usque ad apicem summi magisterii in sacra theologia me vocavit, quod quidem inter compares meos, religiosos mei Ordinis, nedum in hoc regno, imo & in pluribus regnis in Alemannia rarissimum est, aliquem scilicet ex meis fratribus ad hunc gradum pertigisse, quod soli mihi hucusque Divina auspice gratia conspicio reservatum &c. Is vero tractatum suum, quem inscripsit *Petitiones religiosorum pro reformatione sui status*, concludens, doctores & magistros, sacræ videlicet theologiæ professores atque utriusque iuris, nomine diversarum religionum, monasteriorum & conventuum utriusque sexus, pluribus obnixe obtestatur, *quatenus divinæ pietatis intuitu æternaque remunerationis nos miseros & simplices de præscriptis motivis atque dubiis statum nostrum & profectum atque salutem concernentibus imo & summe necessariis, informare atque certificare clare & dilucide secundum nudam certamque veritatem, prout divina æternaque sapientia vobis inspiraverit, nec non unctio & ratio docuerit, dignetur vestra charitas atque probitas veneranda.*

Quantum reformatio monastica bonis litteris litteratisque debeat, id hoc seculo XV. omnes illæ congregationes Benedictinæ reformatæ exemplo suo docuerunt, ipsique reformatores doctrina perinde ac vitæ integritate sanctimoniaque illustres, Ioannes de Rhode, cognominesque Ioannes abbas Castellensis, & Ioannes de Indagine Bursfeldensis, quive ei quartus in reformatione successit Ioannes, cuius obitum Trithemius in chron. Hirsaug. ad annum 1502. commemorat, aliosque cum Eisengrenio a nobis iam supra notatos. Hos inter præcipuus est Martinus de Senging Prior Mellicensis, quem nunc idoneum cumprimis testem adducimus, qui dum ipse, quam recte cohæreat arcta disciplina cum doctrina, ad S. Bernardi exemplum provocasset, ita tuitiones Regulæ S. Bened. prosequitur a): *usque hodie quoque, ubi regulariter vivunt, dicuntur Regulam servare ad litteram. Sicut igitur tunc illi carnis lapsum timentes, hominum consortia fugerunt, ut Regulæ observantiam continuare possent, qui lapsus carnis maxime evenit ex continuatione esus carnium, non fuerunt a Deo deserti, sed mirabiliter multiplicati, & nedum per personas litteraturæ simplicis, sed etiam doctas & bene naturatas: ita hodie, ut experientia docet, augetur numerus personarum mirabiliter. Multi enim videntes diabolum expulsum a locis monasticis, ob vitam in eis introductam Deo placitam, ac secundum Regulam S. Benedicti statutam, multi, dico, scientia & moribus præditi, genere clari, magnarum possessores divitiarum, omnia reputarunt ut stercora, ut Christum lucrifaciant, seculo diu fidem servantes, tandem ad Christum con-*

a) Pez. Bibl. Ascet. Tom. VIII. p. 526.

versi

verfi funt. Novi enim unum monafterium folenne ord. S. Benedicti, ubi ante ipfius reformationem fuerunt monachi ad maximum numero quatuordecim, quamquam uberes habuerint fructus, annos videlicet omnis fterilitatis expertes, ubi unusquisque vivebat, prout voluit, emendo vendendoque portionem fuam prabendalem, nec inter multa monafteria etiam vix unum fuiffet repertum, in quo aliquis fuiffet doctus, nifi forte fcientia inflante. Nunc vero in eodem monafterio, de quo fupra memini, funt plusquam feptuaginta perfonæ religiofæ poft ipfius reformationem, quarum multæ funt graduatæ, adeo quoque dietim confluunt, ut iam locus cito non poffit capere: & licet his temporibus fint anni fteriles, oporteatque iam dare magnas fteuras & continuas, tamen nihilominus Deus illis bene providet, quippe quorum oculi in Deum fperant; ut det illis efcam in tempore opportuno.

Paulus Langius in chron. Citic. Petrum abbatem fuum, quem ob nimium rigorem ad an. 1485. inceſſerat, a doctrina tamen & affiduo labore dilaudat, iuvenem quidem adhuc monachum, fcribam vero velocem & excellentem, qui *multos pro bibliothecæ ornamento & decore ufuque fratrum propria fcripfit manu codices: quos inter cuncta pene Iacobi Carthufienfis* (modo & fæpe alias laudati) *celebratiffimi theologi opufcula (uti in præfens cernitur) accurate & laboriofe confcripfit, & ligavit, & ex in legenda communi pro utilitate intra bibliothecam pofuit.* Factus is abbas iam vergente ad finem feculo, libris arte typographica impreffis bibliothecam fuam ftudiofiffime ornandi & locupletandi occafionem arripuit: *omnes fiquidem libros*, verba funt Langii, *& tractatus, quos bibliopolæ venales attulerunt, & potiffimum quos antea non habebamus, tamquam margaritas dominico in agro repertas absque mora comparavit, moxque ex integro per ordinem legit, lectos mihi minio pingendos, vel (ut aiunt) rubricandos tradidit, rubricatosque & capitalibus litteris infignitos materiæ iuxta congruentiam compofuit, ficque ligandos dedit. Quo facto ipfe ultimate fibulis five claufuris a fe artificialiter factis accurate claufit, tandem regiftellis diftinctos & ftallis bibliothecæ impofuit. Eorumdem tamen lectio non adeo communis fuit & libera, cum quemlibet fratrem unico oportebat fore contentum codice. Quamquam unus (ut ioco loquar) etiam cuique ftudiofiffimo toto anno pro ftudio fufficerit codex; cum æftatis tempore, tum præfertim diebus ferialibus labores ob manuales pene nullum legendi arriferit tempus, cum etiam frequenter ftudium ipfum regulare, & meridianæ quietis tempufculum fubtraheretur. Sed neque tunc paffim communi fratrum pro ufu tot libri, uti modo, publicitus fuere expofiti. Solum quippe Rationale divinorum officiorum*

SECULUM XV.

& Catholicon ille magnus, ac paucula pleraque scholasticalia quodam in loco pulverulento communi pro studio palam exstabant.

Vel me non monente ipsa sese ratio prodit, quo modo cum observantia regulari, frugalitate, solitudine & silentio apto quodam vinculo cohæreat doctrina & abundantia, cuius rei sufficiens testimonium reddit Mellicensium MSS. bibliotheca a P. Martino Krapp edita, manu exaratis huius ætatis operibus referta, qua eiusdem monasterii disciplina fuit reformata, atque instituta celebris Mellicensis congregatio. Eliminata siquidem per eiuscemodi reformationes otiositate, quæ Regula monente & experientia testante inimica est animæ, monachi omnino ad salutaria litterarum studia sensim compellebantur, maiore utique cum fructu, quam si superficiario quodam & inutili sæpe manuum labore occuparentur. Consimile fere huiusce litterarii laboris exemplum nobis præbet *templum honoris* monasterii Wiblingensis, antiquæ D. Blasii coloniæ, in manuscriptoribus sub reformatore Udalrico abbate. Paullatim quoque per seculi XV. reformatores in aliis etiam monasteriis via patefacta est ad restituendas in illis litteras, virosque litteratos monachos, dum prius fere per ludimagistros seculares, clericos plerumque ac sacerdotes scholæ per aliquot secula utcunque fieret. Serius quidem in S. Blasii monasterio fructus suos protulit cura illa, quam ineunte iam seculo XV. Ioannes I. & II. huius nominis abbates salubribus suis institutis in favorem scholarium, paucorum equidem impenderunt. Melior profecto tutiorque fuisset restitutio studiorum in ipsis monasteriis, professoribusque monachis, quam ut in academias aliaque exteriora studiorum loca mitterentur iuniores monachi, eo nempe fine, quo cautum iam fuerat per *Benedictinam* sæpe laudatam, ne per civitates vagerentur eiusmodi studentes, semperque essent sub oculis superiorum quorumdam seu Priorum constituti: quam in rem statutum aliquod in decretis Basileensibus an. 1439. habetur. Neque porro hinc præcautum satis erat alteri defectui, necessario inde enascenti, quod iuniores eiusmodi studentes monachi dum scientias in seculo paullo ante abiurato quærunt, eiusdem quoque mores vix depositos resumant, ac monasteriorum suorum vivendi rationi, consuetudinibus ac laboribus haud assueti, non nisi ægerrime sese iugo illi subiiciunt, quod modicum adeo paullo ante subierunt. Atque ipsa hæc ex cæteris causis non postrema fuit, cur a studiis litterarum, ex Academiis nimirum hauriendis, tantopere abhorruerint ævo illo plerumque abbates, dum proclive adeo fuit recipere iuniores monachos a studiis academicis redeuntes indisciplinatos,

natos, aut ſuperbientes, ac ſpiritu mundano repletos, qui loco ſcientiarum nonniſi diſcordias in congregatione nutriebant, ipſamque per hoc diſciplinam religioſam labefactabant. Unde illæ quorumdam ad Trithemium abbatem, qui reſtituendis monaſticis ſtudiis, poſtquam vix non plene ſec. XV. exoleverant, ſedulo incumbebat, factæ querelæ teſte Langiò eius diſcipulo: *quid monachis tantopere commendas inane ſtudium litterarum, quod eos non humiles reddit, ſed contumaces & ſuperbos? nos in monachis noſtris non ſcientiam requirimus, ſed humilitatem.* Fuerint tamen forte huiusmodi incuſationes ſimul quoque excuſationes, quibus ſe ſæpe contra doctiores aut magis laborioſos munire ſolebant negligentes, vulgari illa parœmia: *ſcientia inflat*; quem vero inflantem ſpiritum vix magis, quam in deſidioſis reperire olim etiam licuit.

Neminem autem ipſe Trithemius in hac re tantopere refragantem habuit, quam ipſos ſuos Spanheimenſes monachos, qui etiam optimum ſuum hunc abbatem apud viſitatores ſuos accuſare haud verebantur. Hoc illis exprobrans in ſermone ſeu exhortatione ad eos habita: *Sunt*, inquit, *inter vos quidam, qui ſcientiam ſalutarem neſciunt, ſunt etiam, qui diſcere negligunt; quid? ſi addam, eſſe & alios, qui ſcientiam divinarum ſcripturarum penitus contemnunt? Certe non mentior, vos ſcitis, quia verum eſt, quod dico.... Nam ſtudiis meis nonnulli veſtrum uſque ad invidiam graviter adverſati ſunt, aratorem ſe malle habere prælatum quam oratorem cavillantes. Nonne & viſitatores in ſuam trahere ſententiam tentaverant, cupientes me illorum hortatu in abnegationem traducere ſcripturarum, ut ruricolam facerent, & curatorem porcorum magis quam animarum? Sed fruſtra conantur divinum impedire oraculum, quo impellente omnes mundi honores atque divitias, quamdiu vixero, ſtudio poſtponere decrevi ſcripturarum. Scio enim vere, nihil in hac vita homini clauſtrali ſalubrius poſſe contingere, quam ſi divinas cœperit ſcripturas veraciter amare. Quisquis veſtrum hanc meam inſtitutionem ſequi voluerit, me ducem itineris pariter & comitem habebit; qui autem ſequi diſcentem contemſerit, docentem audire nihilominus habebit &c.* De ſacris tantum litteris ſermonem hic facit Trithemius; forte tamen inter ſuos habuit, qui alia in illo, quam ſacratiora hæc reprehenderint ſtudia, vel etiam aſſiduitatem in diverſis ſtudiis nimiam, dum iuxta Sapientem *omnia tempus habent.*

Utut vero parva apud ſuos, maxima tamen fuit Ioannis Trithemii apud exteros cum principes, tum viros litteratos exiſtimatio, ac eos etiam, qui tunc admodum delicati affectatione quadam elegantiæ latini

SECULUM XV.

ſermonis plerumque ſtudia aliena, quaſi ſuis humiliora, facile deſpicatui habebant, iuvenili præſertim adhuc ætate. Hosce inter æſtimatores erat Nicolaus Gerbelius Pforzenſis Iuris conſultus Viennæ, deinde Argentorati hiſtoriam profeſſus, qui in epiſtola ad Trithemium ipſe ſibi gratulatur, ſe feliciſſimo hoc ſeculo natum, *quo tot illuſtres viri nec ignobilis famæ in Germania paſſim prodiere, quos inter tu unus es, qui cum litteris latinis & hebræas & græcas apud Germanos feciſti locupletiores, inter quos tantum polles & eniteſcis, ut an cupiam te comparem, an præferam cunctis, in trivio ſim, fluctuemque Chremetis inſtar Terentiani &c.*

Humaniorum, elegantiorumque litterarum refloreſcens ſtudium.

XLIX. Mirum omnino ſit, tantam Trithemio laudem tribui a diſcipulo Ioannis Capnionis ſeu Reuchlini, Pforzhemio ſeptentrionali ſilvæ Nigræ noſtræ limite oriundi, qui cum Rudolpho Agricola hebraicam græcamque linguam cum elegantia latini idiomatis in Germaniam noſtram intuliſſe viſus eſt. Ipſe enim in epiſtola ad Fabrum Stapulenſem teſtatur, ſe in Germania ludum Græcæ linguæ aperuiſſe, quam in Gallia acceperat, quum adoleſcens adhuc Pariſios iam an. 1473. profectus eſſet in comitatu Friderici marchionis Badenſis, epiſcopi poſtea Ultraiectini, inſtructore ibidem uſus Gregorio Typhernate. Hic nempe capta an. 1453. a Turcis Conſtantinopoli cum aliis doctiſſimis Græcis in Italiam eſt dilapſus, indeque & poſt eum alii, quos Bullæus ad an. 1470. nominat, Pariſios. Ubique vero gentium cum linguæ græcæ ſtudio latinæ quoque linguæ culturam, elegantioremque litteraturam exſtimularunt fato quodam, quod noſtris temporibus revocari videtur nimia affectatione & ſtudio elegantiorum ſeu humaniorum litterarum, quas Galli *belles lettres*, Germani *die ſchöne Wißenſchaften* adpellant. Hæ dum nimium depereuntur, vix iam aliud quid ſolidi ſeriique ſtudii ſibi ſuffenis placet in ipſis etiam theologicis ſcientiis, religionisque negotio: exemplo nimirum ac imitatione coryphæorum, qui anteſignani extiterunt fidei Chriſtianæ irriſorum ac contemtorum, idque maiore adhuc periculo, quam illa, in qua nunc verſamur ætate, ſeculo nimirum XV. factum, quo tamen excluſum ovum fuiſſe a multis iam eſt animadverſum, quod proximo ſec. XVI. adoleſcente primum in Germania fœtificavit in ipſius & aliarum nationum perniciem: iamque etiam ſeculo XV. ſeu in ipſo enixu in Italia & alibi ſe prodidit mali corvi huius malum ovum: atque inde etiam factum videtur, quod multi religioſi prælati a promovendis apud ſuos litterarum ſtudiis deterrerentur.

Caput

Caput feculo XV. extulit genus quoddam hominum fociale, quale quidem iam fec. XIV. coaluit fub Gregorio XII. a quo etiam nomine focii Gregoriani funt appellati, poftea clerici Hieronymiani, nec non fratres in communi viventes, feu fratres de penna, eoquod calamo ac fcriptis victum fibi atque exiftimationem comparabant, & quidem complures egregiam. Ex his propius ad nos pertinet Erafmus Roterodamus, qui ex Bafilea in proxime adhærentem quoque Nigram filvam noftram, atque efflorefcentem præprimis tunc academiam Friburgenfem excurrit. Occurrit ex iis etiam Gabriel Biel, a vico haud procul a filva nigra remoto fic appellatus, presbyter Spirenfis, & Præpofitus Uracenfis vel Schönbuchenfis, prout eum fupra notavimus S. Scripturæ doctorem. Eifengrenius hic diftinguit inter Gabrielem Biel & alterum Uracenfem, profefforem theologiæ in academia Tubingenfi ad finem vergente feculo XV. Gregorius Rivius Puritanus in monaftica hiftoria occidentis a) fufius de clericis Hieronymianis feu fratribus communibus agens, eos in novam filvæ Schönbuchenfis domum delatos fuiffe ceu traducem clericorum, quos Colonienfes vocat, e domo Widenbach feu ad *latum rivum*, ex nomine Capellanorum colligit: *Imperatori enim Friderico* III. addit, *Coloniæ tum commoranti fpectata fratrum domus Widenbacenfis (in cenfum collegiatorum iam ante receptorum) virtus adeo placuerat, ut in facri Romani Imperii vicarios & capellanos in perpetuum receperit.* Hac de caufa, ut puto, apud Crufium Gabriel Biel dicitur *ein Kapplins Münch*, per quem Eberhardus Barbatus Wirtembergiæ comes academiam Tubingenfem plantaffe eidem Rivio videtur; ubi tamen primus Rector fuit Ioannes Nauclerus celebris chronographus. Eifengrenio autem ad an. 1486. Conradus Sumerhart Calvenfis Suevus (Nigrafilvanus) facræ paginæ doctor, Gymnafii Tubingenfis dicitur primarius fundator atque profeffor, philofophus clariffimus, rhetor infignis, atque theologorum fui feculi princeps, qui quatuor libros fententiarum Lombardi expofuit; fcripfit præterea orationes plures ad Patres Hirfaugienfis cœnobii, imprimis autem, quod Deus homo fieri voluerit, quodque Meffias prophetis in lege promiffus advenerit. Obiit demum an. 1502. in Schutterano cœnobio.

SECULUM XV.

a) Cap. 161. p. 403. &c.

L. Mentio poftremo etiam aliqua artis typographicæ eft iniicienda, quo invento feculum XV. omnium maxime ornatur. Huius aufpicia quædam fibi vindicat Argentoratum, ut breviter in *Itinere Alemannico* explicavi ex iis, quæ mihi Argentorati tunc præfenti oculis demonftravit Io. Schöpflinus, idque in vindiciis typographicis extra dubium pofuiffe vifus eft,

Initia artis typographicæ.

SECULUM XV. quantum ad typos mobiles attinet. Immobilium vero incerta eſt ætas, ac perinde etiam locus inventionis, rariſſime expreſſus in ſingularibus tabellis, qualem aſſerculo libri conglutinatam poſſidet bibliotheca San-Blaſiana, quæ exhibet martyrium S. Sebaſtiani cum oratione ad eumdem Sanctum, anno 1436. charactere Romano & arabicis numeris appreſſo. Sed initia hæc ac prima quaſi crepundia fuere artis antiquiſſimis etiam temporibus non penitus incognitæ: quæ nobis ſingulari hac de re libro Dan. Schöpflinus Argentoratenſis olim Academiæ lumen exhibuit. Gloria vero inventæ artis typographicæ ſeculum XV. manet, characteribus mobilibus Argentorati ſculpi cœptis, fuſis deinde Moguntiæ, unde etiam oriundus erat Ioannes Guttembergius primus eius auctor Argentorati, quæ urbs in vicinam Nigræ ſilvæ partem iurisdictionem ſuam eccleſiaſticam extendit.

Argentorati vero haud ſubſtitit, ſed incunabula tantum artis ibi reliquit Guttembergius, Moguntiam regreſſus, ubi ipſam cum Ioanne Fuſt perfecit, quæ propterea paſſim artis impreſſoriæ inventrix prima dicitur in librorum tunc impreſſorum ſubſcriptionibus. Talem notatu ſane dignam ſubiicimus a), quæ legitur in fine chronici Conradi abbatis Urſpergenſis; in qua quaſi genealogia typographiæ quædam habetur.

Exinde vero circa an. 1460. ut videtur, diſperſis ob bellum Moguntinum ſociis, in orbem terrarum tandem divina hæc ars pervaſit, in Italiam primum, & quidem in Sublacenſe monaſterium, unde olim primordia accepit ordo S. Benedicti, atque poſt mille fere annos etiam eiusdem reformatio ſec. XV. in Germania, ut ſupra intelleximus, refloruit, a monachis quidem Teutonicis monaſterium illud tunc incolentibus plantata. Quæ ipſa eſſe cauſa potuit typographis Teutonicis, cur primum ad Sublacenſem oram diverterent, prout iam Cardinalis Quirinus animad-

a) Impreſſum & completum eſt præſens chronicarum opus. anno dni MDXV. in vigilia Margaretæ virginis. In nobili famoſaque urbe Moguntina, huius artis impreſſoriæ inventrice prima. Per Ioannem Schöffer nepotem quondam honeſti viri Ioannis Fuſth civis Moguntini, memorate artis primarii auctoris. Qui tandem imprimendi artem proprio ingenio excogitare, ſpeculariquе cœpit anno dnicæ nativitatis MCCCCL. indictione XIII. regnante Illuſtriſſimo Rom. Imperatore Friderico III. Præſidente Sanctæ Moguntinæ Sedi Reverendiſſimo in Chriſto Patre Domino Theoderico Pincerna de Erpach principe Electore. Anno autem MCCCCLII. perfecit deduxitque eam (divina favente gratia) in opus imprimendi opera tamen ac multis neceſſariis adinventionibus Petri Schöffer de Gernsheim miniſtri ſuique filii adoptivi, cui etiam filiam ſuam Chriſtinam Fuſthin digna laborum multarumque adinventionum remuneratione nuptui dedit. Retinuerunt autem hii duo iam prænominati Ioannes Fuſth & Petrus Schöffer hanc artem in ſecreto (omnibus miniſtris ac familiaribus eorum, ne illam quoquomodo manifeſtarent, iureiurando adſtrictis). Qua tandem de anno MCCCCLXII. per eosdem familiares in diverſas terrarum provincias divulgata haud parum ſumpſit incrementum.

Cum gratia & privilegio Cæſareæ Maieſtatis iuſſu & impenſis honeſti Ioannis Haſelberg ex Aia (Angia) maiore Conſtantienſis diœceſis.

madvertit in vindiciis vitæ Pauli II. P. cap. 1. ubi ſcrupulum eximit Montefalconio ægre ſibi in Itinere ſuo Italico perſuadenti, prius in Sublacenſi cœnobio libros excudi cœpiſſe, quam in ipſa urbe Romana: Maitairio quoque in annalibus typographis certum eſt, primam Lactantii inſtitutionum editionem prodiiſſe non Romæ, ſed in monaſterio Sublacenſi an. 1465. ac valde credibile eidem eſt, ibidem excuſum eſſe S. Auguſtinum de civitate Dei, quum utriusque character idem omnino ſit, quamvis in poſteriore nec loci nec typographi indicium, ſed tantum annus 1467. appareat.

SECULUM XV.

Bulæo teſte a) Udalricus ſeu Ulricus Gering Germanus, cuius fata & opera deſcribit Chevillierius b) regnante Ludovico XI. circa an. 1470. Lutetiam venit cum duobus ſociis Martino Cranzio & Michaele Friburgerio, qui in via Iacobæa ad ſolem aureum artem typographicam primi exercuerunt, & ſpeculum vitæ humanæ Roderici Zamorenſis epiſcopi recens excuſum Ludovico regi dedicarunt. Ulricus Gering Conſtantienſis erat patria, uti ipſe ſe nonnumquam in librorum a ſe editorum ſubſcriptionibus nominat; non vero, ut traditio fert Lucernenſis pagi in Helvetia, ubi typographica ars iam an. 1470. exercebatur. Eo ſiquidem anno prodiit *Mammotrectus*, & anno 1472. Roderici Zamorenſis epiſcopi *Speculum vitæ humanæ*, eiusdemque alia editio an. 1473. per Eliam Heliæ canonicum Beronæ in Argovia; incertum tamen, an in eodem collegio, vel in vicina quadam typographia. Michaelem Friburgerium Geringi ſocium Friburgo oriundum fuiſſe exiſtimamus, artis tamen impreſſoriæ in ea urbe, atque adeo Nigra ſilva noſtra, nullum ſeculo XV. hactenus veſtigium invenimus.

a) *Hiſt. univ. Pariſ. T. V. pag.* 918.

b) *Hiſtoire d' imprimerie.*

De urbe Spirenſi dubium ingerit nomen Vindelini Spirenſis, quem certum eſt Venetiis primum artem typographicam exercuiſſe an. 1471. & proxime ſequentibus. Extat editio operum S. Cypriani an. 1471. etiam in bibliotheca San-Blaſiana, per Vindelinum Spirenſem: quam tamen Venetiis non Spiræ apud Nemetas, impreſſam fuiſſe cum aliis tenet Card. Quirinus in appendice ad vitam Pauli II. c), qua comprobatur, Pauli II. pontificatus felicitati deberi optimorum ſcriptorum editiones, quæ Romæ primum prodierant poſt divinum typographiæ inventum, a Germanis eam in urbem advectum.

c) *pag.* 160.

Quod urbem Conſtantienſem attinet, P. Engelbertus Klüpfelius d) deſcribit breviaria Conſtantienſia primum typis edita Ottone IV. epiſcopo ex illuſtri comitum de Sonnenberg genere an. 1482. Reutlingæ in confinibus Nigræ ſilvæ, expenſis Ioannis Otmar civis Reutlingenſis, qui

d) *Vet. Bibl. eccleſ. Vol. I. P. I.*

poſtea

SECULUM XV.

poſtea Tubingæ, ab anno 1502. uſque 1514. artem typographicam profeſſus eſt Auguſtæ Vindelicorum. In prima mox parte notabilis eſt error typographicus, dum pro anno milleſimo quadringenteſimo legitur milleſimus tantum his verbis poſt feſta Sanctorum propria: *Finit pars hyemalis de horis canonicis itinerarii ſecundum conſuetudinem Conſtantienſis diœceſis feliciter elaborati in Rütlingen expenſis Ioannis Otmar anno ab incarnatione milleſimo octogeſimo ſecundo tertia feria ante Nativitatis Mariæ.* Error vero corrigitur poſt commune Sanctorum in hæc verba: *Finit pars hyemalis horarum canonicarum ſecundum curſum & formam Conſtantienſis diœceſis in Reutlingen ſedule impreſſa anno MCCCCLXXXII. regnante mortalitate in Alemannia univerſa, circa Michaelis archangeli feſtum.* Sine nomine typographi & loco impreſſionis notat idem P. Klüpfelius breviarium eccleſiæ Conſtantienſis typis vulgatum an. 1495. curante Thoma Berlovero epiſcopo, iterumque an. 1499. operam typographicam conferente Erhardo Ratdolt Auguſtano, de quo in fine partis hyemalis hæc leguntur: *Kalendarium, pſalterium, hymni, breviarium, commune Sanctorum iuxta chorum eccleſiæ Conſtantienſis diligentiſſime emendatum Erhardi Ratdolt viri ſolertis mira imprimendi arte, qua nuper Venetiis, nunc Auguſtæ Vindelicorum excellit nominatiſſimus, explicit feliciter. Anno Domini MCCCCXCIX.* Pagina poſtrema ſiſtit inſignia typographi præfixo hoc dyſticho:

Erhardi Ratold felicia conſpice ſigna,
Teſtata artificem, qua valet ipſe manum.

Idem artifex an. 1501. directorium Conſtantienſe, an. 1503. diurnale ſecundum ritum chori Conſtantienſis eccleſiæ &c. an. 1504. & ſeq. miſſale Conſtantienſe, demum annis 1509. & 1516. breviarium an. 1499. impreſſum iterato excudit Auguſtæ Vindelicorum, ſingula hæc auſpiciis vigilantiſſimi epiſcopi Conſtantienſis Hugonis de Landenberg. Idem plures editiones breviarii & ſtatutorum ſynodalium Conſtantienſium finiente ſec. XV. & ineunte XVI. factas recenſet.

Operæ pretium eſt, mentionem hic facere editionis ſec. XV. quæ manca ſervatur in bibliotheca San-Blaſiana, continetque Germanice vitam S. Fridolini Nigræ ſilvæ Rauracis conterminæ Apoſtoli cum figuris ligno inciſis rudiſſimi operis: eo concinniores ſunt characteres vernaculi Gothici, quales paſſim in primitiis typographicis in Germania conſpicui ſunt. Editionis huius a nemine, quod ſciam, eorum facta eſt recenſio, qui primordia artis typographicæ illuſtrarunt.

LIBER

LIBER XI.

Nigra Silva seculo Christi XVI. Ordinis S. Benedicti XI.

I.

Ingredimur infaustissimum post Christum natum æræ christianæ seculum XVI. quo machinæ omnes ad subvertendam avitam religionem ecclesiamque apostolico-catholicam sub specie prætextuque reformationis sunt admotæ. *Descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram.* Matth. VIII. 25. Notabimus suo loco philologicos magis quam theologicos conatus virorum elegantioribus litteris clarorum, qui dum paratragœdiantur in disciplinam Ecclesiæ ac ecclesiasticorum vitia, quasi per cuniculos ipsam Ecclesiæ structuram labefactare videbantur. Id genus Iac. Spiegelius Maximiliano I. a secretis avunculi sui Iac. Wimphelingi medullam pragmaticæ sanctionis, quam ipse Wimphelingus an. 1510. Maximiliano oblatam postea Vulcano destinaverat, an. 1520. in lucem edidit, dum iam prima semina spargerentur discordiarum.

Prima semina turbarum circa religionem.

Epocham Paulus Langius apud Pistorium a) belli litterarii, ut vocat, inter Lutherum & Romanenses, cum aliis ab an. 1517. repetit, rem autem enarrare orditur iam inde ab an. 1513. Refert ad annum sequentem Io. Reuchlini Pforzensis Nigra-Silvani cum Io. Pfefferkorn controversiam de Iudæorum libris non cremandis, Dominicanorum nonnullorum studio in academia Coloniensi primum, deinde alibi ipsaque Roma fotam: unde in monachos declamandi occasionem arripuerunt Reuchlinistæ. Reuchlini patrocinium suscepit Lutherus eiusque factio, atque adeo adversæ parti causa subnata est Reuchlinistas involvendi negotio Lutherano, ut Erasmus Roterodamus ad Albertum Pium principem Carpensem scribit lib. XXXI. ep. 44. Inter opera varia Hermanni von der Hardt extat tomo primo *Iubilæum Reuchlinum Symbolicum celebratum in academia Iulia an. 1512. mense Octobri & Nov. resuscitatum an. 1515. mense Octobri* cum figuris: ubi ad eius imaginem, ex Io. Hen. Mayo in vita Reuchlini, celebratur hoc disticho:

a) *Scriptor. rer. Germ. T. I. p. 1208.*

Primus Reuchlinus, quo porta Hercinia fontes
Veri monstravit, barbariesque dolet.

Sequuntur Philippi Melanchtonis & Martini Lutheri testimonia, quibus eum suum præceptorem agnoscunt.

SECULUM XVI.

Martino Luthero incentore.

II. Fuit Martinus Lutherus ipse etiam monachus ordinis eremitarum S. Augustini, cui familiæ simultas tunc fuit cum Dominicana, incentore potissimum Ioanne Staupitio familiæ Augustinianæ vicario, hyperaspiste præcipuo Martini Lutheri, qui a Friderico Saxoniæ duce ad novam abs se Wittenbergæ erectam academiam professor admotus ultima Octobris anni 1517. publicas exposuit theses contra Indulgentias, quas tunc Dominicani promulgabant ad constituendum contra Turcas ærarium militare, teste Raynaldo num. 56. ad h. a. ex principum unanimi cum Leone X. P. & cardinalibus consensu, præposito huic promulgationi per Albertum Brandeburgicum metropolitam nostrum Moguntinum Electorem Io. Tezelio Dominicano, qui etiam Francofordi ad Viadrum Luthero opposuit theses, Lutherus vero anno sequente 1518. suarum explicationes; iamque res indies magis magisque exacerbabatur, ut Maximilianus I. imp. pontificem rei commonefaciendum esse duceret, pontifex vero serio rei satagendum.

Igitur Leo X. edita anno 1520. die 15. Iunii bulla Romæ Lutherum damnat; is vero re comperta effrons pontificem incessit dicteriis, ius pontificium Wittembergæ palam & publice comburit: ad concilium appellat; principes datis litteris ad excutiendum papale iugum excitat: librumque edit eius argumenti, *Captivitas Babylonica* inscriptum. Sequenti anno 1521. ad comitia imperii Wormatiam, ubi publica pax per Germaniam decreta est, vocatus, dum causam suam agit, iam sui immemor, qui superiore anno ad concilium œcumenicum appellaverat, omnem Ecclesiæ auctoritatem abiicit, se neque papæ neque conciliorum decretis posse causæ decisionem submittere professus, sed soli sacræ scripturæ. Proscribitur Ecclesiæ rebellis a Carolo V. imp. eiusque libri tamquam novatoris & hæretici publice ante palatium cremantur; solus Fridericus Saxoniæ dux susceptum abscondit in arce Alstadiana, quam Lutherus suum Pathmos nominat, compluresque scribit libros, quibus suos errores disseminat, novos identidem, missam quoque privatam abrogat, fratresque Augustinianos sodales suos, ut idem faciant, hortatur. Erant tunc, qui ad nos nunc attinent, Augustinienses eremitæ Friburgi Brisgoiæ, necquidquam equidem a Luthero commoti. Nuperrime in nova bibl. eccles. Friburg. a) ab Augustinianis, imprimis eorum tunc vicario generali Io. Staupitio, abstergitur incusatio, ac si æmulatione quadam ob commissam fratribus Prædicatoribus promulgandi Indulgentias provinciam, Lutherus fuisset sufflaminatus.

a) *Vol. III. p.* 193.

Ul. Zwinglio item & Calvino.

III. Præsentius primum Nigræ silvæ nostræ ab Ulrico Zwinglio Tu« ricensi imminebat periculum. Hic Luthero gloriam inceptæ reformationis

nis præripere geſtit, apud Turicenſes, uti legere eſt apud I. H. Hottingerum hiſtoriæ eccleſiaſticæ N. T. ſec. XVI. P. II. a), qui ibidem eum Bernæ iuvenem Dominicanorum candidatum teſtatur, ſed patris patruique conſilio Viennam ad ſtudia philoſophica miſſum; regreſſum Baſileæ triviali ſcholæ, in muſica excellentiſſimum, operam addixiſſe, ac Glaronæ primum miniſterio addictum.

a) p. 198. &c. 202. &c.

Neque vero fert Hottingerus, quod inter alios Hartmannus in annal. Heremi Deiparæ Mariæ perhibet, Zwinglium Glarona pulſum fuiſſe: biennio in Heremo vulgo Einſidlen parochum ita vixiſſe, ut nullum luxuriæ, inſolentiæ, fœdæ libidinis, & petulantiæ exemplum prætermiſerit, contracta maxima ex morum ſimilitudine, cum Theobaldo curatore monaſterii neceſſitudine & amicitia. *Sed ad eius*, pergit Hartmannus, *deſtinata perſequenda, & evulgandum, quod dudum conceperat novitatis venenum, angelica hoc anno (1517.) dedicatio optimam occaſionem attulit. Itaque adſumtis in eandem operam duobus aliis capellanis Leone & Luca, artium magiſtris, & curatore Theobaldo ad omnem libidinem & licentiam incenſo & præcipiti, primum veſaniæ ſuæ ſpecimen publicis concionibus inter angelicæ conſecrationis feſtivitatem edidit, tecte ipſe & fraudulenter, adeo ut ægre etiam prudentiores fraudem cognoſcerent, metu Suitiorum, ſive faciliorem, eo pacto, viam inſtitutis ſperabat. Multo apertius, & impudentius Lucas & Leo. Illi non modo publice Indulgentias, & ad loca ſacra, & pia peregrinationes, vota & donaria ridere, ſed ſacellum Deiparæ non alio loco habendum, quam quodlibet e campeſtribus, blaterare, Deum eſſe ubique, neque certis locis retineri &c.*

Multa in exteriori religionis cultu, quæ Zwinglius abiicienda cum Caroloſtadio præſertim exiſtimavit, non tantum improbavit Lutherus, ſed hæreticos etiam declaravit ſerio, & alienos ab Eccleſia Dei Zwinglianos omneſque Sacramentarios. Ex quibus Zwinglius quidem cæterorum remotior a veritate in Sacramento Euchariſtiæ nil niſi ſignum admiſit, cœnamque Dominicam non aliud, quam commemorationis nomen mereri. Calvinum nihilominus Hottingerus adducit a), *quod conſenſum in doctrina Sacramentaria cum eccleſiis Helveticis & Rhæticis ita inſtituerit an. 1549. ut & ſuſpicione ſe, quaſi conſubſtantiationi nimium faviſſet, liberarit, & noſtras eccleſias a reatu vacuorum Symbolorum maſcule aſſeruerit.*

b) l. c. p. 431.

Numquam tamen conciliari inter ſe ſententia potuerunt, ſive Zwingliani cum Calviniſtis, ſive hi cum Lutheranis, omni tandem ſpe excluſa

SECULUM XVI.

sa per formulam concordiæ, qua reformatorum sententiam aperte damnarunt Lutherani post mortem demum Melanchthonis apud Saxones perinde versatilis, ac in nostra vicinia M. Bucerus, minister aliquando Argentoratensis; ubi aliquamdiu perinde ac Constantiæ doctrina Zwinglii, ut postea videbimus, invalescere visa est: quæ vero duæ urbes cum Augusta & Memminga peculiarem confessionem, quam Tetrapolitanam appellabant, exhibitam in comitiis Augustanis an. 1530. per Casp. Hedionem prædicantem Argentoratensem sectabantur, a Martino Bucero tamen ad Augustanam revocatæ. De Rottwilanis paullo post dicemus Helvetiorum fœderatis: unde ortus fuit Melchior Wolmarus, a quo, professore apud Biturigas, iuvenis Calvinus litteris græcis est eruditus, hebraicis autem Basileæ, ibi perinde ac Argentorati commoratus postea aliquamdiu, sedem etiam fixurus, nisi Genevenses revocassent a nostris feliciter remotiorem plagis.

Anno. 1541. præsens fuit Calvinus in diæta Ratisbonensi, ut simul cum sociis & inter alios facile princeps, catholicam religionem funditus everteret, teste Raynaldo ad eum annum; sed Calvinismus non adeo Germaniam nostram sicuti Lutheranismus inundavit, ac nuspiam ille Nigram silvam penetravit. Facile etiam Zwingliani Helveti suis se continuerunt tunc finibus, quibus quam felices sint, optime alias sunt gnari, remoti a libidine excedendi limites, B. Nicolai de Flue edocti oraculo, ut iam ex Trithemio notavi libro superiori.

Congressus & disputationes religionis causa institutæ.

IV. Visum est exordio rem agi conventibus disputationibusque tum in Helvetia cum alibi gentium indictis frequentatisque. Prima celeberrimaque fuit Lipsiensis an. 1519. congredientibus primum Io. Eckio & Andrea Carlostadio. Erat Eckius professor ordinarius theologiæ Ingolstadii, familiaris tamen academiæ nostræ Friburgensi, disputandoque exercitatus in aliis etiam academiis Tubingensi, Viennensi, Bononiensi. In concertatione Lipsiensi lasso viribusque impari Carlostadio succenturiatus est ipse Lutherus. Necdum tunc frons posita fuerat ad abiiciendam omnem Ecclesiæ auctoritatem; vel etiam doctorum aut universitatum arbitrium, consensitque, dum primum de iudicibus disputatum est, Lutherus licet iratus (ut Cochlæus refert in Actis & Scriptis Lutheri ex actis publicis disputationis) in iudices Parisiensis & Erfordiensis facultatis theologicæ, compromisitque; ac multa de primatu etiam & potestate Romani pontificis fateri coactus est, quæ prius negaverat, monitus quoque a consiliariis ducis Georgii, ut nihil per iram ageret. Nihilominus vero *ille ira victus prorupit in apertam confessionem secreti sui pessimi dicens*: *Non propter Deum res cœpta est, neque propter Deum finietur.*

Qui

Qui de indole & ingenio Lutheri vel ex ſermonibus eius convivalibus, aut ſcriptis, quæ edita proſtant, iudicium feret, de his non mirabitur; illisque potius accedet, qui iuxta vulgatum illud, diſputando amitti veritatem, non fuiſſe diſceptandum exiſtimarunt, contra quos Io. Eckius apologiam quidem texuit a); invictus nempe ipſe diſputator conventu etiam celebri illo Badenſi in Helvetia an. 1526. poſt priorem illam anni 1523. in urbe Turicenſi habitam diſputationem ſeu colloquium Zwinglium inter & Ioannem Fabri vicarium generalem epiſc. Conſtantienſis, qui etiam in memorato congreſſu Badæ cum aliis, Barnaba quoque abbate Engelbergenſi ord. S. Bened. adfuit, quem vero Zwinglius ſubterfugit, proſecutus eſt autem illius vicem Oecolampadius, Iacobus Imeli, Bertholdus Haller, Ulricus Studerius, fuitque non infelix ad aliquod ſaltem tempus pro re catholica eius ſucceſſus in vicina Helvetia, dum avitam orthodoxam fidem poſt reditum ex congreſſu legatorum Schaffhuſanorum firmavit tunc eius urbis magiſtratus, Baſilenſis vero edicto Sacrificium miſſæ reſtituit: Bernenſis nupturientes Prædicantes cohibuit. Edita eſt ſequenti anno ea diſputatio a magiſtratu Lucernenſi ex autographis, quam quatuor notarii iurati ſcripſerunt reviſam a præſidentibus: ſalutari conſilio ad firmandam eandem avitam orthodoxam fidem non ibi ſolum gentium, verum etiam in vicina Nigra ſilva. Apud Bernates ad initium an. 1528. diſputatio eſt habita præſente Zwinglio & Conſtantienſibus; ad quam nullus ferme Catholicorum comparuit, quum iam data libera credendi facultate, conclamata res eſſet.

a) *Homil. Domin. IX. poſt Pent.*

Selecti ſunt etiam in celeberrimis an. 1530. comitiis Auguſtanis utrinque ſeptemviri, qui concordiæ rationes inirent præter epiſcopum ex parte Catholicorum Auguſtanum, & Henricum Brunsvicenſem, duosque principes Proteſtantium Georgium Brandeburgicum & Ioannem Saxonem, duo utrinque iurisconſulti, & tres theologi catholici cum Ioanne Eckio Wimpinus & Cochlæus, Proteſtantes Io. Brentius & Erhardus Snepfius, uterque Wirtembergiæ Nigræ ſilvæ vicinæ incola, cum Io. Melanchtone, quem moderatione præcipuum inter Proteſtantes etiam Franciſcus rex Galliæ an. 1535. invitavit ad diſputationem cum Sorboniſtis Pariſios; ſed detrectavit is conditionem, ut apud Bulæum legere eſt in hiſtoria univerſ. Pariſ. b). Damnatio porro doctrinæ Lutheranæ ab academia illa iam an. 1520. poſt diuturnam diſputationem & examen fuerat facta, uti etiam ab aliis academiis Colonienſi, Lovanienſi &c.

b) *T. VI. p. 115. &c.*

V. Sed nullus apud eos auctoritati poterat eſſe locus, qui, nec Eccleſiam eſſe audiendam induxerunt animum, obfirmaruntque. Quare

Sed fruſtra omnia, quando Eccleſiæ

 quid-

SECULUM XVI.

abiicitur auctoritas.

a) *Annal. Suev. P. III. lib. XI. c. 25. seq.*

quidquid etiam simulatum est ab illis actitatumque de concilio oecumenico, quod Tridenti fuit convocatum, initiatumque an. 1543. finitum tandem post nonnullas interruptiones an. 1563. vanum erat, missis quidem etiam ex vicina Nigræ silvæ Wirtembergia aliundeque theologis (ut apud Crusium a) videre est) antesignano Ioanne Brentio, quem dux pulsis monachis in locum postea abbatis celeberrimi olim Nigræ silvæ monasterii Hirsaugiensis constituit. Neque vero conformiter ad palmare suum ac fundamentale dogma libertatis conscientiæ iudiciique proprii in controversiis religionis provocare poterant ex sententia ad ipsam confessionem Augustanam. Quod quale sit, ad subruendam omnem religionem, nemo non videt, docuitque hactenus experientia. Acutior vero ingenio magis perspexit Calvinus, quam Lutherus & Zwinglius, qui omnem penitus abiiciendam politiam auctoritatemque existimarunt ecclesiasticam, quam Calvinus Genevæ sustinens, non dubitavit, Michaelem Servetum vivum esse comburendum Socinianorum Coryphæum, quos fovisse tunc Turicenses, hodieque comperiuntur. Factum id tunc quidem suscepta a Lælio Socino confessione Helvetica, neque tamen id factum penitus ex animo, eius produnt epistolæ. Quid vero eum aut quemquam alium cohibere potuit, asserta utentem libertate, numquam conciliandа cum enthusiasmo illo, quo sibi soli sapientes suisque erroribus pertinaciter addicti totum mundum fascinare suasque in partes trahere contendebant? quem fanaticismum hodie non desunt, qui notent in primis illis pseudo-reformatoribus: quos inter Anglus ille hodie tam celebratus historiographus Dav. Hume; nec omnino eum abnuere potuit Archibaldus Maclaine in suis ad hist. eccles. I. Laur. Moshemii additionibus.

Dum interim patria a Turcis periclitatur.

VI. Videbimus paullo post, qua ope machinisque sese sustentarit nova religio consolidaritque in Germanico præsertim imperio, pessimo Turcarum exemplo, causaque præcipua, ne trucissimo huic christiani nominis hosti in viscera usque Germaniæ seculo hoc XVI. primum penetranti sævientique obsisti satis potuerit, haud procul remoto periculo, ne eam totam pervaderet. Iulius II. P. nihil non egit ad conciliandos inter se imperii Germanici principes ab ineunte seculo XVI. bello Bavarico implicitos, datis ad Philippum Palatinum litteris, quibus ob oculos ponit b), *quantum periculum christianæ reipublicæ a perfidis Turcis immineat, contra quos sancta & necessaria expeditio decerni non poterit discordiis vestris vigentibus, ita ut per vos videatur stetisse, nisi invicem reconciliati fueritis, quo minus ipsa expeditio fieret: nam neque ipse charissimus in Christo filius noster Romanus rex pium desiderium*

b) *Raynald. ad h. a. n. 26.*

suum

suum consequi, neque reliqua Germania consequi posset ad expeditionem tam sanctam. Non equidem ego Iulii P. studia pacis extulerim; in concilio Lateranensi nihilominus a Iulio incepto, Leo X. eius successor id imprimis sibi agendum existimavit, ut conciliatis principum animis, unitis viribus bellum sacrum contra Turcas susciperetur, ut apud Raynaldum ad an. 1514. legere est. Anno 1517. cruciata christianorum adversus Turcas iussu Leonis X. promulgata est, qua promittebantur indulgentiæ plenariæ iis, qui bonorum suorum partem ad expeditionem illam elargirentur; hanc vero ipsam occasionem arripuit Lutherus classicum contra Ecclesiam canendi, haud semel contestatus, contra papam potius, quam Turcam esse convertenda arma. In celebribus porro Augustanis comitiis, ut alia silentio prætercam, in medium prolatum de bello Turcico negotium suffocarunt ferventes de religione controversiæ sufflaminaruntque.

SECULUM XVI.

VII. Iam meminimus litterarum, quas Maximilianus I. ad Leonem X. P. an. 1518. ex comitiis Augustanis in causa Lutheri dedit, quæ prostant a). Studuit Maximilianus more antecessorum suorum in huiusmodi comitiis pacem publicam firmare ineunte hoc sec. XVI.

In comitiis Imperii antem & ab Imperatoribus incassum laborabatur.

Neque silentio prætereundum est, ab eodem imperatore imperium Germanicum in circulos fuisse divisum ad eam ferme normam, qua supra diximus, Germaniam quinque constitisse nationibus Bavarica, Alemannica seu Suevica, Franconica, Saxonica & Lotharingica, quæ cum vicinis Rheno populis Rhenanum iam constituit circulum, addito sexto Westphalico post divisam a Saxonia Westphaliam, exauctorato Henrico Leone sec. XII. Distinxit item Maximilianus I. in Coloniensibus comitiis an. 1512. ob amplitudinem quarumdam provinciarum mutationemque regnorum quatuor alios circulos, Austriacum scilicet, Burgundicum, Saxoniæ superioris & Rhenanum inferiorem. Suevicus porro longe arctior evasit veteri Alemannia, cuius in medidullio sita est Nigra silva nostra.

a) *T. VI. conc. Germ. p.* 148.

Imperium Romanum occidentale ad Francorum reges seculo VIII. delatum, vindicare conatus est suæ genti post mortem Maximiliani I. an. 1519. Franciscus Galliarum rex contra Carolum Austriacum Maximiliani nepotem Hispaniæ regem; qui tamen contra æmulum electus imperator Carolus V. ordine in Germaniam appulsus an. 1520. & Aquisgrani inauguratus mox publica indixit comitia ad initium anni sequentis celebravitque in causa Lutheri assectarum, qui eo ad causam dicendam vocati sunt. Sed frustra, imo exacerbato potius malo rebusque magis magisque exulceratis in sequentibus etiam comitiis, iterato Norim-

SECULUM XVI. rimbergæ & Spiræ celebratis, ubi an. 1529. palam Protestantium nomen assumserunt, quicumque ab ecclesia Romano-catholica secessionem fecerunt imperii Germanici status, annoque sequente in frequentissimo conventu Augustæ Vindelicorum Carolo V. præsenti famosissimam obtulerunt Augustanam Confessionem.

Edidit pro coronide edictum imperator, ut prisca ecclesiæ fides inconcussa servaretur, donec in concilio œcumenico definirentur lites, & religionis dissidia abolerentur: quod quidem tunc ipsi Protestantium principes velle videbantur; sed semper deinceps, quod causarentur, habuerunt, ruitque quotidie in deterius res, ac frustra fuerunt quæcumque sequentibus annis in frequentibus imperii comitiis suscepta sunt pro conciliandis Protestantibus in negotio religionis consilia: etsi aliquando plus deferretur Protestantibus, quam per pontificis ac ecclesiæ auctoritatem, fideique catholicæ integritatem liceret, veluti an. 1544. in comitiis Spirensibus, Carolo V. imp. & Ferdinando Romanorum rege tunc præsentibus vivente adhuc Luthero, qui impudenter lingua vernacula in litteras pontificias eam ob rem ad Carolum V. datas est debacchatus.

Id fere spectabat imperator, ut interim res in suo statu permanerent, donec terminarentur. Agebat hoc famoso illo *Interim*, declaratione scilicet in comitiis an. 1548. a Carolo V. edita, quomodo in negotio religionis per imperium usque ad definitionem concilii generalis vivendum sit. Cuius auctores habentur Iulius Pflugius episcopus Naumburgensis, Michael Heldingus episcopus Sidoniensis & Moguntini archiepiscopi Suffraganeus, & Ioannes Agricola Islebius. Decreto huic statim assurrexit Albertus archiepiscopus Moguntinus, licet ingens fuerit animorum contentio in suffraganeis Metropoliticæ Moguntinæ sedis ecclesiis Argentinensi, Spirensi & Constantiensi, quæ Nigræ silvæ nostræ ius sacrum dicunt, Constantia imprimis: hæc tamen urbs tunc expulsa sede episcopali, ad partes heterodoxas declinabat, ab imperatore ob reiectum *Interim* proscripta: quum pleræque aliæ Sueviæ civitates cæsaris auctoritati concederent, Ordines vehementer cohortantes, ut illud susciperent. Accessit ut diximus, quod Moguntinus statim communi nomine, absque tamen mandato assensus esset: continuoque illud tanquam omnibus nominatim assensis excudi & evulgari iuberet teste Crusio Annal. Suev. P. III. lib. XI. c. 22.

Armis religionis causa acta. VIII. Communibus porro bellorum calamitatibus sec. XVI. religionis causa susceptorum, quaquaversum exposita fuit Nigra silva nostra. Inter cuius dynastas censetur a labente hoc seculo XVI. illustris familia

ſta de Sickingen, ex qua celebratiſſimus heros Franciſcus de Sickingen veluti præluſiſſe dici poteſt, inflaſſeque bellicam buccinam. Præceſſerat an. 1515. tanquam præambulum Wormatienſe bellum, cuius momenta exponit ipſe Franc. de Sickingen in epiſtola apud Chriſt. Senckenbergium a). Secutum eſt an. 1522. Trevirenſe, cuius cauſa non poſtrema fuit, quod Richardus Elector novæ doctrinæ nimium videretur infeſtus, cui portam aperire conabatur Sickingus, uti Struvius b) in præfamine ad Huberti Thomæ Leodii de geſtis Franc. de Sickingen hiſtoriam notavit. Hic novo dogmate imbutus fuit a Io. Oecolampadio ad eum divertente, uti legere eſt in rerum memorabilium paralipomenis ad chronicon Conradi abb. Urſperg c). Extant adhuc ad eumdem Lutheri litteræ. Fretus is Lutheranorum ad Rhenum auxilio tam civitatum quam nobilium, tanta eſt auſus in ſuam perniciem: obſeſſus nempe in arce ſua Nanſtall ſeu Landſtall ictu trabis a bombarda percuſſæ interiit, ut apud Eccardum legitur d):

Concidit infelix Franciſcus fragmine ligni.

Id tamen ſilentio prætereundum non eſt, cauſam Richardi Archiep. Trevirenſis ſuſcepiſſe contra Franc. de Sickingen Philippum Landgravium Haſſiæ & Ludovicum Palatinum, qui erant tunc in negotio religionis fax & tuba.

Cum mutuis pactis primum in comitiis Spirenſibus nomen Proteſtantium eſt ſuſceptum, ſtatim ſeſe ad cauſam fœderis fœderatorumque, armis etiam, contra aggreſſores quoscumque tuendam iunxerunt principes Proteſtantes cum civitatibus, quæ inter fœdera præcipuum fuit Schmalkaldicum. Poſt comitia Auguſtana anni 1530. conſtituta quidem poſtea interventu Moguntini & Palatini Electorum pax Norimbergæ an. 1532. annis proximis ſæpe etiam conſervari eſt tentata, donec res tandem in apertam flammam erumperet belli Schmalkaldici a fœderatis accepto nomine, quod cœptum eodem fere tempore eſt, quo Tridenti concilium an. 1546. Tam diſparibus nempe armis acta eſt religionis cauſa.

Dici vero non poteſt, quantum in monaſteria ſit ſævitum, ſacraque omnia ac res catholicæ quæ & quanta pertulerint non ſolum bello, ſed etiam transactione Paſſavienſi an. 1552. & pace religioſa an. 1555. ubi quidem Reſervatum eccleſiaſticum eſt ſancitum, quo epiſcopus quivis, prælatus, aut alia perſona eccleſiaſtici ordinis a fide catholica deficiens epiſcopatu, prælatura ſeu præbenda cum omnibus reditibus & pro-

SECULUM XVI.

a) *Selecta iuris T. IV. p. 595. 627.*

b) *T. III. Script. rer. G. p. 298.*

c) *p. 481. & 500.*

d) *Corp. hiſt. medii ævi T. II. 1277.*

SECULUM XVI.

proventibus privatus decernitur; quod vero fuit perpetuum seminarium litium atque etiam bellorum; cuiusmodi fuit an. 1582. exortum Gebhardo Truchsessio Coloniensi electore ad Protestantes transeunte. Quod quidem aliaque videri potuissent a nostris plagis remotiora; sed communis imperii causa, atque etiam principum Nigræ silvæ nostræ imminentium, mutuique fœderis inter Protestantes ratione factum est, ut undique mala ingruerent ex vicina etiam Helvetia, ubi perinde ac in Gallia arma perstrepebant ad constabilienda nova contra avitam religionem dogmata. Ipse Zwinglius bellis eiusmodi duobus adfuit præsens, quorum utrumque a Capella monasterio Capellanum est dictum, perinde ac prælium, in quo occubuit Zwinglius an. 1531.

Anabaptistæ.

IX. Io. Con. Füsslin in accessionibus ad historiam reformationis Helveticæ sermone vernaculo editam, passim inquirit, an prima Anabaptistarum origo ex nostra Teutonia vel Helvetia sit repetenda, quod parum quidem refert arbitro Io. Laurent. Moshemio in hist. eccles. sec. XVI. a). Hoc vero certum habet, id genus hominum eodem tempore diversis in locis comparuisse non multo post cœptam a Luthero reformationem. Qui historiam hanc Moshemii in linguam Germanicam a se translatam nuperrime cum notis seu additionibus edidit, vestigia quædam Anabaptismi reperiri existimat apud Waldenses & Hussitas; laudato nihilominus pollicem premit Füsslino, qui in præfatione ad partem secundam Anabaptistarum sectam originem suam debere putat generi cuidam hominum, qui per reformatores tum in Saxonia cum in Helvetia excitati eousque delirarint; iamque ante Thomæ Munzeri in Helvetiam accessum illic Anabaptistas fuisse fatentur alii Protestantium, nec diffitentur, libertati christianæ amasiæ pseudoreformatorum Anabaptismum esse tribuendum.

a) *Sect. III. P. II. c. 3.*

Hanc, si quis alius, Zwinglius deperiit, fautor etiam aliquando & amicus Balthasaris Hubmeieri, qui Anabaptismum Nigræ silvæ intulit. Hic Fridberga oriundus ex patria Pacimontanus dictus, Friburgi Brisgoiæ an. 1512. Baccalaureus theologiæ creatus fuit, ut habent acta academicæ citata b) in nova bibl. eccles. Friburgensi, Ingolstadiique parochum & professorem egisse, quum ex editis Lutheri libris eius dogmata adscivisset, atque Ratisbonæ prædicasset. Inde eiectus Waldishuti urbe silvestri parochiam invasit, amicitiaque cum Zwinglio contracta (cuius testis est eius epistolium ad Zwinglium datum *ex nidulo nostro Waldhut*, ut apud Hottingerum c) legitur) illius oppidi civibus novam evangelii formam persuasit, annoque 1524. ad festum SS. Simonis & Iudæ

b) *Vol. V. Fasc. I. p. 84.*

c) *Hist. eccl. sec. XVI. P. II. p. 321.*

Iudæ Apoſt. ex ſacris ædibus imagines diſtraxit (quod etiam poſtea in vicina villa Waldkyrch eſt factum) ſacra vaſa ſacrasque veſtes disrupit & profanavit. Ulricus Wagner parochus in Togern per ſacriſtam communionem in calice diſtribui fecit. Waldishuti vero B. Hubmeier Conradum Grebellium & Thomam Munzerum audiens rebaptizare publico in foro cœpit, 300. circiter barbatis ruſticis ſacrilego fonte fœdatis cum mulieribus, quibus imprimis hæreſim ſuam perſuaſit. Inde Ferdinando R. R. an. 1550. oppidum nocte circa feſtum S. Nicolai occupante, fuga elapſus, & ut Tigurum ſeu Turicum ſubintrarat, captus, teſte Myconio in vita Zwinglii apud laudatum Hottingerum, ore ad os diſputando cauſam ſuam egit, uti prius ſcripto (appellatus Vadiano eloquentiſſimus & facundiſſimus vir) atque in curia, deputatis tantum præſentibus, rebellavit. *Petierat tum a ſenatoribus*, pergit Myconius, *ut Leo Iuda, Sebaſtianus œconomus, & ego, ſibi concederemur ad colloquium. Mos geſtus eſt ſecundo, perduximus hunc hominem, ut palinodiam in diem poſterum promitteret. Igitur hoc animo in templum poſtridie veniens, Zwinglio deſcendente, ſuggeſtum aſcendit, & aſtruit, quidquid hactenus docuiſſet, motum ſe cauſans, quod ille conſtantiam tam excellenter evexiſſet: pertinaciam ſuam conſtantiam eſſe iudicans miſer. Reductus in carcerem omnino latuit, uſque dum beneficio Zwinglii clam dimiſſus non ſine comite & viatico. Ubi venit Conſtantiam, adeo malis onerat virum, ut per apologiam ſatisfacere cogeretur fratribus.* Viennæ poſtea ſub Carolo V. imp. combuſtus fuit an. 1528. ubi cum ipſo in carcere diſputavit celebratiſſimus Ioannes Faber poſtea epiſcopus Viennenſis, & poſt eum Fridericus Nauſea in concilio Tridentino an. 1552. mortuus, Præpoſitus etiam Waldkyrchii in Nigra ſilva noſtra: unde quoque, ex Pfortzhemio nimirum, oriundus fuit eius ſucceſſor Chriſtophorus Wertwein an. 1544. creatus baccalaureus S. Theologiæ in academia Friburgenſi.

Seculum XVI.

Conſtantiæ ex ſectæ Anabaptiſticæ anteſignanis capite plexus eſt Ludovicus Hezer, Vadiano dictus commodiſſimi ingenii homo, vir clarus, linguis etiam & admirabili ingenii dexteritate præditus: quem an. 1523. contra divinitatem verbi ſcribentem Ambroſius Blarer refutavit. Is in paralip. rerum memorab. ad chron. abb. Urſpergenſis a) poſt feriam pœnitentiam Conſtantiæ decollatus dicitur. Memoratur porro ibidem inter alios Anabaptiſtas Nicolaus Frey Argentorati ſubmerſus an. 1533. & Melchior Hoffmannus, qui Argentorati adhuc tunc detinebatur in vinculis, de quo pſeudopropheticis & fanaticis conſiliis abrepto, in ſynodo Argentoratenſi an. 1533. actum, quo ille anno etiam in carcere

a) p. 485.

SECULUM XVI.

mortuus eſt. Conradus Grebelius Anabaptiſta urbis San-Gallenſis, Turici, unde oriundus erat, carcerem evadens, non multo poſt mortuus: Felix Manzius vero Turico item oriundus captus & aquis ſubmerſus eſt teſte memorato Fueſslino, poſt Io Henr. Ottium profeſſorem hiſtor. Turici ſeculo ſuperiore, quo annales Anabaptiſticos adiectis plurimis documentis edidit. Anabaptiſtis Helvetis in laudatis paralipomenis rerum memorabilium Blaurock iungitur, apud Baſileenſes viciniores adhuc Io. Denckius nulla vi externa adactus revocaſſe dicitur. Quid cum aliis Anabaptiſtis Baſileæ actum ſit, Urſtiſius in chron. Baſileenſi ad annum 1529. narrat. Paſſim alii etiam in vicina Argovia ſunt detecti Anabaptiſtæ non parvo numero in Clingnau, Längnau, Tegernfelden, Endingen, Tettingen a præfecto Badenſi carceri mancipati, emendatique dimiſſi ſunt, uti legitur in Mſc. chronico Villingano coævi ſcriptoris an. 1527. Rotenburgi ad Nicrum ex quatuordecim Anabaptiſtis nonnulli combuſti, alii capite plexi, aliis ingenti pœnitentia ductis gratia obtigit: perinde ac viginti ſeptem revocantibus Horbæ ad Nicrum Nigræ ſilvæ limitem illic Sueviæ, ubi gentium ad terminum orientalem Sueviæ Auguſtæ Vindelicorum, teſte Cruſio a) eodem anno primos inter patricios *Eitelhans* LANGEMANTELIUS *de Cuneo* receperat Anabaptiſtas, ideo in villam ſuam Lautershofam, alioque relegatus: reſtabant nihilominus multi Auguſtæ, quorum quidam in carcerem coniecti revocarunt errorem, alii expulſi ſunt.

a) *Annal. Suev. P. III. lib. XI. c. 2.*

Bellum ruſticum.

X. Apud omnes ubique gentium exoſi Anabaptiſtæ exterminandi ſunt viſi, rebellionis in legitimos dominos auctores incentore Coryphæo iam memorato Thoma Munzero, qui veræ libertatis chriſtianæ vindex haberi voluit undique pervagatus, graſſatusque, eo facilius factioſis ſibi conſociatis, quod ab exordio inde huius ſec. XVI. turbæ ruſticæ fuerint.

Iam ad annum 1502. Trithemius ligam ruſticorum quorumdam in chron. Hirſ. notat, qui iuramentorum ſuorum temerarii transgreſſores contra dominos ſuos epiſcopum & canonicos Spirenſes in unum conſpirarunt in *iuramento ſe mutuo obligantes more Suitzerorum, & paullatim numero creſcente in occulto multiplicati ſunt.* Affert ibi articulos huius ligæ *der Buntſchue*, quæ etiam ad nos uſque progreſſa circa annum 1513. ex chartis urbis Friburgenſis innoteſcit.

Advenit an. 1524. iam memoratus Munzerus in terras noſtras obtentu evangelii, libertatisque chriſtianæ, famoſum per varias Germaniæ provincias bellum ruſticum ſufflaminans. Teſtatur quidem rerum memora-

morabilium paralipomeni ad calcem chronici Conradi abb. Urspergensis a) auctor, quod primi agricolæ sub Sigismundo comite a Lupfen tumultuantes (ad quos coercendos missus fuit nomine fœderis Suevici illustris comes Guillielmus a Furstenberg) propalam faterentur, se non esse evangelicos, nec evangelii causa confluxisse.

a) p. 484.

Anilem notat prætextam causam seditiosorum Sigismundi de Lupfen agricolarum chron. Villinganum, quod iussi sint tempore messis cochleas, seu climacum testas colligere, in quibus uxor comitis fila glomeraret b).

Erant hi Coloni Landgraviatus Stuhlingani in Alpegovia nostra, cui adiacet Cleggovia comitis de Sulz provincia, cuius subditi antequam & ipsi a Munzero in transversum agerentur, a vicinis tumultuantibus sibi timentes, a fœderatis Turicensibus protectionem & opem implorarunt missis ex suis. Vicissim etiam I. Iac. de Heudegg Rudolphi comitis de Sulz, qui elapso anno Oeniponti consiliarius Ferdinandi archiducis constitutus fuerat, in Cleggovia præfectus ad instantiam subditorum Petrum quemdam ex provincialibus iudicibus, ut habent acta archivi Thüngensis, cum illis misit, qui pacis tranquillitatisque securitatem suo nomine expeteret. Ad hæc senatus Turicensis ab utriusque partis deputatis percunctatus, quandoquidem turbæ religionis causa plerisque in locis moverentur, utrum illi mandatis reipublicæ Turicensis, quibus sensa Zwinglii præscribebantur, parere, illisque conformiter vivere parati essent? Reposuere rustici, magno se perfundi gaudio hac super quæstione, quod nempe illis in religionis negotio se similes fieri paterentur, seque hactenus dicta mandata, quantum penes se, amplexos fuisse. Deputatus e contra ab Heideggio dixit: se quidem eiusdem esse sententiæ, cæterum ad huiusmodi interrogata respondendi expresso carere mandato. Dedit vero senatus eiusmodi scriptum responsum: quandoquidem confiderent comitem eiusque officiales evangelio non fore contrarios, subditosque ad antiquæ fidei ritus non fore cogendos, litteras daturos se magistratus nomine ad Ioannem Muller de Bulgenbach, eiusque consortes, ne deinceps Cleggoviam armis molestarent, utpote a novo religionis ritu non abhorrentem. Nec caruerunt effectu litteræ.

 Ho-

b) Anno 1524. ungefahrlich um Ioannis ward ain uffruor under der Baurschaft zue Stielingen, Bondorff, Ewadingen, Bethmaringen &c. wider ihren aiguen Herren Graf Sigismund von Lupfen Herr zue Stühlingen. Sie solten in der Ernd der Graffin Schneckenheuslin lesen, das sy garn darusf winden khinde. Waren Iren 1200, machten ain Fendlin, weyss roth und schwarz, zugen uff Bartholomeus gen Waldshuet uff Kilchweyhe, haten Raths, machten ein evangelische Bruderschaft, welcher darin wolt sein, der solt all wochen 1. Bazen geben, mit dem Geld schriben sie in alle land, das sy ihrem herren nit mehr gehorsam sein wolten, khain Herren haben dann den Kayser, Im sein tribut geben, solt er ihnen nicht inreden. Sie wolten alle schlösser und clöster, und was den namen hat geistlich, zerstören.

SECULUM XVI.

Horum dux & antesignanus erat memoratus Ioannes Muller de Bulgenbach ditionis San-Blasianæ, qui facta in Bondorff consociatione mille ducenti Waldishutum., ubi tunc Turicenses in præsidio erant, ad festum S. Bartholomæi dedicationemque Ecclesiæ progressi cum civibus, Ferdinando archiduci ob apostasiam reis, mutuum fœdus inierunt. Acciderunt hæc antequam Waldishutani ad officium sunt revocati. Adhuc quidem circa festum S. Martini an. 1524 in conventu Rhenofeldæ habito confisi in præsentem Ernestum marchionem de Baden, non sunt veriti inter cæteras conditiones sibi primam exposcere libertatem in reformanda fide &c. His quidem compescitis, neque tamen Stuhlingani rustici factæ amicæ conventioni Schafhusii acquieverunt, arcemque ipsam comitis Sigismundi sunt aggressi. Inde vero digressi, dum ultra torrentem Wutach procedunt, rustici Hauensteinenses in Alpegovia tumultuantur, ad monasterium usque S. Trudperti progressi, inde vero metu Austriaci militis regressi, sub prætextu præsidii contra Helvetos Waldishutum occupantes, monasterium S. Blasii intrant: ubi omnia dilapidant, dilacerant & rapiunt sacra etiam vasa, atque inter hæc ciborium effusis in terram sacris hostiis. Iam ante Waldishutani plaustrum onustum sacris cimeliis in tuta Helvetiæ loca evehendum diripuerant. Advenerunt etiam Badenses Scultetus Frey aliique primores, itemque Clingnovienses, ut tumultuantes rebellesque monasterio rusticos compescerent; sed frustra. Hauensteinensibus sese adiunxerunt Blummeggenses, Wuttenthalenses, Guttenburgensesque eiusdem San-Blasianæ ditionis; perinde ac Stulinganorum exemplo Furstenbergenses in eamdem rebellionem sunt adducti.

Missi vero sunt ab episcopo Constantiensi, ex vicinis item urbibus Uberlinga, Villinga, Seckinga, Rhenofelda, Laufenburgo Nigrasylvanis ditionis Austriacæ, qui rem conficerent cum rusticis subditis comitis Sigismundi Lupfensis, Friderici Furstenbergici, & monasterii S. Blasii. Advenerunt etiam milites Friburgo, Waldkyrcha, Triberga missi a regimine Austriaco. In festo trium regum ad sextam Ianuarii condictus erat conventus ille Cellam ad lacum Acronianum, sed frustra. Qui Oeniponto advenerant milites, ab archiduce missi, Cleggovienses & Alpigovienses vi ad officium revocarunt, captis etiam Waldishuti *capite*que plexis antesignanis. Religio quoque avita est restituta.

Sed dum unum hydræ huius caput amputatur, mox surgit aliud. In die palmarum adventantibus rusticis Hegoviensibus, duce Ioanne Penckler, rustici Nigrasilvani, Alpegoviæ & Baræ antesignano iam notato Ioanne Muller Bondorffii quatuor millia convenerunt, progressi Neidingam

&

& Pforam; admissi ab Hüfingensibus; ubi relicto præsidio Breilingam, & Oeschingam invadunt; tum divisa Ioannis Muller turma oppidum Fürstenberg petit, tandemque occupat, & mox arces Wartemberg, Lupfen, Möringen & Geisingen. Illis quidem Georgius Truchsessius occurrere gestit, sed ob turbas in Wirtembergia ortas illuc se conferre coacto nostri interim rustici per Löffingam oppidum Sulz petunt, dum fœderati Sueviæ Rotenburgum inter & Tubingam hærent. SECULUM XVI.

Maxime autem monasteria infestarunt: nec fuit ullum Nigræ silvæ, quod rusticorum horumce rabiem non fuerit expertum. In Wirtembergia quidem cum cæteris fere Alba Dominorum & Dominarum atque Hirsaugia; ex urbibus vero, ut passim Crusius notat, Heilbruna & vicinitas illa, uti legere est in anonymi Heilbrunensis narratione de Bello rusticano apud Senckenberg a) & apud Freherum b) in Petri Criniti historiá rusticornm tumultuum. Notantur quoque in paralipomenis rerum memorabilium sæpe citatis c) doctissimi Nicolai Gerbelii Pforzensis libri quatuor eius argumenti. Nos nostra partim ex chartis domesticis, partim ex MSS. quibusdam chronicis desumsimus, uno præsertim notabili urbis Villinganæ, in quo ita articulatim ea quæ ad Nigram silvam pertinent, annotantur, ut fere huius provinciæ topographiam repræsentet. Prosequendo autem historiam narrat auctor, in festo inventionis S. Crucis monasterium Tennenbacense combustum fuisse, atque eadem adhuc hebdomada Ettenheimense, Schutteranum, Haidershaim, dum marchio Ernestus cum octo abbatibus Friburgi illis internecionem iurant. Hi interim furere pergunt; Wulterdingen & novum Furstenberg arces comitis de Furstenberg comburunt: inde progressi per Ferenbach & Furtenwangen monasterium S. Georgii petunt, postea Carthusiam prope Friburgum, ipsamque urbem; ac Brisgoicas oberrant terras, dynastias etiam marchionis Ernesti, qui, ut perhibet Schoepflinus in historia Badensi d) securitati suæ consulturus Argentinam se contulit, dum sui etiam rustici, licet rebellionis auctores capite mulctari ad terrorem iusserit, in Austriacos sæviunt.

a) T. IV. sel. iur. p. 681.

b) T. III. Script. R. G. p. 236. &c.

c) p. 483.

d) T. IV. p. 9.

Biennio post an. 1527. die S. Galli super damna accepta & data Neoburgi ad Rhenum transactum est inter Austriacos Brisgoiæ status sese potissimum per Nigram silvam distendentes ex una parte, atque Ernesti subditos ex altera parte; illos nempe, qui in Hachbergæ, Susenbergæ, Rætelæ & Badevillanis terris, hinc inde in Nigram silvam protensis, habitaverant, atque tumultibus suis infestaverant Austriacas terras, etiam Nigrasilvanas. Conventum est, ut rustici pro damnis illatis 5600. flo-

SECULUM XVI.

florenos persolverent, Austriacis incolis ablata fideliter restituerent, census debitos novo laterculo consignandos curarent; chartas enim & urbaria, ut ubique alibi, rustici tumultuantes combusserant. Contra Austriæ rusticos, seditionis participes actio vicissim Ernesto marchioni servata. Hæc fere Schœpflinus, qui comitum ac dynastarum nomine Sigismundum de Falckenstein baronem, pro ecclesiastico Ordine Conradum Schutteranum abbatem & Wilhelmum de Wyger Ord. Teuton. commendatorem Friburgensem, pro equestri Ordine Io. de Reischach & Conradum Sturzel de Buchheim cum civitate Friburgensi designat, qui sigillis suis instrumentum transactionis firmarunt; conventionis vero participes Ioannem de Hottstein, ordinis Melitensis per Germaniam Priorem, Ioannem abbatem S. Blasii, Laurentium abbatem Ettenheimensem, Iosephum S. Petri, abbatiam S. Truperti, Io. abbatem Thennenbacensem, Leonardum S. Mariæ vulgo St. Mergen, Præceptoriam S. Antonii Friburgi, Capitulum Waldkyrchense, Prioratum S. Ulrici, Carthusiam Friburgensem, abbatiam monialium in Gunthersthal, Adelhausen, S. Catharinæ & Wunenthal. Inter dynastas & equites comparent Conradus comes Tubingensis, dominus in Lichteneck, dynastæ in Stauffen &c. nobilium quoque ex Ordine complures.

Friburgum.

XI. Friburgum Brisgoiæ diætas nonnullas insultuum rusticorum sustinuit, tandem ante festum Ascensionis Domini admissis trecentis armatis Ioanni Muller tria florenorum millia numerarunt unacum vexillo Austriaco, quo facto Waldkyrcham abscesserunt in profesto Ascensionis Domini an. 1525.

Floruit hoc seculo academia Friburgensis, ipsaque urbs iterum iterumque præsentia imperatorum fuit ornata, veluti an. 1510. Maximiliani I., quem ut salutaret Augustum hospitem a senatu academico constitutus est celeberrimus Ulricus Zasius, qui ab ineunte hoc seculo XVI. humaniorum litterarum professionem cum iurisprudentia coniunxerat.

An. 1514. idem Maximilianus imp. ab Universitate hac consilium expetiit super Calendarii reformatione, quæ tandem an. 1582. a Gregorio XIII. consultis peritioribus Italiæ mathematicis per Aloysium Lilium confecta ad Europæ principes & celebriores academias missa est, ut communi reciperetur opera. Consilium memoratum Friburgi dedit theologus celebratissimus Ioannes Brisgoius, qui identidem in catalogo rerectorum universitatis Fasc. I. amœnitatum litter. Friburg. ineunte hoc seculo, perinde ac Iodocus Lorrichius Carthusianus ad finem vergente notatur.

Ioan-

Ioanni Brisgoio quidem Ulricus Zasius epist. CCXLII. editionis Rieggerianæ ad Lutherum a) id testimonium reddit, nihil eum post sacras litteras præter Lutherana sapere, ita quidem scribens anno 1520. Eodem fere tempore Io. Eckius in libello quodam paullo post disputationem Lipsiensem scripsit in hæc verba b): *Ich hab wol anzaygt, wie nit mer dan drey doctores in theologia dar seind, der eind ist doctor Ludders Orden; den ich nit kund leyden, mit den andern zweyen gefall mir woll, ich sey doctor Friburgensis und der ain doctor Ioan. Prisgoius der mein promotor gewesen und præceptor. daz D. Lúdder ietz wolte begeren das nach dem Sentenz der ding halben kain Einred suchen wollt und das solichs ietz auffgeschrieben wurd, alsso fiel D. Ludder auff Parysz.* Agitur hic de selectu academiarum pro ferendo arbitrio propositarum Luthero.

SECULUM XVI.

a) p. 396.

b) p. 125.

Quod vero Lutheranismum attinet, Zasium ea suspicione liberat laudatus Ios. Rieggerus, qui primum Luthero c), antequam in Ecclesiam debaccharetur, familiaris fuit perinde ac Zwinglio, ad quem an. 1520. sic scribit d): *Multos nostra provincia Lutheranos fovet, theologos etiam & imprimis Iacobum parochum paganum, virum, si quisquam est, sincerum, cum quo, quando nimis luthera(s)sit, sæpe ad amicitiæ modum discepto.* Nihil hic de academia, quæ annis 1524. 1530. & 1544. *catholicum contra Lutheri & Zwinglii &c. hæreses arbitrium dedit.* Aderant porro an. 1526. in colloquio Badensi supra memorato in causa Zwinglii inter alios etiam theologi Friburgenses præsentes. Dum anno 1529. Capitulum cathedralis ecclesiæ Basileensis Friburgum commigravit, unacum Henrico Lorito Clareano etiam Erasmus Roterodamus simul accessit in Matricula pergaména universitatis ita notatus: *Desiderius Roterodamus 5. Aug.* 1533. Vocati sunt porro an. 1560. theologi Friburgenses a papa ad concilium Tridentinum.

c) p. 132.

d) p. 523.

Anno 1545. instituta est Friburgi societas equitum, teste Crusio e), in qua Conradus comes Tubingensis dominus in Liechteneck, Ludovicus baro Stauffensis, Io. Christophorus & Antonius barones de Falckenstein, David a Stein, Lucas a Reischach, Io. Ulricus de Stadion & alii erant. Sed iam anterioribus seculis erant huiusmodi consociationes; ac quidem nobilium equitum Friburgi, ad utrumque item Rheni litus & in Nigra silva deinceps mutua statuum coniunctio provincialium sese sponte tutelæ Austriacæ subiicientium, prælatorum, equitum, urbium item & regionum (Landschaften), quorum matriculæ ad præstanda subsidia præsidiaque militiæ ab ineunte maxime seculo hoc XVI. habentur; reclamante quidem, quod potiora quædam attinet membra, identidem Imperio.

e) P. III. lib. XI. c. 19.

Seculum XVI. Ferdinandus I. imp. die 23. Decembr. an. 1562. solemni ritu in urbem susceptus celebratis festis natalitiis Domini conventum statuum provincialium ibidem celebravit.

Anno 1591. Ordo Capucinorum susceptus est in urbem, qui adolescente seculo hoc XVI. auctore Matthæo Basio Umbro, ingenti Ecclesiæ bono, est institutus. Non desunt tamen, qui id gloriæ celebri Ludov. de Fossembrun tribuant.

Villinga. XII. In tabula quadam Villingæ in prætorio suspensa ad an. 1553. legitur, eo anno universitatem Friburgensem ibi, id est Villingæ, fuisse, nulla addita causa vel ratione. Nihil hic de Maximiliano R. R. an. 1500. cum magno apparatu conventuque principum Friburgi præsente, quod in schedis MSS. urbis Villinganæ lego; factum vero fuit an. 1498. Eumdem Maximilianum Villingam ad festum S. Georgii an. 1507. venisse, in memorata tabula legitur, & ad annum præcedentem, Margaretham Austriacam eamdem urbem in festo S. Agnetis ingressam insignia avi sui in muro prope Soculantium monasterium renovari curasse. Dum an. 1515. fœdus Suevicum Ulrico duci Wirtembergiæ bellum intulisset, urbi etiam Villingæ demandatum est, ut vicinas ducis terras occuparet. Igitur cum trecentis armatis egressi versus monasterium S. Georgii, abbatem ad deditionem invocarunt, quod ille ægre quidem, ut præseferebat, fecit. A San-Georgianis petitum est, ut Austriæ, fœderi Suevico, & urbi fidem præstarent. Villingani ulterius progressi versus Schiltach, Rottwilanos etiam missis nunciis in partes traxerunt, ac iuramentum, capto oppido Hornberg, a terris illic Wirtembergicis susceperunt.

Fervente paullo post bello rustico, moderatione præcipua erga vicinos, atque etiam subiectos rusticos rem suam caute & prudenter egerunt Villingani, dum an. 1525. die Lunæ ante festum Purificationis Georgius Truchsessius Villingæ rusticos valiis Brigidanæ urbi obnoxios adduxit, ut ad festum S. Blasii iuratam urbi darent fidem.

Anno sequenti 1526. ad Dominicam *Quasi modo* Villingam frequens condictus fuit conventus urbium, nobilium & monasteriorum. Recensentur in supra memorato chronico Villingano Wolf Dietrich de Hornburg, Eques Ioannes Remmer, Wolfgang de Hornburg, consules ex Ehingen & Friburg; ex parte Villingen Iuncker Bez. Tractabatur ibi inter dominos & rusticos, erantque præsentes Friburgenses, Argentoratenses, Brisacenses, abbates Schuteranus, Etenheimensis, S. Blasianus, commendator ord. Teutonici Friburg. Wendel de Weiger, Conrad Sturzel,

zel, Caſpar de Blumneck. Ultra 80. urbibus, monaſteriis & præfecturis facta fuerat denunciatio, comitibus etiam de Furſtenberg, Lupfen, Kiſemberg, Stiehlingen, marchionibus de Baden & Röteln: vallibus Tottnau & Schönau, quatuor ditionibus Frickthal, Schopfen, Endingen, Kenzingen cum præfecturis omnibus Enſisheimenſibus, impoſitumque ruſticis Alſatiæ & Brisgoiæ, ut per tres annos ſexdecim bazias cambio Friburgenſi præſtarent. Additur, ſcribam Villinganum 36. florenos lucratum fuiſſe ſuo calamo in hoc negotio. SECULUM XVI.

XIII. Graves erant Villinganæ urbi cum Rottwilana (ad quam etiam Maximilianus R. R. an. 1507. in die Aſcenſionis Domini divertit Conſtantia a comitiis redux) controverſiæ circa fines iusque venandi, perinde ac Rottwilanis cum duce Wirtembergiæ; huius tamen partes ſuſceperunt Helveti in bello Reutlingano ineunte ſec. XVI. Inde cum Rottwilani cum Villinganis terras ducis in Nigra ſilva invaderent, ſenatus Turicenſis & Schafhuſanus petiit a fœderatis Rottwilanis, ut fœdus Suevicum deſererent. In promtu etiam erant comites de Geroldseck & de Zollern cum 6000. peditum & 600. equitibus invaſuri urbem incenſurique, niſi maturo receſſu periculum avertiſſent. Rottwila.

Fœdus Rottwilenſium cum Helvetis, Turicenſibus imprimis, in cauſa fuit, quod etiam magna pars civium Zwinglianis erroribus abducerentur, ut ſaltem ſex tribus ex undecim religionem avitam ſervarent, exire urbe iuſſis an. 1529. novatoribus cum prædicantibus Conrado Stucklin & Valerio Anſelmo dicto Rüd. Exulum cauſam apud Ulricum Zwinglium egit Ambroſius Blaurerus Conſtantienſis paſtor, cuius epiſtolam commendatitiam ab Hottingero editam a) etiam legere eſt in anecdotis Simlerianis cum libello exulum pro ope & auxilio ad confœderatos Helvetos; ſed fruſtra, Rottwilanis iura libertatemque ſuæ civitatis obtendentibus. Cauſam avitæ religionis in bello Capellano cum quinque cantonibus catholicis proſecuturi cum ducentis armatis Rottwilenſes Waldishutum uſque proceſſerunt. Neque ullus proſcriptorum Rottwilenſium in urbe Turicenſi ſuſceptus legitur in catalogo exulum ultra 400. urbium item eis locum apud ſe dantium, qui in laudata collectione Simleriana p. 538. legitur.

a) P. I. p. 519.

XIV. Succeſſerunt in Wirtembergia multo graviſſima immutatæ cauſa religionis mala, reſtituto in ducatum an. 1534. Ulrico, qui in Helvetia profugus ſecum attulit nova dogmata ab Ambroſio Blaurero Conſtantienſi prædicante ex apoſtata Alperſpacenſi ord. S. B. moxque anno ſequenti avitam religionem ad normam Auguſtanæ confeſſionis immutavit; Avitæ religionis mutatio in Wirtembergia.

SECULUM XVI. abolitis vero paullatim Zwinglianis pastoribus solis Lutheranis locus est relictus. Quum incentivum maxime essent ecclesiastica bona redditusque monasteriorum, quibuslibet artibus ac vi ad illa diripienda actum fuit, uti apud Besoldum videre est in prodromo vindiciarum ecclesiasticarum Wirtembergensium capite sexto imprimis; nos vero, quod monasteria Nigrasilvana attinet, suis locis attingemus. Christophorus dux, qui Ulrico patri an. 1550. successerat, auctore Brentio peculiarem religionis formulam non dubitavit ad Tridentinum concilium mittere an. 1552. Quin imo arrepta est postea occasio, dum an. 1573. duce Ludovico Stephanus Gerlachius Constantinopolim concederet cum legato Maximiliani II. Davide Ungnad, ut litteras commendatitias a Iacobo Andrea & Martino Crusio acciperet, quibus apertum est mutuum commercium litterarum ad tentandam unionem, si fieri posset, Græcæ Schismaticæ ecclesiæ cum Lutherana; sed frustra, omnino abrumpentibus an. 1581. commercium Græcis, licet haud infrequenter & quidem postea an. 1587. ipse Gabriel patriarcha stipatus commendatitiis a pluribus patriarchis in magna Synodo Cpolitana ad omnes principes Tubingam etiam adveniret: quæ academia hoc seculo XVI. circa finem, cum pestis Tubingæ grassaretur, aliquando sese in Nigram silvam nostram oppidum Calvam partim partimque Herrenbergam abdere fuit compulsa.

Lectu dignissimam & iucundissimam citat I. Ul. Prægizerus in supplemento Sueviæ & Wirtemb. de hac re orationem Crusii, de vetustissimo Wirtembergensis ducatus oppido Calva, habitam ab ipso Tubingæ an. 1595. gratitudinis ergo pro benevolo beneficoque hospitio, quo pars academiæ Tubingensis, theologica nempe & philosophica facultas an. 1594. pesti in oppidum Tubingense illapsæ cedens, Calvæ recepta & tecta fuerat.

Et marchionatu Badensi. XV. Dum negotium mutandæ avitæ in Wirtembergia religionis varias sufferret vicissitudines, quod terras illas nunc Ferdinandus I. nunc Carolus V. imperatores occuparent; vicinis marchionibus Badensibus novæ religionis studiosis cautius lentiusque procedere consultum fuit. Ex tribus marchionis Christophori filiis senior Bernardus constanter avitæ catholicæ religioni adhæsit. Philippus ad Protestantes nunquam quidem ipse declinavit, favit nihilominus Lutheranismo per aliquot annos; at an. 1532. prædicantes eius sectæ suis ditionibus eiecit Caroli V. imp. in Sueviam adventu, ut Schœpflino a) videtur, perterritus. Edidit is in cod. diplomat. hist. Zaringo-Badensis P. III. litteras consulis & senatus Friburgensis an. 1523. ad Ernestum tertium Christophori filium, cui marchionatus Hachbergæ cum Usenbergæ, Rœtelæ, Badewilæ,

a) Hist. Bad. T. III p. 33. T. VII. p. 47.

læ, (recrudeſcentibus quidem identidem inter herciſcentes Brisgoiam Auſtriacos & Badenſes principes litibus) Sauſenbergæ dynaſtiis in Nigram ſilvam noſtram excurrentibus obtigit. Monent Friburgenſes marchionem, Lutheri doctrinam a tribus hominibus in tractu Kayſerſtuhl diſſeminari; necdum ergo de ſe ſuſpicandi locum dederat Erneſtus, qui teſte Schœpflino a) in abolendo veteri cultu lentus, in admittendo novo non præceps, nec Cæſarem offendit, nec Proteſtantes a ſe alienavit, futuram præſtolatus religionis pacem, cuius initium Paſſavienſi tractatu lætus vidit, complementum pace Auguſtana videre non potuit, mortuus an. 1553. Pforzhemii. Contra eum prælati Brisgoiæ, Sundgaviæ & Nigræ ſilvæ an. 1536. querelas depoſuerant parum efficaces.

Secul. XVI.

a) *Hiſt. Bad. lib. VI. c. 1. §. 16.*

Fuit vero, qui patri ſucceſſit, Carolus ultimo genitus, in novis ſacris multo tenacior atque in abolendis avitis promtiſſimus poſt comitia Auguſtana an. 1555. mox anno ſequenti inducta confeſſione Auguſtana, convocatis Phorzhemium Proteſtantium Doctoribus, ducem etiam Wirtembergiæ ſecutus: quod monaſteria inſtitutumque monaſticum in ſuis ditionibus attinet, maiori ſaltem uſus moderatione. Apud eum redux in Gallia exul Albertus Brandenburgicus marchio bellicoſiſſimus mortuus eſt an. 1557. Phorzhemii, unde poſtea ſedem Durlacum tranſtulit Carolus, a qua regia deinceps Erneſtina Badenſium Stirps nomen retinuit ex diviſione terrarum poſt mortem Philippi fratris an. 1533. inter Bernardum & Erneſtum fratres facta. Ex his Bernardina avitam religionem ſervavit, Erneſtina Lutheranam adoptavit; ut tamen Erneſtus Fridericus primogenitus Caroli II. filius ad caſtra Calviniſtica tranſierit, edito etiam in defenſionem doctrinæ Calviniſticæ libro.

Iacobus vero ſecundo genitus poſt ſeriam non unius anni deliberationem, inſtitutaque duo inter utriusque partis theologos colloquia, in gremium catholicæ Eccleſiæ rediit, eius fidem ſolemni ritu profeſſus in monaſterio Tennenbacenſi an. 1590. die 15. Iulii: cuius mutationis cauſas perſcripſit celebris eiusdem converſionis præcipuus auctor Io. Piſtorius an. 1591. adeoque poſt mortem Iacobi, quam eiusque cauſam deſcripſit quidem Piſtorius, non omnibus æque tamen perſuaſit, uti apud Schœpflinum legere eſt. b)

b) *T. IV. lib. VI. c. 4. §. 11. p. 131.*

XVI. Ex præcipuis Nigræ ſilvæ dynaſtis ſunt comites de Furſtenberg: ex quibus Wolfgangus apud Beſoldum c) notatur, cui iuſſu Maximiliani I. in diplomate an. 1504. pro monaſterio Alperſpacenſi abbas Gerhardus homagium præſtitit aulæ ſuæ Mareſchallo ſupremo capita-

Comites de Furſtenberg.

c) *Docum. rediv. T. I. p. 175.*

pitaneo & præfecto Alſatiæ & Ortenaviæ. Idem an. 1505. fœdus Chriſtophori marchionis Badenſis cum Maximiliano Imp. contra Gallos & Helvetios, quod ſpeciatim Auſtriacas & Badenſes in Alſatia, Brisgoia & Nigra ſilva ditiones reſpexit, ſuo etiam munit ſigillo, nomine Cæſaris cum Caſparo barone de Mörsberg. Idem Maximilianus terras regni & oppida Palatinatui oppignorata, teſte Trithemio in chron. Hirſ. ad an. 1504. recuperans (nempe Geroldseck caſtellum & ditionem, Offenburg, Ortenberg, Gengenbach, & quidquid in circuitu iuris fuerat Palatini, ex his dimidiam partem Ortenaviæ) huic Wolfgango tradidit ob officia, quæ ei præſtiterat comes, & ob 24000. fl. ſummam, quam ſtipendii nomine & ex mutuo comiti debuerat Maximilianus. Obiit Wolfgangus Ortenbergæ an. 1509. ſepultus in Neudingen, ubi iam ineunte ſeculo hoc XVI. Clara Anna & poſtea Beatrix eius filiæ fuerunt moniales.

Poſt Wolfgangi mortem Fridericus & Wilhelmus filii communiter paternam hereditatem tenuerunt, poſt diviſionem etiam an. 1515. oppidum Furſtenberg, ut vero Wilhelmo obtingeret Neofurſtenberg cum aliis in Nigra ſilva ditionibus excepta valle Kinzingana, quæ, quantum ad Furſtenbergicos pertinebat, relicta fuit Eliſabethæ ex comitibus de Solms matri ad dies vitæ, quam cum morte commutavit an. 1540.

An. 1544. Wolfgangus II. Friderici filius natus ſolum 24. annis in prælio apud Carigniacum in Pedemontio occubuit, quando etiam in chron. Villingano captus dicitur Wilhelmus eius avunculus mortuus an. 1549. Egon vero ex Friderico fratre nepos in obſidione Metenſi lethaliter vulneratus obiit an. 1553. Treviris, in Neidingen ſepultus. Fridericus & Wilhelmus fratres mutuo ſe armis petiiſſe an. 1538. in tabula hiſtorica Villingæ in curia ſuſpenſa leguntur.

Fridericus iam an. 1516. Annæ de Werdenberg unicæ eius ſtirpis nupſit, unde an. 1540. extincta maſcula ſtirpe Werdenbergica cum aliis ditionibus comitatus Heiligenbergicus ad Furſtenbergenſes devenit ceu feudum Imperii, aſſumta ideo in ſcuto Furſtenbergico medio in corde aquilæ ſcala Heiligenbergica, cum vexillo item Werdenbergico. Emit Fridericus an. 1537. dynaſtiam Blomberg & an. 1553. Möhringen, quæ cum Hauſen & Wolfach ineunte ſeculo ſequente, ut videbimus, obtigerunt Uratislao Albrechti I. de quo mox dicemus, filio nato an. 1584. In iam citato Mſc. chronico Villingano Fridericus an. 1525. Villingam cum uxore & liberis adveniſſe legitur, ſecum allato ingentis magnitu-

dinis

dinis cervó, paratoque civibus convivio, poſt quod ſaltatum, renovandæ amicitiæ cauſa; quod deinde cives præſtiterunt comiti, quævis vicinitatis officia promittenti; additur vero: *Iſt ihm wieſt vergangen.* Fridericus hic eius nominis ſecundus quindecim prolium parens non unius ſtirpis Furſtenbergicæ conditor: ac quidem per Chriſtophorum filium Kinzinganæ hodie ſuperſtitis longe lateque ſeſe per Nigram ſilvam diffundentis. Chriſtophoro poſt mortem Friderici an. 1559. Henricus & Ioachimus adminiſtrationem ſoli commiſerunt, qui eodem tamen adhuc anno defunctus biennem tantum reliquit filium Albrechtum, cui in diviſione bonorum an. 1562. Haslach, Hauſach, Wolfach in valle Kinzingana cum dynaſtiis Möhringen & Blomberg, avunculo vero comitatus Furſtenberg cum reliquis Nigræ ſilvæ dynaſtiis obtigerunt.

SECULUM XVI.

Ioachimus autem itidem quindecim prolium parens Heiligenbergicæ lineæ ſeculo hoc XVI. fuit ſator, cui Henricus frater an. 1579. ſuas etiam poſſeſſiones æger detulit in Nigra ſilva. Defunctus eſt an. 1596. improlis, inque monaſterio Ambtenhuſen ſepultus Ioachimus & Albrectus terras indiviſas an. 1597. adminiſtrandas ad annos 12. pro ſolvendis debitis commiſerunt Friderico IV. filio Ioachimi ſatoris lineæ Heiligenbergicæ, quæ ineunte hoc ſeculo XVIII. cum principali Kinzingico-Mœskirchica iterum eſt coniuncta ſtirpe, omnes demum an. 1744. cum Doneſchingica, quæ ſatorem habuit Iacobum Ludovicum memorati mox Friderici IV. filium natum an. 1592.

XVII. Fuit Anna Furſtenbergica Friderici filia, Chriſtophori, Henrici & Ioachimi ſoror nupta Io. Chriſtophoro ex familia de Falkenſtein, quam memoravimus proximis ſeculis inſignem inter Nigræ ſilvæ dynaſtas. Inſignia eius cum trabe transverſa conſpicua fuerunt apud S. Blaſium in feneſtra picta an. 1556. arte encauſtica, quam ab aliquot ſeculis deperditam, hodie reſtitutam opera duorum fratrum converſorum S. Blaſii eiusdem familiæ Nigra Silvanæ Pflugerorum Michaelis & Antonii ex fratre nepotis, cernere licet in eccleſia monaſterii S. Blaſii. Eadem inſignia comparent in lapide ſepulcrali eiusdem Io. Chriſtophori Ebringæ in Brisgoia. Ubi eum ſepultum cum armis gentilitiis utpote ſtirpis Falckenſteinicæ de Heitberg ultimum acta monaſterii S. Galli produnt, a quo monaſterio dynaſtiam Ebringenſem in feudum accepit ineunte ſec. XVI. Sigismundus de Falckenſtein in Heitberg in uxorem accepta vidua Georgii de Eberſtein. Idem autem feudum an. 1533. defuncto Sigismundo eiusque uxore Verónica nata de Embs a Diethelmo abbate San-Gallenſi accepit Ioannes Chriſtophorus. Legitur is an. 1560. præfectus

Alii Nigræ ſilvæ dynaſtæ.

SECULUM XVI. ctus provinciarum anterioris Austriæ, qui an. 1567. adhuc subscripsisse legitur chartæ Ferdinandi archiducis. Viget vero hodieque in Brisgoia familiæ Falckensteiniæ stirps illa, quam libris præcedentibus notavimus cum cervo gradiente in scuto. Ad quam pertinet Scholastica de Kunsegg seu Kœnigseck nupta Io. Georgio Reinaldi de Falckenstein filio. Occurrit Scholastica memorata in charta an. 1313. eius vero filius Erhardus (qui ex uxore nobilissimæ familiæ Nigra-silvanæ de Blumeneck filium Iacobum suscepit) duas se domos Villingæ possidere testatus in charta an. 1542. an. 1568. sigillum suum chartæ apposuit cervum nimirum gradientem: ubi eum Anna de Reischach nata de Kunsegg vidua cognatum suum appellat. Iam lib. X. celebravimus Ioannem Erhardum de Falckenstein cognominis ex matre Blumeneckica filium natum ex Susanna de Wessenberg sec. XVII. plurimis tempore præsertim belli tricennalis legationibus Imperatorum & archiducum Austriacorum clarum, celebratumque apud omnes vernacula oda *Kent ihr nicht den Herrn von Falckenstein*, qui ex Anna Francisca de Mercy Filia Francisci & sorore Florimundi Claudii heroum in nostris etiam plagis fortissimorum progenuit Franc. Marquardum de Falckenstein equestris exercitus Cæsarei ineunte hoc seculo XVIII. ducem strenuum, ac commendatorem provincialem in Altshausen an. 1717. defunctum.

Edimus chartam an. 1519. unde elucescit, Sigismundum de Falkenstein Wilhelmo & Friderico de Furstenberg vendidisse castrum Haydburg, vocato Daniele de Baden in testem, *den vesten Daniel von Baden.* Eodem hoc seculo XVI. Anna Friderici de Furstenberg filia Christophoro de Falckenstein nupta suæ stirpis ultimo ob. an. 1568. Serius vero castrum Falckenstein in comitatu Möskyrchico ad Danubium situm ex hæreditate comitum de Helfenstein Nigræ silvæ in pago Bara dynastarum ad Furstenbergicos pervenit, quod iam an. 1362. Albertum de Mayenbuch possedisse acta inter eumdem Wernerum de Zimmern, Conradum de Furstenberg, Oswaldum de Wartenberg dictum de Wildenstein & Ioannem de Blumberg docent. Vicina est hæc Nigræ silvæ arx, e regione vero posita, quæ in Alsatia a Dan. Schœpflino in Alsatia illustrata notatur a), & passim alibi cum aliis eiusdem nominis familiis nobilium & comitum de Falckenstein: quo titulo etiam ac nomine delectatur, atque ex hæreditate paterna comitatum possidet Iosephus II. Imp. in Hunnorum tractu, cui nomen petra Falconis, qua ab ave falcone item comitum nomen hoc frequentari potuit apud comitum ac nobilium familias.

a) p. 644.

Notavimus iam lib. VIII. ex MSS. nostris Falckensteiniorum familiam de Beckenrütti in Brisgoia, quæ falconem arcui insidentem pro insigniis habet.

habet. Scrinia urbis Friburgensis edocere queant, utra sit, quæ castrum Valckenstein in valle Valckensteig (in Suevia quippe castrum Falckensteinorum haud procul ab oppido Hornberg fuit) tenebant, postea ad nobiles de Landeck translatum, qui iam ab ineunte sec. XIV. possessiones in illa Nigræ silvæ versus Brisgoiam plaga habebant, quæ post mortem Iacobi de Landeck ultimi ex ea familia, ut libro superiore memoravi, anno 1562. ad iam memoratam familiam de Sickingen devenerunt ex parte saltem potiore, Annæ unius ex filiabus Iacobi (quarum altera Helena fuit) connubio; in ditione vero Baronis de Pfürt in Arspach sunt rudera arcis cum potiore parte vallis Valckensteig, cætera ad Barones de Witenbach pertinent, urbemque Friburgensem. Alia quædam illius terrarum ditionis B. de Pfürt circa monasterium Oberriedt, seculo præterito dote ad Barones de Neveu venerunt.

Inter nobiles Nigræ silvæ familias, quæ seculo XVI. esse desierunt, non est postrema comitum de Zimern, quo axiomate seculo hoc XVI. auctam hanc familiam an. 1539. a Carolo V. iam supra libro XII. notavimus, quando familiam duxit Ioannes Wernerus iunior perinde ac pater numerosæ prolis parens, frater Wilhelmi Werneri, quem Crusius in Annal. Sueviæ a) ex Pantaleone de viris illustr. Germaniæ laudat virum doctrinæ haud vulgaris & antiquarum rerum collectorem studiosissimum. Existimamus eius industriæ deberi spissum volumen historiæ huius familiæ, quod servatur in archivio Fürstenbergico. Primo matrimonio iunctus fuit Catharinæ de Lupfen. Legitur etiam nomine Rudolphi comitis de Sulz præsedisse iudicio aulico Rotwilano iam an. 1526. eius Frater item Ioannes Wernerus de Zimern dominus in Wilden- & Valckenstein an. 1535. & 1541. iterum vero Wilhelmus Wernerus (qui etiam citatis auctoribus iudex cameræ Imperialis fuisse dicitur, uti se scribit in instrumento an. 1551. b) & an. 1560. c) quo tutor extitit Franciscæ comitissæ de Lupfen; Frobenius Christophorus vero Ioannis Werneri iunioris filius, comitem & dominum de Zimbern, se se subscribit in instrumento an. 1559. dominus in Wildenstein & Möskyrch, Henrici comitis de Lupfen, ut acta huius familiæ produnt; Wilhelmum item Frobenii Christophori filium comitem de Wildenstein & Möskyrch dominum in Oberndorf & Schramberg ob hæreditatem conventionem celebrasse cum Anna Magdalena de Lupfen, nata de Hohengeroldzegg, vidua an. 1584. die 15. Octobr. Tutor item occurrit in charta an. 1590. Ioachimi Christophori de Morsperg cum Petro de Morsperg, quem an. 1594. Margaretham vero eius coniugem natam de Lupfen an. 1588. esse defunctam testatus est Ioachimus comes de Fur-

a) P. III. lib. XI. c. 15.

b) Pragmat. Geschicht des Hauses Geroldseck Urkund. p. 300.

c) Ib. p. 315.

 sten-

SECULUM XVI. ſtenberg in charta an. 1595. Idem item publicis tabulis teſtatum dedit, memoratum Wilhelmum comitem de Zimberen Paduæ an. 1593. ultimum huius proſapiæ ſurculum fatis ceſſiſſe; inſuper Annam coniugem ſuam, Sibillam Eitel Friderici de Zollern, Eleonoram Ioannis de Limpurg, ac Kunigundem Bertoldi de Königsegg uxores, Wilhelmi huius ſorores appellat: quæ & aliæ Wilhelmi ſorores aliis etiam comitibus matrimonio ſunt copulatæ, veluti Apollonia Georgio de Helfenſtein, Ioanna Iacobo Dapifero de Waldburg, Urſula Bernardo comiti de Ortenburg, Maria Georgio comiti de Thurn &c. Ioachimus Chriſtophophorus de Morsperg & Befort ultimus item ſuæ familiæ, cuius meminimus, ætatem in ſequens ſeculum XVII. produxit.

Expiravit porro ſec. XVI. familia comitum de Lupfen an. 1582. Ad initium ſec. eiusdem XVI. in chartis occurrunt Sigismundus & Henricus fratres comites de Lupfen, Landgravii in Stuhlingen & Domini in Höven. Sigismundum de Lupfen reperio an. 1488. quo Trudpertus de Staufen ſe pro eo fideiuſſorem dedit. Leo de Staufen ſæpius recurrit in chartis San-Blaſianis ab an. 1493. uſque 1506. quo matrimonium iniit cum Agnete de Lupfen. Antonium de Staufen ſororis ſuæ Agnetis filium dicit Ioannes comes de Lupfen quondam epiſcop. Conſtant. in charta an. 1550. Inter Henricum comitem de Lupfen & Petrum de Morſperg conventionis auctorem fuiſſe Georgium Leonem de Staufen charta an. 1577. docet. An. 1586. interfuiſſe nuptiis Io. Friderici de Morſperg cum Helena de Hohenembs vidua, nata de Freyberg legitur, an. 1592. commiſſarius Cæſareus, demum an. 1598. chartam in gratiam monaſterii S. Blaſii ſigillo ſuo munivit, mortuus an. 1602. ultimus ſuæ familiæ, viginti annis poſt Lupfienſem extinctæ. An. 1511. Maximilianus Imp. Henricum de Lupfen heredesque maſculos caſtri Höven oppidique Engen poſſeſſores, conſiliarios Auſtriacos pronuntiat &c. Hinc Sigismundo comiti, quamdiu conſiliarius Auſtriacus exiſteret & ſupremus Capitaneus in anteriori Auſtria & Vogt in Tann, 200. fl. poſt eius mortem vero Henrico ac hæredibus 300. fl. promittuntur. Horum poſt mortem penſio hæc 300. fl. Georgio, & poſt mortem eius filio Ioachimo prorogata eſt an. 1548. Huic fratres erant Wilhelmus & Ioannes ep. Conſtantienſis. In hiſtoria pragmat. familiæ de Geroldseck legitur a) transactio Walteri de Geroldseck & Annæ de Stofflen cum Ioachimo an. 1551. chirographum item an. 1557. Wilhelmi filiam Iuliam in charta anni 1549. notavi; eius autem filius Eitelfridericus improlis deceſſit, uti etiam Henricus, (qui in chartis an. 1571. & an. 1573. in mox memorata hiſtoria Gerolds. b) notatur) Ioachimi filius an. ut diximus, 1582.

a) *Urkund.* p. 137. 142.

b) p. 320. & 329.

Maxi-

Maximilianus comes de Pappenheim in comitum de Lupfen feuda imperialia successit, Landgraviatum etiam Stuhlinganum in Alpegovia nostra. Seculum XVI.

Ad Alpegoviam quoque pertinet oppidum Thiengen, ex quo comites de Sulz potentes olim Nigræ silvæ dynastæ vicinam Cleggoviam regebant sec. XVI. cuius incolæ a Stuhlinganis ipsoque incentore rusticorum Thoma Munzer animati an. 1525. in arce Kysenberg comitem Wolfgangum Hermannum Rudolphi fratrem obsederunt; nec obstantibus induciis a legatis fœderatorum Helvetorum pactis, iterum rebelles a capitaneo Austriaco Fuchs de Fugsberg cæsi, & ad officium sunt revocati.

Comites de Sulz graves admodum & molesti erant ob advocatiam monasterio Rhenaugiensi: intercesserunt præterea bella & turbæ religionis causa, compulsusque est abbas Bonaventura an. 1529. in Nigra silva nostra Waldishuti quærere refugium, Rudolphum comitem de Sulz inde urgens, ut rusticos Cleggovienses refragarios ad præstandos reditus adigeret: eius etiam successor Io. Heinricus Schenck de Castell transegit an. 1555. cum Elisabetha de Zweybruck, Rudolphi comitis de Sulz vidua, nomine filiorum Wilhelmi & Alwici, qui an. 1579. moriens quatuor filios ex Barbara de Helfenstein Rudolphum, Carolum, Ludovicum & Christophorum reliquit, quorum curator Henricus de Furstenberg & Schickardus de Helfenstein an. 1579. in Thiengen res cum monasterio componendi causa convenerunt: nomine monasterii præsentes erant conventualis Geroldus de Zurlauben, Ioannes pater & filius de Wellenberg, ex familia abbatis Bonaventuræ officiales monasterii. Erat Alwicus comes de Sulz præfectus Austriacus in Alsatia. Oppidum vero huius nominis ad Nicrum, libro superiore meminimus, comites de Wirtemberg an. 1471. armis extorsisse Ioanni de Geroldseck, linea illa eodem adhuc sec. XV. extincta.

In sæpe laudata historia Geroldseckiana a) ad an. 1500. leguntur litteræ feudales a Maximiliano I. Imp. Gangolfo I. seu seniori datæ b). Ad an. 1514. uterque senior & iunior seu secundus occurrit; hic solus vero in charta an. 1522. c) ubi se dominum in Geroldseck & Sulz nominat. Ibidem post declarationem Gangolfi & Walteri fratrum de castro Hohengeroldseck in feudum a domo Austriaca tenendo sequuntur eiusdem an. 1526. d) litteræ feudales a Ferdinando archiduce tanquam duce Wirtembergiæ pro Gangolfo & Waltero super dynastiam in Sulz, & postea an. 1544. super castrum Hohengeroldseck e) & mox eiusdem Ferdinandi I. Imp. pro Waltero & Quirino Gangolfi filio an. 1548. f) qui communem dynastiam habuerunt, ut ex charta mox sequenti pa-

a) *Urkund.* p. 243.
b) *Ib.* p. 258.
c) *Ib.* p. 265.
d) p. 266.
e) p. 270.
f) p. 292.

SECULUM XVI. lam fit a). An. 1555. idem Ferdinandus I. castrum & dynastiam Hohengeroldseck uni Quirin-Gangolfo in feudum dedit b) mortuo Waltero, cuius vidua Anna de Stoffen transegit, iterumque an. 1559. c) uti ibidem legitur. Ad an. 1572. d) vero refertur Caroli iunioris comitis de Hohenzollern, Simaringen & Veringen formula iuramenti tutorii pro Iacobo Quirin-Gangolfi relicto filio infante; cuius tamen tutores an. 1571. notantur Alwig comes de Sulz & Henricus comes de Lupfen Landgravius in Stuhlingen, in instrumento venditionis cum Adamo de Neuenstein e). Iacobus an. 1586. a Ferdinando archiduce & an. 1596. f) a Rudolpho II. Imp. feuda recepit g).

a) p. 294.
b) p. 296.
c) p. 301.
d) p. 303.
e) p. 313.
f) p. 320.
g) p. 326.

Non unus ex familia Geroldseckiana seculo hoc XVI. in terris anterioris Austriæ præfecturam tenuit partim trans Rhenum, partim etiam ad nostrum cis-Rhenanum litus; ubi tamen ordinum census saltem discretos fuisse recensus an. 1509. qui in archivio Friburgensi servatur, palam facit, in quo status Ecclesiastici membra solum cis-Rhenana in Brisgoia comparent cum statu amplissimo Equitum: quorum tamen familiæ ramos suos non solum ad utrumque latus Rheni Austriaci habebant, verum etiam in libero Imperio tam in Suevia, quam Nigra silva. Inde ortum habent nobiles de Blumnek, ex qua in memorato censu memorantur Herr Dietrich, Melchior, Balthasar, Rudolph, Casper; Valckensteiniorum per plerasque imperii provincias sparsorum comitum & equitum Herr Sigismund Stoffel de Landeck, Herr Antoni Bastion, Azymus de Wiger, Conrad de Cranznau Bolsweiler, iterumque David & Fridric de Landeck ex insigni Snewliorum stirpe. Ex superstitibus Conrad Stirzel, Hans von Rischach: de Schönau Herr Melchior, Hans, Caspar Ierg: Herr Leo von Staufen, Ludwig von Pfirt, Rockenbach, Herr Heinrich von Baden, Herr Arnold von Rottberg, pleræque omnes Nigram silvam attinentes sive ex stirpe sive per ramos, aut etiam varios acquisitionis modos. Sic ex familia de Geroldseck, Gangolphus II. & Walterus IV. iura sua in Schuterthal, Culbach, Reichenbach a Dieboldo II. de Geroldseck an. 1482. marchioni Christophoro vendita cum iure revenditionis iterum vindicarunt an. 1536. Austriacam ditionem, quæ etiam in Nigram silvam se extendit, veluti initio statim seculi huius XVI. Wilhelm de Rappolzheim, Hoheneck & Geroldseck ex familia transrhenana; ex cisrhenana vero nostra de Hohengeroldseck an. 1531. Gangolfus II. (patre Gangolfo I. mortuo an. 1525.) dictus in charta an. 1544. supremus Capitaneus, cui an. 1547. mortuo præfecti Austriaci successerunt an. 1547. Marquard Freyherr zu Königseck & Aulendorf, an. 1553. Georg Freyherr de Helfenstein & Io. Christoph. Freyherr de Falckenstein;

ſtein; an. 1560. Philippus comes de Erberſtein: an. 1563. Ulricus comes de Montfort & Rotenfels: an. 1570. Carolus comes de Hohenzollern & Sigmaringen: an. 1575. Georgius comes de Thurn, Valſaſina &c. ab anno 1588. ad initium uſque ſec. XVII. Cardinalis Andreas de Auſtria epiſcopus Conſtantienſis & Brixienſis gubernator anterioris Auſtriæ.

Moguntinæ ſedis metropoliticæ inconcuſſa ſedes.

XVIII. Iacobus de Liebenſtein archiepiſcopus Moguntinus, teſte Gallia chriſtiana a) an. 1506. in capitulo generali Ord. S. B. ad ſuffragiorum participationem admiſſus, anno ſequenti adfuit comitiis Conſtantienſibus, atque a Maximiliano Imp. regalia Imperii accepit, eiusque ſucceſſor Uriel de Gemmingen an. 1512. Anno ſequenti Moguntiæ iudicium inſtauratum eſt contra Io. Reichlinum a Iacobo Hochſtrato theologo Colonienſi primario, hæreticæque pravitatis inquiſitore, cuius rei acta extant Hagenoæ an. 1518. impreſſa, celebravitque hiſtoriam hanc Reuchlini Moguntinam anno ſeculari 1713. Hermannus von der Hardt inter opera ſua varia tomo primo: ubi p. 18. ex Reichlini epiſtola ad Wimphelingium refert, Prædicatores ante hunc proceſſum petiiſſe impetraſſeque conſilia a facultate theologiæ ſtudii Lovanienſis & Erfortenſis contra librum *Speculum oculare* Io. Pfeffercorno oppoſitum, qui facultatem omnia Hebræorum ſcripta per totum imperium Romanum conquirendi, Iudæis eripiendi & abolendi, apud Maximilianum Imp. urgebat, a quo ea de re conſultus Reichlinus, dum diſſuadet, conſultum Reichlini per Moguntinum archiep. ad Cæſarem deferendum, dum in manus Pfefferscorni incidit, publico ſcripto ſub titulo: *Hand-Spiegel Speculum manuale* refutatur, cui Reichlinus analogum oppoſuit an. 1511. *Speculum oculare Augen-Spiegel*, ut apud citatum von der Hardt eſt legere, epiſtolam etiam ea de re ad Iac. Fabrum Stapulenſem Pariſios datam ex Stutgardia Sueviæ ad circiter pridie Kal. Sept. 1513. dum iam in procinctu fuit Hochſtratus ad iudicium contra Reichlini libellum Moguntiæ inſtruendum, quod per ordinem exhibet von der Hardt p. 32. &c. chronologicum etiam inde a menſe Septembri an. 1513. quo in iudicium vocatus fuit Reichlinus tunc abſens, poſtea etiam præſens, rogatus advenire a capitulo Moguntino: cuius patrocinio actum eſt apud archiepiſcopum, ut, dum iam rogo addicendus eſſet libellus Reichlini, qui ad papam appellaverat, ſubito adeſſet nuncius archiepiſcopi, qui differendum in menſem iudicium mandaret, prout acta quævis apud laudatum Hermannum von der Hardt exhibentur etiam imaginibus. Obiit anno ſequenti Uriel archiep.

a) T. V. p. 515.

SECULUM XVI.

Supremus in sede Moguntina Nigræ silvæ hierarcha fuit, dum avita religio lacessiri cœpit in Germania, Albertus Brandenburgicus, qui annuente Leone X. an. 1514. archiepiscopatum Moguntinum cum Magdenburgensi coniunxit. Ad eum Lutherus, cum a Io. Tecelio ob theses contra Indulgentias peteretur, an. 1517. litteras dedit contra usum perinde ac abusum Indulgentiarum, annexis simul thesibus de pœnitentia & Indulgentiis; ad quæ vero nihil Albertus, notatus passim, quod segnius rem egerit, dum interim clam novi præcones evangelii etiam se in ipsam urbem Moguntinam insinuarent, ut discimus ex epistola Caspari Hedionis apud Hottingerum ad Zwinglium a) an. 1520. data, in qua dicit, ecclesiam fratrum illic omnes Zwinglium amare, venerari & adorare, seque vocatum Moguntiam concionatorem absente quidem tunc archiepiscopo, a Wolf. Capitone, qui officium illud suum Hedioni resignaturus erat, futurus Electori a consiliis; qui vero fuit Argentorati postea cum Hedione & Bucero hyperaspistes novæ sectæ. Quid vero Moguntiæ ageretur, ipse Capito ad Zwinglium an. 1521. non tamen Moguntia sed Hallis in Saxonia, perscribit his inter alia verbis b): *Reverendissimus Cardinalis Moguntinus, quantum potest evangelium ut prædicent, præcipit, citra perturbationem vulgi; sinceriter, absque tamen atrocibus affectibus. Nec vult, ut quis clamet in Lutherum &c. Nuper venit Provincialis Ordinis Minorum instructus magna auctoritate, petiit auxilium, ut dicebat, principis mei, & litteras, ut possit concionari per diœceses contra Lutherum. Quid ad hæc princeps meus? Cordatissime respondit, sibi non probari huiusmodi institutum: non esse sic mutuis convitiis debacchandum. Neque eam sibi viam ad tranquillitatem videri, gratum tamen admodum ipsi, si firmarent pure & simpliciter dicere evangelicam veritatem citra atrocem notationem.*

a) *Hist. eccl. sec. XVI. P. II. p.* 519.

b) *Ib. p.* 525.

Ad suam mentem Capito loquitur de evangelio, a qua alienissimus fuit Albertus, ut ipse Lutherus prodit, cui minime probatus fuit, imo cumprimis etiam excessisse est visus, tam ipse scilicet leniter Lutherus rem mansuetoque animo egit. Audiamus ipsum apud laudatum Hottingerum c): *Si Moguntinus a principio cum a me admoneretur, denique si papa, antequam me non auditum damnaret, & bullis suis sæviret, hoc cepisset consilium, quod Carolus Miltitius cepit, & statim compescuissent Theclianum furorem, non evasisset res in tantum tumultum. Sola culpa est Moguntini.* Apologia est hæc Alberti archiepiscopi, qui nunquam deseruit suam, quam pro orthodoxa fide suscepit tuendam provinciam, nec ullus suorum successorum. Successor post mortem Alberti an. 1545. Sebastianus de Heusenstam concilio Tridentino

(c *p.* 788.

tino an. 1551. adfuit, eiusque successor Daniel de Homburg variis comitiis Imperii: duos etiam Imperatores coronavit Maximilianum II. & Rudolphum II. apud quem gratiosus imprimis fuit Wolfgangus de Dalberg Danielis an. 1582. successor; obiit an. 1601.

Seculum XVI.

XIX. Supra memini confessionis tetrapolitanæ (cuius epitome legere est in rerum memorabilium paraleip. ad chron. abb. Ursp. a) Argentinæ nimirum, Constantiensis, Memingensis & Lindaviensis civitatum, quæ fuit Carolo V. imperatori in comitiis Augustanis an. 1530. oblata, non tamen publice lecta, procusa per Casp. Hedionem, quem modo familiarem audivimus Zwinglio, cuius doctrina primis statim sese initiis in urbem Constantiam insinuavit, ea perinde inconsiderantia Hugonis episcopi Constant., quam modo in Alberto Moguntino archepiscopo notavimus; a qua tamen etiam Hugo ad se rediit iam an. 1521. ut in collect. Simleriana b) legitur ex Msc. quodam, sequunturque ibidem eiusdem episcopi litteræ pastorales an. 1523. & 1524. quibus modis novis erroribus occurrendum sit.

Secus ac urbis & diœcesis Constant.

a) *p.* 49.

b) *Erst. Th. bl.* 766. 789. 797.

In secunda eiusdem Simlerianæ collectionis parte legitur c) Melch. Zundelini senatoris Constantiensis præsentis narratio de irruptione in urbem ab Austriacis facta, simulque quid religionis causa eidem acciderit urbi. Perhibet vero, circa an. 1524. a Constantiensibus prædicantes, qui primum Lutheri, mox etiam Zwinglii dogmata e suggestu publice protulerint, fuisse constitutos, qui in nota nominantur Iacob Windner (*Binder*) Reutlinganus, Bartholomæus Mezler Wasserburgensis, Io. Wandner (*Wagner*) Kauffbeuranus, imprimis vero Ambrosius Blarer, quibus se maxime Antonius Pirata Ord. Prædicatorum opposuerit. Servatur etiamnum libellus a novis prædicantibus contra eumdem magistratui Constantiensi an. 1523. oblatus, litteræque Ferdinandi archiducis an. 1526. qui testatur, eosdem prædicantes ad invitationem laudati P. Antonii non comparuisse. M. Ambrosium Blarerum inter hos præcipuum a multis principibus & urbibus postulatum fuisse novum dogmatistam, litteræ, quæ Constantiæ servantur, testimonio sunt ab anno 1525. usque 1540. quando potior Lutheri causa fuit, quam Zwinglii Constantiæ, qua ex urbe nonnullæ urbes imperiales pastores postularunt Biberacum an. 1533. & adhuc an. 1547. Leutkyrcha, ut superstites epistolæ produnt.

c) *p.* 513. *&c.*

Sæpe laudatus Hottingerus in hist. eccl. sec. XVI. P. II. d) Sebastiani Hoffmeisteri Schafhusani ad Zwinglium prolixam profert epistolam Constantiæ scriptam, postea Ioannis Zwiccii, qui epistola data Rudlingæ e) an. 1522. quid sibi atque etiam parenti novum evangelium prædican-

d) *p.* 396.

e) *p.* 441.

SECULUM XVI.

dicanti obmotum sit, narrat. Idem Zwinglio denunciat a) Io. Wannerus. Memoratur deinceps Gregorii Mangolti familiare valde epistolicum commercium cum Zwinglio, quocum postea apostata Turici vixit. Sequitur Alexii Perschii ad S. Paulum Constantiæ parochi ad eumdem Zwinglium epistola, in qua quidem ægre fert, Zwinglium & Lutherum de eucharistia acerrime concurrere & disputare: eadem etiam libertate Ambrosius Blarer seu Blaurer cum Zwinglio primum expostulasse dicitur, vocaturque magnus Constantiensium reformator, pastor nimirum novæ sectæ extruso etiam episcopo cum canonicis an. 1526. vel sequenti, dum senatus clero non est veritus operas publicas imponere, ut memoratus Zundelinus memorat, b) anno item 1528. urbem Constantiam cum Turicensi & Bernensi abdicatis simul cæremoniis ecclesiasticis, imaginibus &c. fœdere iunctam fuisse, quod mox an. 1531. post secundum Capellense bellum cessarit. Narrat porro, Constantiam an. 1532. fœderi Smalchaldico accessisse, indignante admodum Cæsare, frustra etiam Friderico Furstenbergico cum eo conciliare allaborante urbem, postea proscriptam. Pervicit tandem Constantiensium pervicaciam, in qua per viginti omnino annos perseveraverant, Gerwicus abbas Weingartensis & Ochsenhusanus concivis, *quem*, sunt verba P. Gerardi Hess in eius vita c), *municipum & præcipue cognatorum suorum Thomæ consulis eiusque fratris Ambrosii ex Blaurerorum stirpe sors quam maxime dolebat.* Opportune ipse Carolus V. Imp. id negotii Gerwico commiserat, dum monitis eius parent cives datisque ad Gerwicum litteris an. 1547. precantur, ut mala urbi imminentia avertere conetur. Affert ibi P. Gerardus ex autographo, quod servatur ad Vineas, Cæsaris litteras d); notatque postea, quam inexspectatum simul & durum Gerwico acciderit hoc negotium ex litteris eiusdem ad Fridericum Furstenbergicum, episcopum item Atrebatensem, denique ad consiliarios & commissarios regis e), Constantiæ existentes, in quibus rogat, ut Cæsarem a proscriptione bonorum avertere, mitioraque consilia suggerere allaborent. Affert P. Gerardus Georgii abbatis Creuzlingani litteras f), quibus Gerwicum de capta urbe 14. Octobr. an. 1548. dum *altera statim die lunæ civitatis incolæ ipsi* (Nicolao B. de Bollweil) *nomine regis cum consensu Cæsareæ maiestatis, ut fama fert, iusiurandum dixerunt, septem vel octo viris consularibus, & prædicantibus omnibus cum suis familiis egressis, clausisque eorum domibus.* Addit P. Hess, Constantienses interea equidem in Ferdinandi regis, nondum autem in Cæsaris gratiam rediisse, conditiones exsequi cunctatos, quas ibidem affert. Has quum plerasque magistratus civesque gravate ferrent, & ideo supplici apud Cæsarem libel-

a) p. 444.

b) P. II. p. 519.

c) Prodr. monument. Guelphic. p. 237.

d) p. 712.

e) p. 776.

f) p. 239.

libello peterent, ut libertatem conſcientiæ eis permitteret, Carolus Fridericum de Furſtenberg, Sigismundum ab Hornſtein ordinis Teutonici in Meinau magiſtrum, Io. Iac. a Landau equitem Uberlinganum & Gerwicum abbatem commiſſarios nominavit ad rem cum civibus ad pacem iam pronis componendam. Proſcriptionis inſtrumentum in altera deinde parte Zundelius affert: narratque, quæ urbs in obſidione per Hiſpanos milites pertulerit, ad uſque receptum famoſum *Interim.* Quod dum tandem acceptaſſet urbs, paſtores urbe exceſſerunt, quos nominat Ambroſium Blarer, Ioannem Schnell, Io. Iung, Michaelem Bock, Iacobum Funkelin, Martinum & Iacobum Mezleros.

Seculum XVI.

Sic demum orthodoxia in urbe Conſtantia, ſeſe tandem Auſtriacis dedente, reſtituta eſt, non vero etiam in ampliſſima dioeceſi, etſi inſignes ſec. XVI. habuerit epiſcopos, Hugone nimirum ſæpe laudato an. 1530. coadiutorem adoptante celeberrimum Balthaſarum Merklin Nigra-ſilvanum Waldkyrchæ in loco natali Præpoſitum, adminiſtratorem porro Hildesheimenſem, vice-cancellarium R. I. ſub Carolo V. aliis ſummis principibus Cæſaribusque charum, ac variis legationibus perfunctum, qualem dum aggreſſurus erat, immatura morte abripitur anno 1531. Anno ſequenti revocatus iterum ad ſedem Hugo, ſucceſſorem proximo an. mortuus habuit iam ſupra memoratum Ioannem comitem de Lupfen huius nominis quartum, cui an. 1537. epiſcopatum reſignanti ſucceſſit Ioannes V. ex archiepiſcopo Lundenſi in Dania, ac inſuper epiſcopo Roſchildenſi, oratore item & commiſſario Cæſareo ad aliquot comitia renunciatus epiſcopus an. 1537. repentina vero morte abreptus an. 1548. Succeſſorem habuit Chriſtophorum Mezlerum Veldkyrcha oriundum, vicarium & officialem Conſtantienſem & Curienſem. Hic tandem an. 1551. anno regiminis quarto ſedem epiſcopalem, quam Hugo ep. an. 1527. comitantibus canonicis Uberlingam tranſtulit, inde an. 1543. a Ioanne V. Radolphi-cellam translatam, reſtituit *undecima Maii*, ut ſæpe laudatus P. Gerardus Heſs ex ſcriptore coævo a) refert, *Conſtantiam ingreſſus eiusdem menſis die XII. Baſilicam Cathedralem conſecrat, atque Dominica Pentecoſtes SS. miſſæ ſacrificium ſolemni ritu decantat.*

a) p. 242.

Succeſſorem Chriſtophorus accepit an. 1561. iam cardinalitio pileo ornatum Marcum Sitticum comitem ab Altembs, qui eodem ipſo anno exeunte Tridenti ex Pii IV. P. avunculi iuſſu inter præſides concilii conſedit, abſoluto autem an. 1564. concilio ad Maximilianum II. poſt mortem Ferdinandi I. legatione perfunctus, redux an. 1567. ſynodum ſuæ dioeceſis ampliſſimam habuit magna frequentia omnium Or-

SECULUM XVI.

dinum fecularis & regularis cleri, abbatumque complurium etiam Nigræ silvæ nostræ præsentium, non obstante defectione magnæ partis huius diœcesis etiam in Nigra silva, tam in ducatu Wirtembergico, quam Marggraviatu Durlacensi; urbs tamen & diœcesis Constantiensis maiori ex parte immunis reddita fuit religione & auctoritate potissimum Augustæ domus Austriacæ, ex qua Andreas ab Austria Cardinalis Marco Sittico in episcopatu Constantiensi succedens, eum tenuit usque ad initium seculi sequentis.

Paucos post Andream supervixit annos Io. Pistorius, mortuus anno 1608. Friburgi Brisgoiæ in templo PP. Augustinianorum sepultus, canonicus Constantiensis, cuius opera imprimis usus est Card. Andreas, studiosus etiam in repurgando Breviario, quam in rem extat Io. Pistorii epistola ad Card. Baronium (inter eius opuscula an. 1770. Venetiis ed.) iussu Card. Andr. scripta. Io. Pistorii studia pro religione catholica, postquam ad hæc castra divertit, iam memoravimus præsertim in celebri colloquio Emendingensi diœcesis Constantiensis an. 1590.

Spirensis item & Argentoratensis.

XX. Par disparque sors dici potest per motus religionis causa Germaniam nostram undique perturbantes in reliquis duabus diœcesibus Spirensi & Argentoratensi, quarum sacra iurisdictio in Nigram etiam silvam excurrit. Neutra earum sedem suam seu urbem episcopalem immunem præstitit aut vindicavit a colluvie novarum sectarum, ut tandem in utraque urbe Argentoratensi & Spirensi Lutheranismus obtinuerit, vel magna ex parte uti Argentorati, vel etiam maxima veluti Spiræ, conservata saltem ecclesia cathedrali cum capitulo & sede episcopali in suo, ut ita dicam, splendore. Argentorati Erasmus episcopus, qui postea conc. Tridentino interfuit, quum primum factus episcopus frequentem synodum Tabernis celebrasset, multaque decreta, quæ tempus postulare videbatur, promulgasset, ut Guillimannus narrat, ab Argentinensibus inde templa sibi reddi, sacraque restitui postulavit. Et cum illi diversis ad Imperatorem Carolum legationibus & rationibus rem in longum traherent, tria tandem ab iis vindicavit D. Petri duo templa & Cathedrale, in quibus sacra & cultum pristinum reparavit an. 1551.

Spiræ Philippus II. (primus huius nominis obiit an. 1513.) episcopus an. 1529. quo Spiræ in comitiis Protestantium nomen assumtum est, Georgio (qui natus ex Philippo Palatino ad Rhenum electore fratres habuit Henricum Wormatiæ & Ioannem Ratisbonæ episcopos) succedens consecratus die 25. Martii an. 1530. Aschaffenburgi ab Alberto

Bran-

Brandenburgico electore Moguntino, urbem suam festiva pompa ingressus est 9. Dec. postquam an. 1525. intercessu Ludovici Palatini restitutus fuit clerus, bello rustico seu liga sotularia memorata a Trithemio in chron. Hirs. ad an. 1502. in agro Spirensi primum pullulante, factionibusque inolitis civium Spirensium exturbatus. Sic etiam in vernacula historia episcoporum Spirensium an. 1608. edita, Rudolphum, Marquardum & Eberhardum solemni ritu urbem ingressos atque in sedem episcopalem evectos exaltatosque memorat Philippus Simonis eodem sec. XVI. capituli cathedralis secretarius.

SECULUM XVI.

Argentorati vero orto post mortem Ioannis de Manterscheid an. 1592 bello civico, dum canonici protestantes Georgium Friderici electoris Brandenburgici filium, catholici vero Cardinalem Carolum Lotharingum filium Caroli II. ducis Lotharingiæ episcopum elegerunt, ventum ad arma, quibus tandem an. 1604. res confecta est in favorem Caroli Lotharingi; cathedralis vero ecclesia insignis non nisi an. 1681. quo Argentoratum Gallis cessit, restituta est Argentorati, aucta identidem re catholica, quæ ea in urbe a primis novarum sectarum temporibus labefactata fuit, non obstante zelo episcoporum Guilielmi III. & Erasmi pro avita religione catholica, cui an. 1529. publice renuntiatum est in urbe adoptato Lutheranismo, dum prius etiam Zwinglius auscultaretur, quem Wolfgangus Capito vocat Argentinensis ecclesiæ apostolum apud Hottingerum a), quo teste ei etiam Martinus Bucerus in omnem quidem partem versatilis, nomen dedit, testatus in fine epistolæ b) ad eumdem Zwinglium, obnoxium se fuisse societati dominicali, Ordinis nimirum Prædicatorum. A Zwinglio deficiens ad Lutherum iterum in conventu Smalkaldico Argentoratum rediit, professus in nova academia Lutheranismum, qui constanter Argentorati sustinetur, & sicubi etiam in diœcesi Argentoratensi, nuspiam tamen, qua illa in Nigram silvam nostram cis-Rhenum distenditur, secus ac Spirensis per ducatum Wirtembergicum, marggraviatumque Badensem in decanatu Durlacensi & Pforzensi.

a) p. 405. 407.

b) p. 414.

XXI. Monasteria, in quibus vigor fuit disciplinæ regularis pietatisque christianæ, nihil non contulerunt perturbatissimis, periculosissimisque sec. XVI. temporibus ad conservandam avitam religionem fidemque catholicam. Opportune tunc acciderunt variæ seculo superiore institutæ reformationes Ordinis S. Benedicti, ex quibus non solum ætatem tulit Bursfeldensis, verum etiam seculis adhuc proximis in flore fuit ac ampliata.

Monasteria Ordinis S. Benedicti reformata.

SECULUM XVI.

Schuteranum

Meminimus libro superiore Ioannis Widel, qui ex Priore claustrali in monasterio Hirsaugiensi deinde Priore locali in Reichenbach, teste Trithemio, a Blasio Hirsaugiensi abbate antiquissimo Argentinensis diœcesis in Schutern monasterio est datus abbas. Ad eum in Schutern convenerunt an. 1501. eodem teste Trithemio ad h. a. in chron. Hirs. alii quatuor abbates cum undecim monachis, ut paullo post videbimus, submissi ad reformationem monasterii Gengenbacensis. Idem Io. Schuteranus abbas adfuit capitulo annuali Moguntiæ celebrato an. 1506. Notaturque adhuc an. 1508. in chron. Schuterani cœnobii apud Schannatum a), in Gallia Christ. dictus Ioannes II. cum tamen iuxta seriem abbatum mecum communicatam post eam, quæ sine chronologia quidem novissime in Austria sacra edita est, dicendus sit Ioannes IV. defunctus an. 1518. b) quo ei successit Conradus II. qui apud Besoldum cum Laurentio Ettenheimensi per viam compromissi elegit Udalricum abbatem Alpirspacensem an. 1523. quo ipso anno apud Schannatum c) *Ioannes Freyburger, quia ibi natus, custos, deinde factus Prior Schuteranus, versus quosdam excerpsit ex quodam vetusto pergameno codice, qui veterum monachorum Mellicensium exactam disciplinam continebat, aliasque antiquitates notabiles & perutiles; sed statim subsecuta inaudita seditio & factio ruricolarum eumdem libellum & reliquos pene omnes discerpsit, perdidit, & annihilavit, totumque monasterium ex amussi spoliavit: dicebatur tempus seu bellum rusticorum.*

a) *Vindem. litter. Collect. I.* p. 22.

b) p. 180.

c) p. 21.

Hæc circa tempora quidem Schutteranum monasterium imperatores, & archiduces Austriaci post Maximilianum I. Carolus V. & Ferdinandus eius frater in protectionem imperii & domus Austriacæ acceperunt, nihilominus a Geroldseckio expilatum & direptum, uti etiam a tumultuantibus rusticis; marchionibus Badensibus, comitibus Nassoviensibus dominis territorialibus compensationem damnorum quidem adiudicantibus cum mulcta pecuniaria. In sæpe laudato Msc. chronico Villingano legitur ad an. 1548. monasterium Schutteranum igne periisse ad festum Trinitatis: quod ad tempora Rudolphi abb. potest referri, quem Gallia christiana statim post Ioannem Widel omisso Conrado ponit ad an. 1535. moxque Fridericum Hauff mortuum an. 1593. nulla iniecta mentione Thomæ II. Stephani, Martini, qui in citata serie abbatum Schutteranorum Rudolphum III. inter & Fridericum IV. mox memoratum, recensentur abbates ordine 57. 58. 59. Locum hic demum meretur Conradus Summerhart Calvensis Nigra-silvanus academiæ Tubingensis primarius institutor mortuus an. 1501. & sepultus in monasterio Schutterano.

XXII.

XXII. Modo mentionem iniecimus factæ reformationis monasterii Gengenbacensis, dum, ut narrat Trithemius ad an. 1501. *Philippus comes Palatinus & Albertus Argentinæ episcopus, quorum ille tunc erat in temporalibus, iste vero in Spiritualibus dominus ad instantiam senatus oppidi Gengenbach memoratæ diœcesis vocarunt ad se Heidelbergam quosdam Ordinis nostri abbates de observantia Bursfeldensium, cum quibus secretum habuere tractatum de reformando monasterio dicti Ordinis in oppido Gengenbach constituto, cuius monachi nimis deformate vivebant. Complacuit res sancto concilio, dies in quadragesima circa Dominicam lætare statuitur, in qua cum monachis reformatis apud Schutterense cœnobium reformatores debeant comparere abbates: & interea mitti debeant quidam a secretis, qui monasterium Gengenbach auctoritate utriusque principis præoccupent, ac viam parent ad reformandum. Die præstituta conveniunt abbates cum fratribus ex diversis monasteriis ad reformationem sæpe dicti cœnobii coassumtis, quemadmodum Heidelbergæ fuerat conclusum ad Schutteren. Ioannes videlicet Spanheimensis, Blasius in Hirsaugia, Macarius in Limburg, Ioannes in Schutteren, & Gerardus in Alperspach monasteriorum Ordinis nostri abbates monachos reformatos adduxerunt secum ex Spanheim unum, ex S. Iacobo Moguntiæ duos, & ex S. Ioanne Ringaugiensi similiter duos, ex Hirsaugia duos, ex Selgenstatt duos, ex Alperspach duos.* Narrat porro Trithemius, quomodo abbas Conradus de Mülheim, qui an. 1500. Beato de Schawenburg successerat, arcani consilii certior factus, arrepta Argentinam fuga abbates reformatores eluserit, ex Schutteren cum suis monachis, quos adduxerant, ad sua reversos. Unitum tamen non ita multo post fuit, ex sententia Miræi, hoc monasterium Congregationi Bursfeldensi an. 1505. quo, memorante Gallia christiana, Conradus abb. a suis captus est, & in carcerem retrusus, mortuus an. 1507. ingratus suis canonicis, ut vocantur monachi Gengenbacenses; passimque referunt scriptores ac ipsum chronicon Gengenbacense apud Lunigium a monacho Gengenbacensi scriptum a), Philippum de Eselsberg Conradi successorem statuisse ex suo monasterio, aliorum quorumdam exemplo provocatum, canonicorum collegium constituere, in quem finem magnis sumtibus ter Romam profectum a sede apostolica hac in re licentiam & bullam obtinuisse, quæ hodie in archivio monasterii asservetur; sed resistente Carolo V. Imp. intentionem hanc ad effectum ducere non potuisse.

SECULUM XVI.

In Gengenbach.

Crusius ex Msc. Bruschii refert b) eum ob hanc causam a Wilhelmo comite Furstenbergico, celebri bellatore, monasterii huius advocato, captum

a) *T. III. p. 292.*

b) *P. III. l. IX. c. 16.*

SECULUM XVI.

captum fuisse. Supra ostendimus, quomodo dimidiæ Ortenaviæ præfectura Palatinis erepta ad Furstenbergios pervenerit. Huius præfecturæ subiecti an 1523. *Regimento* Imperii, quod Maximilianus I. Imp. constituerat, contra abbatem Gengenbacensem de iure manus mortuæ obtulerunt libellum, in quo de episcopo Argentoratensi, ad quem altera præfecturæ pars attinebat, & comitibus Furstenbergicis Wilhelmo & Friderico fratribus Wolfgangi filiis, tanquam præfecturæ Ortenaviensis hypothecariis loquuntur apud Schoepflinum in notitia Ortenaviæ. a)

a) *Hist. Bad. T. III. p.* 347.

Hæc sub Philippo abbate acciderunt apud Maximilianum Cæsarem imprimis grato, qui illum invisendi gratia bis Gengenbacum divertit, & aliquamdiu hic permansit, uti habet laudatum chronicon monachi Gengenbac. ubi dicitur, fuisse eum valde prudentem, & litteratum, sed infelicem œconomum, a teneris annis litteris operam dedisse & in iis egregie profecisse, quum adolevisset, hoc monasterium accessisse, & fratribus Ordinis sese adiunxisse, qui quum eruditione ac prudentia reliquos superaret, omnium votis huius loci abbatem electum. Addit Pantaleon de viris illustribus Germaniæ, Philippum locum multis ædificiis exornasse, atque imprimis ut litteris iuventus operam daret, instituisse; quumque hoc modo per viginti quatuor annos præfuisset, senem tandem die Ioannis Baptistæ anno salutis 1531. obiisse, qui annus etiam in necrologio Gengenbac. notatur.

Apud Lunigium Melchior nobilis heros ab Horneck ei successor substituitur, huicque an. 1540. defuncto Fridericus a Keppenbach nobilis Brisgoius, qui scholam monasterii per aliquot secula clausam denuo aperuit, & iuventutem bonis litteris educandam docto præceptori Cornelio Eselspergero commendavit. Nihil hic de eo, quod Crusius notat b), captum fuisse an. 1540. abbatem hunc a Wilhelmo Furstenbergico comite in bello Smalcaldico; sed brevi rursus dimissum. Memoratu dignum est elogium, quod huic abbati laudatus Cornelius Eselspergerus eidem familiaris huius loci pastor & archipresbyter capituli ruralis Offenburgensis propria manu scriptum post eius mortem, quæ accidit an. 1555. reliquit eiuscemodi: *Fridericus rebus humanis peste exemtus, ad Christum commigravit, ut pie credo. Tanta siquidem continentia fuit, ut non ieiuniis tantum, sed virgis etiam & ciliciis carnem castigaret, lecto rarius utens, sed stramine cilicino panno strato: ad secundam noctis horam surgens, orationibus & matutinis Laudibus persolvendis intentus primus semper & novissimus in templo, eleemosynis largus, verbis, vestitu & animo perquam humilis, laboris patiens, luxus omnis infensissimus hostis.*

b) *p.* 661.

hostis. Utinam nos eius discipuli, vel in aliquo saltem eius æmularemur, & assequeremur pietatem. Pridie quam vitam clauderet, matutinis etiam interfuit, non sine gravissimo dolore; nec in lecto iacens, sed cilicino indusio indutus sedens, obdormivit in Domino, peste postmodum gravius etiam monasterium adhuc vexante.

In necrol. Gengenbac. XV. K. Ian. notatur *Venerabilis D. Cornelius Efelsberger pastor huius oppidi an.* 1571. In alio necrol. an. 1593. scripto dicitur *vir doctissimus & fidei catholicæ apud Gengenbacenses restaurator pientissimus.* Gengenbacensi in oppido novum evangelium locum habuisse palam faciunt Rottwilenses profugi ob abiuratam avitam religionem Gengenbaci multo plures suscepti, quam in aliis oppidis Protestantium.

Laudat abbatem Fridericum & eius encomiasten Cornelium Efelberger iam citatus Pantaleon de viris illustribus Germaniæ, imprimis vero Friderici abbatis successorem Gisbertum: *Tot*, inquit, *& tantis virtutibus est præditus, ut finitimi abbates eum plurimum diligant, atque omnibus exteris prædicent. Humanitatem quidem eius ipse in mea peregrinatione* 1565. *expertus sum, dum monasterii antiqua monimenta benigne ostendit, atque de rebus variis doctissime contulit.* Iam extulerat felix eiusdem ingenium, bonis litteris a puero in oppido Maurimonasterii deditum, posteaque Argentinæ omni genere disciplinarum excultum, quæ studia monachus postea in memorato monasterio prosecutus est. Eum chronicon monachi Gengenbacensis ex Præposito S. Quirini abbatem factum primum fuisse Maurimonasteriensem scribit, Pantaleon vero in monasterio Altorfensi an. 1554. In eo uterque convenit, eum biennio post omnium voto abbatem Gengenbacensem fuisse electum, primum ex genere non nobili, *licet hactenus nulli extra nobilitatem prognati ad eam dignitatem pervenire potuissent*, sunt verba Pantaleonis, *cum monasterium istud imperiale censeatur. Itaque*, pergit, *Gisbertus suam functionem considerans, monasterium passim suis ædificiis ruinas minitans magnis sumptibus restaurari, atque ut omnia passim recte fierent, curavit. Ne etiam amœnum eum locum otiosis hominibus præparasset, diligenter iuventutem ad bonas litteras perdiscendas incitavit, atque suo exemplo libris inhærendum admonuit. Itaque scholam publicam ad monasterium ædificavit, atque viros doctos liberalibus stipendiis ad se pellexit, id quod veteres abbates in frequenti usu habuere.* Obiit an. 1586. in Maurimonasterio eiusdem simul ac Gengenbacensis monasterii abbas iuxta chronicon Gengenbacense, successorem nactus Io. Ludovicum Sorgium Friburgensem, qui præfuit bene & laudabiliter annis 19. religiosæ disciplinæ promotor zelosissimus, & monasterii iurium conservator strenuus, mortuus 1605.

XXIII.

SECULUM: XVI.

Ettenheim-munster.

XXIII. Laudatum Gisbertum unacum Gengenbacensi Maurimonasterium, non Altorfense, ad mortem usque rexisse, inde palam fit, quod Altorffii an. 1578. Laurentius ante sacerdos secularis monachum professus simul & abbas electus sit agente Ioanne IV. episcopo Argentoratensi: perinde ac idem episcopus egit, ut idem Laurentius an. 1582. postularetur abbas monasterii Ettenheimensis, qui utrumque monasterium optime rexit, mortuus an. 1592. Altorffii.

Ipso anno seculari 1500. Ettenhemii cognominis Laurentius Effinger Villinganus est electus abbas, vir egregie doctus ac rei familiaris gerendæ gnaviter peritus. Sub hoc abbate an. 1504. Brisgoia & Ortenavia, quas an. 1486. Philippus Palatinus sibi subiugaverat, ut diximus, libertati restitutis Maximilianus I. advocatiam monasterii Ettenheimensis sibi & imperio sub annua pensione 50. fl. reservavit, Laurentio hoc simul & Conrado Schutterano sociis in persecutione comitum de Geroldseck ipsismet ad comitia Augustana properantibus. Sed omnem moverunt lapidem comites de Geroldseck ad suam recuperandam dynastiam, quam & tanquam feudum Austriacum obtinuerunt an. 1518. unaque advocatias monasteriorum Schuttern & Ettenheim. Quas ut habuerunt, mox iterum furere cœperunt, subditos ad homagium cogendo, & omnia fere regalia sibi asciscendo: quapropter comes Gandolfus an. 1520. a Carolo V. sub proscriptionis pœna citatus ad aulam, omnia in pristinum statum restituere est compulsus. Accessit his calamitatibus avitæ religionis conquassatio, qua ne obruerentur subditi, scripto & exemplo nihil non egit Laurentius abbas, bello etiam rustico admodum cum suis afflictus.

Sub hoc abbate an. 1524. Carolus Riegker postulatus est ex Ettenheimmunster abbas Maurimonasterii in Alsatia, quod ille an. 1525. a rusticis vastatum iterum præclare restituit, & in rebelles piissimus, multos e carcere liberavit, teste Bucel. a)

Laurentius Ettenheimense monasterium reditibus auxit, apud suos commendatissimus, tantum quod an. 1535. executionem iurisdictionis tradiderit episcopo Argentoratensi: dum iam, qui interfuit an. 1500. commissarius episcopalis electioni Laurentii, Münchwyranis homagium detrectantibus, arbiter electus, ansam arripuit, suo domino episcopo iurisdictionem territorialem attribuendi, quod paullatim variis contractibus accrevit ius etiam sub Quirino, qui Laurentio an. 1544. in abbatia successit, ipseque ab Erasmo episcopo Argentoratensi petiit, ut appellationes apud suum regimen accipere velit, eoquod iudicium camerale longius dissitum esset.

a) *P. III. German. sacr. p. 229.*

Iussus

Iussus est hic abbas a memorato episcopo an. 1551. uti & alii abbates ab aliis episcopis, prosecutioni concilii Tridentini adesse; an autem eo accesserit, nescitur; obiit an. 1558. eique successit Ioannes Volmar ex vicario ecclesiæ Endinganæ: mox vero iterum altero anno abdicavit regimen, ad quod postulatus est Balthasar Imbser ex Priore monasterii Gengenbacensis abbas Ettenheimensis electus an. 1560. consensum præbente Erasmo episcopo.

Seculum XVI.

Multæ huic abbati lites intercessere cum Ettenheimensibus, longe gravissima vero a Geroldseckiis, dum vixit, fuit perpessus. Gangolfi quippe, de quo modo diximus, filius Quirinus Gangolfus, quum copias in auxilium principis Condæi in Galliam duceret an. 1569. pro mille militibus in monasterio diribitorium instituit, qui omnia consumserunt, rapueruntque. Tutores Iacobi comitis, qui fuit Quirini filius, ulterius progressi, subditos ab omni obedientia abbatis abstrahebant, iusque omne dicebant, gravissimis pœnis in levissimas quasque culpas animadvertentes: frustra fiebant querelæ, conventiones & contractus novi initi, ultimusque stirpis Geroldseckianæ Iacobus, contemtis omnibus monitis, episcopo palam declaravit, advocatia se non ab episcopo, sed imperio esse investitum, res monasterii non ad monasterium, sed ad se proprie pertinere: nec nisi cum morte comitis lis apud iudicium Spirense intenta cessavit, qui quum mascula careret prole, advocatia ad episcopum est devoluta ea tamen conditione, ne alteri in feudum concederetur, sed penes episcopatum remaneat.

Res ea ad finem sec. XVI. interregni causa fuit, dum iuxta supra relata inter Lotharingum & Brandenburgum de episcopatu fieret contentio, hic vero rerum potitus Io. Casparum Bruner, qui antea e Gengenbaco in abbatem Schwarzachii postulatus, sed ob licentiam vitæ a Ioanne episc. depositus fuerat, abbatem obtruderet, invitis & protestationem legalem per notarium interponentibus capitularibus, potiusque exilium passis in Riegel ad sequens usque seculum.

XXIV. Iam supra memoravimus, furorem rusticorum Nigrasilvanorum, monasterium S. Trudperti expilantium, quod non semel accidit: ac calamitatem etiam eiusmodi iam Ægidius abbas sustinuisset, qui Othmaro Arnold an. 1505. successit, siquidem munus abbatiale is ex sententia Keraslithi & Bucelini ad annum usque 1520. tenuisset ad fidem cuiusdam necrologii quidem; nihilominus sodales Trudpertini tenent ex domesticis monumentis iam an. 1512. abbatem fuisse Martinum Geyer, omnia perpessum, quæ mala intulerunt monasterio tum rustici cum etiam

Monasterium S. Trudperti.

SECULUM XVI.

Lutheri asseclæ, omnia susque deque vertentes, iterato in cineres redacto monasterio. Hic in actis San-Trudpertinis postremum an. 1526. occurrit.

Eo tempore Prior erat monasterii, postea administratorem agens, an. 1529. in abbatem electus Martinus Löffler, qui monasterio multa dexteritate commendatus præfuit usque ad an. 1543.

Post eum Melchior Rebstock multum profuit monasterio, plus autem nocuit, dum sua morte monasterium viduavit an. 1565. successore Georgio Helle: sub quo iterato visitationem monasterii S. Trudperti instituere iussus est a Ferdinando archiduce & Marco Sittico ep. Constant. Casparus II. abbas S. Blasii, unacum Christophoro Petri Domus abbate eo etiam effectu, ne Iesuitis, qui inhiabant, cederet locus.

Visitatores isti cum rebus bene perpensis & discussis utile iudicarent monasterio, si Georgius sua se abdicaret dignitate, id quidem facile ab eo impetrarunt an. 1573. Aderant tunc temporis non nisi quatuor sacerdotes, & fratres professi duo, qui uno ore in prædictos abbates compromiserunt, ut is abbas esset, quem ipsi idoneum censerent, aut alio evocatum ipsis præficerent. Abbas igitur renunciatus e S. Biasio Iacobus Wattendinger rem restituit.

Monasterium S. Blasii.

XXV. Recensebimus mox alios ad alia monasteria postulatos abbates sec. XVI. ex monasterio S. Blasii, cui ab an. 1493. laudabilissime Georgius abbas præfuit charissimus, ut chartæ docent, Raymundo Cardinali Gurcensi, per Germaniam & alia regna nationesque septentrionales legato apostolico a latere, qui eum etiam vocavit ad elevationem corporum SS. virginum Chunigundæ, Mechtundæ, Wibrandæ, Chrischonæ seu Christianæ in Eichsel, quas Wion & Bucelinus Benedictinis adscribunt coniectura tantum, ut non negamus Bollandistis, qui ipsimet coniiciunt, ibi Prioratum quemdam fuisse sub abbate S. Galli. In charta Geograph. Gall. christ. a) haud procul a S. Blasio notatur *Altorfium* O. S. B. abbatia, quæ desierit. In commentario ipso nulla huius abbatiæ fit mentio. Situs tamen vicum *Eichsel*, ubi hæc SS. Virginum corpora inventa sunt, satis prodere videtur.

a) *T. V. p.* 430.

De quibus Raymundus Card. Basileæ agens, cum plura miracula edi ad earum sacra Lipsana perciperet, ut ad an. 1503. apud Trithemium in chronico Hirsaug. & Nicolaum Baselium monachum Hirsaug. in additione ad Naucleri chronogr. generat. b) pluribus enarratur, misit primum in Eichsel vicum prope Rhenofeldam unum a secretis Iacobum Bamberg;

b) *L. I. T. II. p.* 594.

berg; tum vero ipſe acceſſit Card. Raymundus, proceſſumque inſtituit ſuper vita, cultu & miraculis earum, quibus rite probatis earumdem translationem celebravit, ut ex actis apud Bolland. ad diem XVI. Iunii legere eſt a). Aderant ſimul ad proceſſum formandum inquiſitionemque legalem faciendam unacum Raymundo Card. Bernardus Oegli decretorum doctor canonicus eccleſiæ cathedralis, officialisque curiæ epiſcopalis Baſileenſis, Ioannes Bergman de *Olpe* archidiaconus eccleſiæ Grandisvallenſis, Baſileenſis diœceſis, Ioannes Hammannus ſacræ theologiæ profeſſor Ord. Prædicat. Wolfgangus Pœckli utriusque iuris doctor ac Franciſcus Wiler prædicator Ordinis Fratrum minorum civitatis Baſileenſis. Dum vero poſtea die Mercurii 29. May omnia iterum recognoſcuntur tam in Eichſel, ubi requieverunt Cunigunde, Mechtunde & Wibrande, quam etiam apud eccleſiam S. Chriſtianæ in monte, aderant ſimul Tilmannus epiſcopus Tripolitanus Chriſtophori epiſcopi Baſileenſis vicarius in pontificalibus, nec non Ioannes Kreutzer Præpoſitus eccleſiæ cathedralis Conſtantienſis ab Hugone ep. Conſtant. miſſus ad hunc actum: ad ipſam vero elevationem corporum aderat ipſemet Chriſtophorus ep. Baſileenſis, Tilmannus eius vicarius in pontificalibus generalis unaque Georgius abbas noſter S. Blaſii Ord. S. Bened. & Theobaldus abbas de Luzella Ord. Ciſterc. tam in Eichſel quam etiam in eccleſia S. Chriſtianæ in monte præſentes. Edimusque inter alias Raymundi Card. Gurcenſis chartam huius rei teſtem, reliquiarum item earumdem ſanctarum, quas monaſterio S. Blaſii donavit an. 1504.

SECULUM XVI.

a) *T. III. Iunii p.* 114.

Hæc Georgio abbati tunc eo gratius accidebant, quippe qui ad S. Blaſium abbas eccleſiam magnifice ornavit, inſigni etiam organo, bibliothecam vero omnibus, qui comparari poterant, inſtruxit libris ex primitiis typographicis ſec. XV. quæ omnia non ita multo poſt ruſticorum furor peſſumdedit.

Ante hæc vero an. 1518. dum præpoſitura in Clingnau igne conflagravit, adſuntque ex oppidis Clingnau, Zurzach, Waldshut auxiliatrices civium manus, tredecim ex illis viri ruente concamerata perierunt, quod maxime & tunc lugebatur, & hactenus ideo quotannis dies anniverſaria ritu catholico magno vicinorum concurſu agitur.

Ad huius abbatis tempora referimus chronicon anonymi San-Blaſiani ut cenſemus, a Schannato ſub nomine *chronicon ducum Wirtembergiæ* in Vindemiis litterariis collect. II. editum, ad an. 1514. progreſſum.

Infeliciſſimum auſpicatus ſtatim eſt regimen Georgii ſucceſſor Ioannes III. abbas electus an. 1519. dum lues graſſabatur. Acceſſerunt mo-

SECULUM XVI. tus & turbæ Zwinglianæ & Lutheranæ quaquaversum monasterium & Nigram silvam. Imprimis autem Alpegoviam nostram rebelles rustici, pessime habuerunt incentore Balthasaro Hubmeiero, ut iam meminimus, qui se Waldishuti pastorem primo Lutheranæ sectæ, deinde Anabaptisticæ gessit, inductus a Conrado Grebel eius sectæ in oppido S. Gallensi instauratore, ut in collect. Simleriana legere est. a)

a) *Erst. Band p. 126.*

Classicum porro in vicinia canente Munzero contra potestates seculi, dum Waldishutani fidem Austriacis principibus denegarunt, an. 1524. animati Lupfenses, Kleggovienses, Hauensteinenses aliique assumtis armis dominis suis bellum indixerunt, in monasteria imprimis rebelles. Primum calendis May an. 1525. sexcenti Hauensteinenses monasterium S. Blasii obruerunt, cum paucis ante diebus (archivio quidem iam feliciter in Helvetiam translato) Waldishutanis ecclesiæ ornamenta sacraque Lipsana in manus incidissent. Inter cætera omnia, quæ Hauensteinenses in monasterio pessumdederunt, sex integris diebus prædæ insidentes, omnia vel abligurientes vel diripientes, abducentesque, bibliothecæ potissimum membranæ & codices lugebantur, ut teste chronographo coævo Andrea Letsch post eorum discessum ad genua usque dilaceratorum codicum fragmentis inambulare licuerit. Adveniente postea milite, cæsisque undequaque rebellibus, fidelitatis iuramentum monasterio dixerunt 13. Nov. eiusdem anni coram commissariis Cæsareis Christophoro Fux de Fuxberg, Eiteleckio de Reischach, Adamo de Homburg & Iac. de Heidegg, in certam pecuniæ summam pro illato damno condemnati. Conditiones, quibus in gratiam tunc sunt recepti rebelles, Urstisius in chron. Basileensi describit b).

b) *Lib. VII. c. 16.*

Pacem itaque se invenisse arbitratus Ioannes abbas, qui Basileæ latuerat, dum sub finem mensis Decembris domum redire statuit, ac primus iterum Waldishuti ritu catholico solemne in natali Domini sacrum fecerat, sequenti an. 1526. post Dominicam *Quasi modo* substrato pulvere pyrio circa horam nonam monasterium unius horæ spacio in cineres resedit. Migrandum proin fuit in alia monasteria. Nam & Durlacenses, & Wirtembergenses cellas & præposituras, Waldishutani castrum Guttenburg, Hauensteinenses Tottmosium & Novam cellam elapso iam anno deprædarunt; nec Berovienses subditi a rapinis abstinuerunt, sola cella Wislikoviensi in Helvetia salva. Accessit iterum lues, quibus novem monachi sunt abrepti, quorum nomina citatus Letschius recenset: mœrore vero & inopia consumtus Ioannes III. abbas defunctus est anno 1532.

Suc-

Successit Gallus, qui an. 1537. restitutis ædificiis, conventuales suos quotquot mors reliquerat, festiva celebritate reduxit in cœnobium ad unum omnes, nullo penitus ad castra novarum sectarum deficiente. Nova deinde ædificia adiecit, qui Gallo abbati (post Ioannem IV. aliquot tantum mensibus clavum tenentem) successit, Casparus I. abbas an. 1541. multo tamen magis de ædificio spirituali disciplinæ monasticæ ipsiusque religionis catholicæ conservandæ fuit sollicitus, per se suosque in exterioribus præcipue cellis, parochiis & præposituris, ubi avitæ religionis sustinendæ causa etiam carceribus (ac si mandatis principis obsisterent) mancipati, ac demum etiam expulsi alicubi sunt San-Blasiani.

Præter constitutiones monasticas tam pro conventualibus quam expositis, apud quos identidem visitationes instituit, pro scholis monasterialibus multa egregie constituit, quibus demum res eo devenit, ut missis ludimoderatoribus clericis secularibus, religiosi etiam in humanioribus litteris præceptores substituerentur, quales quidem prius iam erant in theologicis disciplinis professores ex monachis assumti, veluti Andreas Letsch ludimagister chronicon suum ab an. 1519. usque 1530. dedicavit *monastico fratri Iodoco Lew formali Patri, Professori theologiæ assiduo, ac ecclesiæ Stephanianæ apud S. Blasium rectori*:

Ipse nobis Casparus I. abbas insigne opus librum Originum reliquit, cui P. Io. Strölinus scriptor vitæ, atque cum P. Casparo Thoma in abbatia postea successore an. 1567. ad synodum Constant. delegatus hoc epigramma addidit:

Hæc tua magnificas monumenta ferantur per urbes,
Ne pereat turpi candida fama situ.
Omnia nunc uno clauduntur opuscula libro
Singula quæ variis sparsa fuere locis.
At tam frugiferos gratissima dona labores
Debetur tanto gratia magna viro.

Eiusdem commatis est epigramma, quo eumdem abbatem suum celebravit P. Melchior Kretterus, qui (quum dispersi post incendium conventuales postliminio convenissent) chori harmoniam ad pristinum decorem reduxit, iuvenesque monachos non cantu solum, sed etiam eruditione sacra tam ad confutandos errores hæresesque, quam fideles erudiendos imbuit, ipse tali perfunctus labore, in Schluchse mortuus & sepultus an. 1563. cum sequenti ad suam effigiem lapidi incisam hodieque conspicuam epitaphio:

 Lustra

SECULUM XVI.

Lustra ubi ter centum pariter bis senaque lapsa,
Insuper anni & tres, Frater ad astra petit
Melchior Kretterus Blasianæ fortis alumnus
Musica post votum scita pie recolens.
Et docuit ritus puerorum animos bene sacros,
Sanctus ut ordo monet, quosque decora iubent.
Ergo agite o fratres, titulum cum cernitis istum,
Fidenti ex animo fundite sæpe preces,
Sidereas uti eum, sic olim quoque vos ut in arces
Excipiat clemens, almus & omnipotens.

Dum vero contagiosa lues anno sequenti 1564. ita quidem ingrueret, ut nullus esset tutus ad habitandum locus, iuniores nihilominus per exteriores cellas & præposituras dividendos existimavit Casparus abbas, ipse per loca subinde aerem mutans, fato demum succumbens an. 1571. successorem habuit cognominem, quem abbas penes se semper habuit laborum socium familiarem Casparum II. a tenera infantia apud D. Blasium educatum, quippe iam anno ætatis undecimo professum, & 18. sacerdotem factum ante concilium Tridentinum nempe, quo annus decimus sextus saltem inchoatus fixus fuit pro professione religiosa, & vigesimus quintus pro sacerdotio.

Casparus II. constitutiones monasticas ab antecessoribus suis separatim editas iuxta concilii Tridentini, & synodi Constantiensis decreta (cui aderat ipse nomine sui præcessoris) S. Regulam, & ritus patrios primus omnium in unum volumen collegit, etiam peculiariter pro monialibus Berovienſibus, quas congregationi San-Blasianæ solas reliquit nova irreligiositas ex cellis monialium, paucis etiam monachorum, seu præposituris potius, quas aliasque expposituras ipse obiens visitavit, severus statuendo corrigendoque ea omnia, quæ ad cultum divinum, monasticum, modestiæque religiosæ attinent leges. Extat in prodromo monument. Guelf. P. Gerardi Hess Nuncii apostol. apud Helvetos & vicinam etiam Nigram silvam comitis de Portia ad Georgium abbatem Weingartensem epistola a), an. 1594. qua negotii visitationis & reformationis monasterii S. Blasii prosperum significat successum; petit vero ab eo religiosum in regula S. Bened. perfecte edoctum: quod etiam ipse Casparus abbas in mox adiecta apud P. Hess epistola agit b): *ut*, ait, *quia unius & eiusdem Ordinis & Regulæ sumus, unius & eiusdem Breviarii, Missalis ceremoniæ, disciplinæ regularis simus, ita ut, si casu aliquis e nostris vel vestris conventualibus ad nostrum vel vestrum vel alia monasteria*

a) p. 309.
b) p. 310.

ſteria divertat, quivis ſacræ Regulæ & diſciplinæ D. P. N. Benedicti facilius hoc accommodari queat. Sequuntur reſponſoriæ Georgii Weingart. iteratæque Caſpari San-Blaſ. abbatis litteræ, qua bonum inſtructorem mittendum rogat; talem vero F. Georgium Ruffelman eo miſſum fore reverſurum: quod poſt trimeſtre factum eſſe litteræ Georgii abbatis indicant; viciſſim vero P. Andream Wieland & Ioannem Rieber e Vineis ad S. Blaſium miſſos revocatos rediiſſe teſtantur litteræ Caſpari abbatis, qui, ut intelleximus, nihil inexpertum reliquit ac intentatum ad diſciplinam regularem, cultumque divinum informandum. SECULUM XVI.

Pietati vero iungens litteras, nihil non egit ad iuniores in litteris imbuendos, cæteros vero nutriendos apparatu optimorum librorum, quos undique ingenti pretio comparavit, iisque conſervandis novam conſtruxit bibliothecam. Eccleſiæ decorem mirifice coluit, atque ad celebritatem officii divini celebre Organum ab Euſebio Amerbachio, qui iam inſigne in cathedrali eccleſia Auguſtana & cœnobio SS. Udalrici & Afræ perfecerat, fieri curavit, ſuppellectilem item eccleſiæ & vaſa ſacra ex auro & argento, imo margaritis; ſollicitus nec non œconomus laquearia monaſterii plena reliquit, mortuus an. 1596. Martinum ſucceſſorem nactus, de quo libro ſequenti.

XXVI. Vel inde vero, quantum abbates S. Blaſii ſec. XVI. elaboraverint in elapſis penitus furore ruſtico rebus reſtituendis, priſtinoque monaſterium & congregationem San-Blaſianam reſtituendo flori, eluceſcit, quod plures aliis quoque monaſteriis potuerit dare optimos quosque præſules, perinde ac inſignis S. Blaſii filia florentiſſimum ſec. XVI. Ochſenhuſium, ex quo in templo honoris monaſterii Wiblingenſis celebratur his verbis Iodocus Todt: a) *a prima ſpirituali & perſonali fundatione, quam S. Blaſio in acceptis grataнter referimus, tot inter abbates, aliunde, nempe Ochſenhuſio poſtulatus, abbas primus & unicus vir ſane præſtantiſſimus, & œconomus ſolertiſſimus an.* 1572. Poſtulati e S. Blaſio ad alia monaſteria abbates. a) p. 81.

E S. Blaſii monaſterio, dum morbo inſanabili decumberet Chriſtianus abbas Mariæmontani cœnobii in Tyroli ad alpes Rhætias, volente Ferdinando archiduce dicaſterium Oenipontanum an. 1561. virum expetiit a Caſparo II. abbate, qui prædicto abbati defuncto poſſet ſubrogari. San-Blaſiani ab abbate convocati per viam ſcrutinii electum a ſe propoſuerunt P. Philippum God, quem Mariæmontani porrecto poſt mortem Chriſtiani abbatis abbati Caſparo libello expetierunt, ambabus amplexi ulnis munus adeuntem, mortuumque hoc ornarunt epitaphio: *Hac tumba marmorea gloriatur venerandus D. Philippus God Lauſenburgenſis*

abbas

SECULUM XVI. *abbas postulatus ex cœnobio S. Blasii, Pontificalibus decorus, qui religione cernitur. Is opibus monasterium auxit, athleta, Dominus præpotentes adversarios vicit. Anima Deo laudes promat. Fiat anno 1571. Iulii 12.*

Iam memoravimus an. 1572. datum esse monasterio S. Trudperti abbatem Iacobum Wattinger, quem San-Trudpertiani hoc ornarunt elogio: *Iacobus e S. Blasii asceterio postulatus in reparando monasterio, iuribusque eius tutandis, in restituenda regulari disciplina, & instituendo pro religiosis tyronibus litterarum studio præstantissimam æque ac utilissimam operam impendit.* Id quidem evocatis e D. Blasii ad alia monasteria præsulibus semper maxime cordi fuit, ut post stabilitam disciplinam simul bonarum litterarum studia inducerent, gnari, hoc fulcro disciplinam firmam agere radicem. Iussu Iacobi abbatis *apographicum* chronicon S. Trudperti Wolfgango Theoderico archiep. Salisburg. inscriptum an. 1590. publicis typis edidit Ioannes Keraslithus (Hornstein) presbyter Acronianus, quem scholæ S. Trudperti, donec e suis idoneos haberet, præfecit Iacobus abbas, a suis post mortem an. 1594. celebratus, binas annorum decades bene rexisse & ultra, sancta doctrina, religione pari.

Nimis vero brevis fuit vita Cosmanni Zinck, qui ex monacho S. Blasii ad Mariæmontanum alter iam postulatus abbas an. 1578. fuit. Is quum non nisi duos presbyteros cum aliquot iunioribus fratribus invenisset, virum doctum P. Philippum Frey e S. Blasio magistrum evocavit, qui optime meritus singulari cum encomio ad S. Blasium rediit an. 1582. Cosmannus vero diuturnis confectus morbis obiit an. 1586. Dum ecce non ita multo post an. 1589. iterum in Tyrolim ad monasterium S. Georgii Ordinis nostri Ferdinandus archidux abbatem expeteret P. Ioannem Resch unacum P. Udalrico Lew, qui Prioris & magistri novitiorum munus obiret, accitis etiam aliis subsidiariis ex Schurensi & Ethalensi monasteriis. Sublato morte an. 1590. Udalrico Priore, Ioannes abbas an. 1591. mense Iunio salutares quidem thermas Ethalenses, mortem fugiens, petiit, sed ibi eam etiam mox primo mense Iulio invenit.

Monasterium Hirsaugiense. XXVII. Memoravimus libro superiore Blasii, resignante Georgio, in abbatem Hirsaugiensem electionem ex Trithemio, qui ibidem statim ad an. 1484. commemorat paucis ante mortem eius annis ad finem adeoque sec. XV. vel initium sec. XVI. exortam gravem inter eum & Conventum dissensionem, cuius sopiendæ causa ipse Trithemius non semel cum aliis Bursfeldensis observantiæ abbatibus Hirsaugiæ visitatorem egit, vix tandem tranquillitate restituta. *In omnibus*, addit, *Blasii prudentia*-

dentiam consideravimus malignitatibus temporum, qui passus iniuriam, quasi nesciret, dissimulavit. Missum eum, ad an. 1501. perhibet, nomine viceque Udalrici comitis de Wirtemberg ad funeralia Margarethæ Palatinæ, locum tenuisse in choro & in mensa, sicut moris est, principum. Laudavimus paullo ante Raymundum Gurcensem Cardinalem multis titulis concessisque privilegiis in monasterium S. Blasii beneficum: apud eumdem vero ita fuit monasterium Hirsaugiense gratiosum, ut, teste Trithemio in chron. Hirsaug. ad an. 1502. sine monasterii gravamine suis expensis manserit Hirsaugiæ non minus quatuordecim diebus cum summo honore a Blasio abbate & fratribus susceptus. Ita etiam Elisabetha uxor Eberhardi profugi ducis Wirtembergiæ eodem anno, eodem teste Trithemio, pestilentia sæviente per totam ferme Germaniam, & multos in civitatibus, oppidis, castellis & villis utriusque sexus homines ubique consumente, aerem cupiens ad tempus declinare corruptum, venit cum sua familia præsens ad monasterium Hirsaugiense, mansitque in eo sine gravamine aliquo, propriis in expensis sex mensibus summa quiete, mansuetudine & tranquillitate.

SECULUM XVI.

Fuit his temporibus Ioannes Ethon ex monacho Hirsaugiensi abbas monasterii Engelbergensis in Helvetia, qui in difficillima tempora incidit & periculosissima, quibus sub gravi iugo ingemuit mons Angelorum. Plurimis autem exantlatis laboribus Ioannes requievit in Domino V. Id. Iunii an. 1405. teste Bucelino a).

a) T. III. German. Sac. p. 41.

Anno autem 1503. obiit Blasius abbas, qui quam utiliter præfuerit monasterio, declarat ad h. a. Trithemius electionemque Ioannis, præmisso *iuxta morem Ordinis* triduano ieiunio &c. *Complacuit autem omnibus*, pergit, *per viam compromissi mixto scrutinio ad electionem procedere, propterea quod hic eligendi modus & communior sit & securior. In tres ergo de conventu fratres compromiserunt, seniores viros per omnia maturos, boni testimonii & religiosissimæ conversationis, de quorum integritate nihil fuerat dubitandum, Ioannem videlicet de Rodt Priorem quondam in Reichenbach & in Schönrein, Ioannem quoque Gächinger procuratorem in Gilstein, & Conradum de Rudlingen custodem & Præpositum S. Aurelii trans pontem. His tribus cæteri omnes scrutandi vota singulorum commiserunt officium, sub eo videlicet moderamine conditionis, ut singulorum votis in secreto receptis, & per notarium coram duobus testibus in schedulam signatis illum vice & nomine totius conventus eligerent, nominarent, & publicarent abbatem, qui multitudine votorum excelleret. Quodsi duo vel plures paribus convenirent in votis non ha-*

SECULUM XVI.

bentes in numero superantem, penes commissarios ipsos maneret auctoritas, quem iudicaverint magis idoneum, eligere ac nominare pastorem. Scrutatis igitur per ordinem votis singulorum pars maior numero & potior auctoritate Conventus in abbatem huius monasterii Hirsaugiensis quadragesimum secundum concorditer elegit Ioannem cognomine Hasmannum de Calwe maiorem cellerarium, virum ingenio mitem, placidum & mansuetum, moribus integrum, religiosum & honestum &c. Quæ huius viri decora non solum pluribus deinceps declarat a), verum etiam testimonio doctissimi Nicolai Baselii monachi Hirsaugiensis, sui quondam in monasterio Spanheimensi discipuli, cuius paullo ante additiones ad Naucleri chronographiam laudavimus, corroborat: mox vero, quod hic non omittendum, Conradum Priorem prolixe laudat, *virum in observantia regularis disciplinæ studiosum, cuius adiutorio, ut dextræ manus, non mediocriter relevatus & interiora abbas componit securior, & exteriora maiore tranquillitate dispensat. Magna res est*, pergit, *& singulis quibusque abbatibus multum necessaria, si Priores & Cellerarios habeant bonæ rationis, intelligentes, zelosos, atque fideles, in quorum ministerio secure quiescant. Talis certe est Conradus Prior memoratus religionis monasticæ zelosus amator, custos & conservator in se & fratribus omni tempore studiosus, diligens & integerrimus, in quo abbas secure possit quiescere, utpote qui verbo & exemplo talem se gerit in omnibus, qualem & Regula & observantia nostra Priorem requirit. Andream quoque cellerarium consecutus fidelem, intelligentem, & morum integritate venerabilem, secure interna respicit, quia ministerio eius in exterioribus adiutus in se redire frequentius post occupationes & multas & varias permittitur.*

a) p. 602.

Post hæc demum sæpe laudatus nec unquam satis laudandus Ioannes Trithemius chronicon suum Hirsaugiense anno 1514. Ioannis abbatis undecimo concludit, postremum nomina fratrum *Deo & abbati subiectorum*, ordine, addita singulorum indole & moribus recenset, primo loco Ioannem de Wangen Præpositum in Roth, deinde Henricum de Stamheim Priorem localem in Reichenbach, Casparum de Rotenburgo ad Neccarum Priorem in Schonrein localem. Henricus de Stamheim seu Stammen adhuc an. 1515. invenitur Prior Reichenbacensis.

Inter tot vero, qui in hoc sat amplo Trithemii catalogo monachorum Hirsaugiensi Ioannis nomine insigniuntur, non comparet Ioannes Schulthaiss seu Sculteti, ut apud Crusium nominatur b), qui an. 1524. cognomini II. abbati Hirsaugiensi successit, fueratque ante Prior in Reichenbach, ut revera apud P. Mart. Mack in compendio historiæ & dona-

b) *P. III. lib. X. c. 13.*

donationum Reichenbacensis monasterii ad an. 1522. notatur. Fuit vero Ioannes III. per compromissum electus. Compromissarii fuerunt Ioannes abbas monasterii S. Iacobi extra muros Mogunt. Ioannes abbas monasterii B. Mariæ virg. in Gotsau, Fridericus abbas monasterii montis S. Ioannis in Ringavia, Sebastianus abbas monasterii B. M. V. ad duplicem aquam, & Benedictus Forner licentiatus, ac ecclesiæ collegiatæ in Hornberg Præpositus. Delegatus autem commissarius fuit Georgius de Schwalbach insignis maioris, ac S. Guidonis eccles. Spirens. Præpositus per Georgium episcopum Spirensem ex Palatinis Rheni Ducibusque Bavariæ, cui a Ioanne abb. præstitum iuramentum in cod. probat. edemus.

SECULUM XVI.

Quam vero florenti in statu res monastica sub hoc Ioanne III. abbate Hirsaug. fuerit, inde arguitur, quod Ludovicus II. abbas Einsidlensis e S. Gallo assumtus *post mortem Conradi ex nobilitate ultimi* (qui nullum post se in sacra hac eremo, teste Hartmanno ad an. 1526. monachum reliquerat, postquam Theobaldus e baronibus a Geroldseck Alsata ad Zwinglium defecerat, cum eo in prælio apud Capellam occisus, Henricus vero ex comitibus Saxensibus ob homicidium ad perpetuos carceres damnatus fuerat) *verso*, ut idem Hartmannus ad an. 1531. narrat, *ad restabiliendam monachicam disciplinam animo quatuor bonæ spei adolescentulos in monasterium assumsit, probatosque ac cultu apud S. Gallum usitato cultos ex iis binos in Sueviam ad capiendum ingenii & regularis disciplinæ cultum transmisit, Ochsenhausiam alterum, alterum Hirsaugiam, quibus in monasteriis præcipue adhuc vetera nostri Ordinis constituta conservabantur.* Sic quidem Deo provide ordinante factum est, ut tempore, quo monasterium S. Blasii turbis rusticanis excisum & in cinerem redactum cœnobitas suos hinc inde per extera monasteria lugebat dispersos, S. Blasii filia Ochsenhusia magistra & restauratrix esse posset disciplinæ regularis cum monasterio Hirsaugiensi, ex quo olim Ordo Benedictinus in Germania suo decori fuerat restitutus.

At vero infelicis sec. XVI. processu in Wirtembergia monachi ex ipsis suis monasteriis expulsi sunt etiam Hirsaugienses, abbate quidem Ioanne in suo monasterio remanente. Dumque, ut Crusius ad an. 1548. testatur a), & mox ipsi exempla dabimus, abbates & monachi passim tunc in autumno in suis cœnobiis restituuntur tum alibi cum in Wirtenbergia, Ioannes abbas recepta iam potestate dispersos monachos apud Hirsaugiam recollegit, & novitios adolescentulos recepit. Besoldus in documentis rediv. b) refert conditiones, quibus Ioannes abbas restitutus est; alia item ex quibus constat c), etiam post Passavicam transactio-

a) *P. III. lib. XI. c. 22.*

b) *T. I. p. 381.*

c) *p. 385.*

 nem

SECULUM XVI.

nem an. 1553. eumdem adhuc abbatem in exercitio iurisdictionis fuisse. Edimus in cod. probat. mutuas Philippi ep. Spirensis & abbatum in Hirschau, Maulbrun & Herrenalb epistolas an. 1551. quæ episcopi & abbatum eorumdem ad concilium Tridentinum invitationem attinent excusationemque ob invaletudinem & senium, quæ certe in Ioanne abb. Hirsaugiensi paucis post annis secuta mors probata reddidit. Ioanni successit an. 1556. Ludovicus Welderer Stutgardianus.

Eo ipso tempore institutis scholis apud monasteria Wirtenbergica Henricus Weickersreuter Calvensis ecclesiæ pastor eam ob causam vocatus est Hirsaugiam, postea factus theologiæ doctor & post mortem Ludovici catholici abbatis an. 1560. primus Augustanæ confessionis abbas uxorem habens, ut Crusius attestatur, eique mortuo successit an. 1569. Ioannes Parsimonius (Karg).

Anno 1584. eodem teste Crusio, lapis sepulcralis S. Aurelii ex ecclesia veteris monasterii Hirsaugiæ in ecclesiam novi monasterii iussu ducis est translocatus pone summum altare, ut eius memoria conservetur; in lapidis margine hæc legebatur scriptura: *Anno benignitatis octingentesimo tricesimo almi præsulis Aurelii venerando corpore de Italia translato, est eidem Hirsaugia suscipiendo fundata.* Addi tunc, cum hæc translatio facta est, pro more veteri *Alpha & Omega* potuisset, principium & finis, quem tam funestum & deplorabilem habuit archisterium hoc Hirsaugiense, tot aliorum monasteriorum mater, reformatrix & accommodatrix ultimo adhuc, ut ita dicam, suo halitu, ut modo de sacra Eremo audivimus.

Apud Bucelinum memoratur a) Io. Pistorius Alperspacensis patria monachus Hirsaugiensis, & post sui monasterii a duce Wirtembergiæ occupationem Maurimonasterii in Alsatia ascita, ac dein Prior atque abbas, qui plurimis ædificiis locum auxit & ornavit, post Carolum Rieker postulatum ex Ettenheimmunster, qui vastatum an. 1525. a rusticis monasterium restituit. Galliæ christ. auctores Ioannem an. 1561. in archiviis episc. Metensis notarunt, mortuum an. 1567.

a) *P. II. German. Sacr. p. 229.*

Perhibet Trithemius in suo chron. Hirsaug. ad an. 1512. Wilhelmum episcopum Argentinensem vocatum ad se Ioannem abbatem instantius rogasse, *ut per Hirsaugienses* Maurimonasterium *reformaretur. Est autem*, pergit Trithemius, *Maurimonasterium de fundatione antiqua, quod olim Hirsaugienses, ut longe supra diximus, semel reformaverunt, sed malitia temporum, & negligentia prælatorum successive in tantam miseriam & desolationem pervenit, quod neque hodie abbatem habet,*

neque

neque monachum ullum, sed per hominem possidetur & regitur secularem: are gravatur alieno plusquam in sex millibus florenorum: cuncta ædificia sunt ruinosa, & iam magna ex parte collapsa. His visis & auditis Ioannes abbas oblatum sibi monasterium tantis debitis involutum suscipere timuit, quod reformare sine detrimento monasterii proprii se haud posse perspexit, unde pontifici, ut aliunde loco provideret, consuluit, & honesto excusationis obiecto velamine discessit. Seculum XVI.

XXVIII. Potuit etiam absterrere Ioannem abbatem Hirsaugiensem, ne in se susciperet Maurimonasterium, quod tantum negotii Hirsaugiæ facesserent eiusdem cellæ antiquæ Reichenbach, Roth & Schönrein. Extat charta, qua supra memoratus Cardinalis Raymundus Gurcensis an. 1502. Hirsaugiæ præsens simul etiam cellas has congregationis Hirsaugicæ a censuris absolvit, quas forte incurrissent, quod præteritis temporibus decimas sine auctoritate apostolica a laicis, qui illas tamen ab immemoriali tempore possederunt, emissent. Erat tunc Prior in Reichenbach ad an. 1514. Ioannes Widel. Reichenbach, Roth, Schönrein, Cellæ Hirsaug.

Priores & Præpositos harum cellarum ex gremio Hirsaugiensi paullo ante ex Trithemio notavimus, ac præterea Ioannem Schulthaiss ex Priore Reichenbacensi electum abbatem Hirsaugiensem an. 1524. ante quem Bucelinus in Germania sacra nominat Ioannem Tubinger designatum Priorem an. 1524. a) post Ioannem Schulthaiss Georgium Fabri an. 1527., qui re pessime gesta defecerit, & Dietericum Romanæ ecclesiæ renunciantem, paullo post a coco monasterii mactatum. Georgius Fabri memoratur ratiocinia sua abbati Hirsaugiensi deposuisse an. 1524. usque 1526. Prior usque ad an. 1528. quo ei Iacobus de Alperspach substitutus legitur, qui in catalogo monachorum Hirsaugiensium supra memorato occurrit. Eo tunc in statu fuit monasterium Reichenbacense, ut res suas reditusque emtionibus augere potuerit, ut si numerata pecunia non statim adfuerit, tamen prudenti œconomia accreverit ad debitis eximenda seu recuperanda noviter acquisita: veluti an. 1529. recuperata fuit villa in Niderachen, plures ante annos empta a Georgio de Schauenburg, & Catharina de Sickingen eius uxore. Ab anno 1550. occurrit Valentinus Prior in rebus tum cum abbatibus Hirsaugiensibus tractatis, cum potissimum in controversia finium & advocatia huius monasterii inter duces Wirtembergiæ, marchiones Badenses & comites de Eberstein, quæ neque ab initio huius seculi effervescere cœpit, neque ad finem deferbuit, etsi an. 1557. transactum fuerit inter Christophorum Wirtembergiæ ducem, Philibertum marchionem Badensem, Wilhelmum comitem de

a) *P. II. p. 75.*

SECULUM XVI.

Eberstein & Valentinum Priorem, uti in cod. diplomat. Hist. Zaringo-Bad. legere est a). Ad finem nihilominus huius seculi post mortem Ludovici ducis an. 1593. Fridericus successor induci se passus est ad occupandum hoc monasterium, quod bellico apparatu an. 1595. excubia nocte fuit invasum, conventualesque æque ac subditi sacramento duci obligati, Priore Ioanne Hygelio iamiam effugato, ut in brevi Reichenbaci historia P. Martini Mack legere est c. 7. Memorat in historia Badensi Schœpflinus, Hygelium Priorem, cœnobio exulem ad Rudolphum II. Imp. confugisse atque ab eo mandatum, quod vocant, an. 1596. die 7. Iunii impetrasse, quo Wirtembergicus intra sex hebdomadas Reichenbacenses in integrum restituere iubetur. Restitutio tamen non est facta.

a) T. VII. p. 111.

Non satis in aprico sunt contentiones, quæ post annum 1581. quo mortuus est Valentinus Wezel, ob successorem in Prioratu tam cum abbate Hirsaugiensi, quam etiam inter ipsos conventuales emerserunt monachos, quibuscum Io. Hygelio non satis conveniebat ex monasterio Schwarzacensi a marchione Badensi illuc misso Priore, postea, quum in quieta possessione degere non posset, Horbam concedente, ubi in instrumento accepti mutui anno 1587. cum curatore bonorum monasterii Ioanne Muller occurrit, in cuius locum ibidem anno 1590. suo & conventus nomine Priorem constituit Georgium Rueck, & an. 1597. Mathiam Eberhardt solo suo nomine, postquam iam aliquot annos effugatus esset Reichenbacho, ut instrumenta produnt. Edimus Rudolphi II. Imp. ad regimen Austriacum Oenipontanum, huius regiminis ad prætorem (Statthalter) Austriacum in Rottenburg litteras, responsorias item purgatorias præfecti & magistratus Horbensis, qui accusati erant, quod contra Reichenbacensem conventum & Priorem Duci Wirtembergico opitularentur, qui iam tunc armata, ut diximus, manu ex Dornstetten monasterium occupaverat, postea tamen monachis exercitium religionis catholicæ vitæque monasticæ indulsit, atque hinc etiam ab Andrea Cardinali Austr. & episc. Constantiensi obtinuerant ineunte an. 1597. reditus ex Hohenbergico comitatu, ut tamen mox mense Martio bona illa, quæ suberant curæ Matthiæ Eberhardt (quem confirmat curatorem in Horb) usibus Io. Hygelii assignet. Post eius mortem an. 1598. electionem liberam novi Prioris a duce Wirtembergico fieri concedendam expetit: quod dum dux negat, bona Reichenbacensia in comitatu Hohenbergensi episcopo Constantiensi cesserunt; dum reliqua ipsumque monasterium dux sibi vindicat.

Alteri fato succubuit sec. XVI. cella seu Prioratus in Schönrein, quod nempe monasterium bello rustico direptum igneque consumtum, quum Hirsau-

Hirsaugiense monasterium paribus calamitatibus accisum restituere se posse desperaret, Philippo comiti de Wineck pro mille florenis obtulit emendum, iamque obtenta fuit bulla approbationis & confirmationis super venditione bonorum huius Prioratus an. 1526. dum episcopus Herbipolensis, in cuius dioecesi situm est monasterium, ad papam melius informandum appellavit anno sequenti; iudex autem delegatus fuit Georgius de Schwalbach Præpositus Spirensis, qui contractum venditionis sistendum an. 1528. decrevit, donec res in iudicio cameræ esset diiudicata.

In catalogo monachorum Hirsaugiensium apud Trithemium nonnulli sunt notati, qui quondam Priores erant in Schönrein, non item Præpositi in Roth dioecesis Augustanæ in Suevia, qui quibus se artibus a subiectione Hirsaugiensi solvere gestierint, vidimus libro superiore; conservavit nihilominus monasterium Hirsaugiense ius Præpositum eligendi & præsentandi, idque electo ex suis Andrea Schöcken, exercuisse legitur an. 1514. Causam abbatis Hirsaugiensis defendit Ulricus dux Wirtembergiæ, conventus vero Rothensis & Wolfgangus comes de Oetingen Præpositum ex numeroso conventu Rothensi eligendum contenderunt Melchiorem de Rothinger, qui quidem re ad summam sedem delata præposituram certis conditonibus retinuit, præsentandus tamen episcopo Augustano ab abbate Hirsaugiensi, qui etiam deinceps præses sit in electione Præpositi, ex gremio tamen Rothensi sumendi, quem abbas Hirsaugiensis Ordinario loci in forma antiqua præsentet. Conventum quoque & decretum, ut Roth Bursfeldensi unioni addictum maneat, adsitque tam annuali, quam provinciali capitulo, nihilominus visitationi correctionique abbatis Hirsaugiensis obnoxium, perinde etiam ad ratiocinia annua reddenda. An. 1555. Melchior Rötinger Præpositus, officium resignaturus, abbati Hirsaugiensi id denunciavit litteris, quas edimus, hicque Valentinum Priorem in Reichenbach ad hunc resignationis, sequentemque electionis Matthiæ Præpositi diem legitime delegavit. Edimus epistolium Io. abbatis Hirsaugiensis ad Matthiam anni 1556.

XXIX. Gottesavia monasterium Ord. S. B. olim Hirsaugiæ filia antequam direptum in bello rustico flammis absumeretur, iam ineunte hoc seculo XVI. aliam habuit catastrophen: dum Iacobus abbas Christophoro marchioni Durlacensi ob terras, silvas, iura quædam Romam ipse profectus an. 1506. litem intendit. Ibi dum aliquot annis moratus, frustra tempus & pecunias consumeret, a suis quod temere litigasset, desertus, ad abbates etiam Schutteranum, Hirsaugiensem & Limpurgensem

Gottesaugia.

SECULUM XVI.

ſem obſervantiæ Burſfeldenſis Roma litteras dedit ad finem anni 1508. quæ apud I. Sachs in hiſt. Bad. leguntur a); ſequenti vero anno quarta decima die menſis Novembris *coram me*, utor verbis Trithemii ad an. 1509. *Ioanne Trithemio abbate ſancti Iacobi Conrado abbate S. proto-martyris Stephani Herbipol. capituli provincialis in hac parte commiſſariis evocatus de Roma per nos ad Peapolim in dicto monaſterio S. Stephani abbatiam ſuam in manus fratrum ſui conventus ex certis cauſis eum moventibus voluntarie reſignavit.*

a) 3. *To. p.* 87.

Notavimus paullo ante Ioannem abbatem Gotteſavienſem inter compromiſſarios a quibus an. 1524. Ioannes III. abbas Hirſaugienſis fuit electus. Apud Schœpflinum in cod. diplomat. Hiſt. Zaringo-Bad. b) fit mentio Brevis apoſtolici, quod Ferdinandus archidux Auſtriæ eodem an. 1524. Erneſto marchioni Badenſi miſit attinens monaſterium Gotteſavienſe, quod anno ſequenti furore ruſtico direptum & igne conſumtum fuit.

b) *T. VII. p.* 60.

In diviſione terrarum Badenſium an. 1533. facta poſt mortem Philippi inter ſuperſtites Chriſtophori marchionis filios Erneſtum & Bernardum, ad illum cum Pforzhemio & Durlaco oppidis, caſtris & præfecturis etiam pervenit advocatia monaſterii Gotteſavienſis. Ibi vero Carolus II. Erneſti filius marchio Durlacenſis ædificium pro ſuis uſibus an. 1553. conſtruxit, eiusque filius Erneſtus Fridericus an. 1589. ampliavit, poſt elapſum ſeculum flammis bellicis abſumtum.

Monaſterium S. Georgii cum ſuis cellis.

XXX. Felix ſec. XVI. auſpicium monaſterium S. Georgii habuit, abbate Georgio I. ab Aſt, qui reformationem in ſuum monaſterium introduxit. An. 1504. tanquam ſtatus & membrum Imperii Francofurtum vocatus a Maximiliano Imp. comparuit. Utinam vero eius ſucceſſores hanc contra duces Wirtembergiæ conſervare potuiſſent prærogativam. Ex ea eius ſucceſſor Eberhardus Belz a Rotenſtein an. 1507. privilegium nundinarum accepit a Maximiliano Imp. Nicolaus vero, qui Eberhardo ſucceſſit an. 1515. a Carolo V. Imp. confirmationem privilegiorum ab anteceſſoribus Henrico V. & Carolo IV. datorum.

Felix fuiſſet monaſterium S. Georgii, ſi Nicolai ſucceſſores perinde horum privilegiorum auctoritate tueri ſe potuiſſent, ac Nicolaus ſarta tecta conſervavit ſui monaſterii, primum contra Villinganorum manus conductas in Ulricum ducem Wirtembergiæ, deinde etiam contra ruſticorum ſeditioſorum furorem, quem ſingulari prudentia, diſcretione & liberalitate compeſcuit. Omnia adhuc proſpere agebantur, dum Nicolaus libera reſignatione abbatiam an. 1530. Ioanni V. cederet, isque anno proximo Spiram, & ſequenti Ratisbonam a Carolo V. ad comitia imperii vocatus adeſſet.

Cum

Cum vero ducatus Wirtembergiæ ab Austriacis occuparetur, Ioannes de Landenberg, qui a Ioanne de Rechberg partem advocatiæ a monasterio redemtam tenuerat, transegit cum Ferdinando R. R. tunc Wirtenbergiæ dominante, circa eam an. 1532., quem Ioannes abbas Studgardiæ cum aliis solemni processione in pontificalibus introduxerat. SECULUM XVI.

Duces, rebus restitutis, hinc etiam ansam arripuerunt, protectionem in ius territoriale convertendi, ita quidem, ut an. 1536. die 6. Ianuarii Ioannes abbas cum suo conventu e monasterio armata manu eiiceretur, quod missum prædicantem Lutheranum non solum suggestu prohibuisset anno superiore, sed etiam omnino exegisset. Restitutus quidem fuit an. 1548. abbas, eiecto prædicante, quo tamen intruso cum scholaribus præterea duodecim heterodoxis, abbas Villingam recessit; ærumnis senioque confectus ibidem, postquam anno præcedente apud S. Georgium iussu ducis festum Corporis Christi, feriæ, ut vocabant, papales &c. essent abrogatæ, est defunctus an. 1566. de suis optime meritus.

Res sub Ioannis successore Nicodemo Leupolt ultra adhuc processit, cui, legitime Villingæ electo, Christophorus dux armata manu Lutheranum prælatum opposuit. Nicodemus vero monasterii sui causam apud cameram imperialem Spirensem, quoad vixit, strenue propugnavit, defunctus an. 1585. ab ipsis heterodoxis ob morum integritatem ac vitæ sanctimoniam summo in pretio habitus. Eius successor Blasius Schonlin electus an. 1585. post decem annos, suscepto Andlavii in Alsatia parochi munere, abbatiam resignavit Michaeli I. Geisser, strenuo iurium monasterii sui propugnatori, ac optimo œconomo. Rhenovii is præsens fuit cum Iodoco abbate Murensi electioni Geroldi I. Zurlauben de Thurn & Gestellemburg.

In cella quoque Rippolzaviensi fuit aliquamdiu ablatus avitus cultus catholicus, institutumque monasticum an. 1540. & sublata bona; sed iterum an. 1549. a Friderico comite de Furstenberg Wilhelmi successore omnia in integrum restituta. Dum an. 1565. Christophorus dux Wirtembergiæ conventum ad diem 13. Maii indixisset, misit eo Ioannes abbas P. Georgium Walhüter Priorem in Rippolzau cum credentialibus suo, non vero conventus sigillo munitis.

Parthenon in Fridenwiler qua occasione seculo hoc XVI. ad Cistercienses transierit cedente Ioanne abbate S. Georgii, dicemus postea. Idem agitabat Fridericus comes de Furstenberg de monasterio Amptenhausen, tunc maxime, quando Iodocus Munch de Rosenberg apostata a

 fide

SECULUM XVI.

fide catholica, præfectus ditionis Furstenbergicæ, & ducis Wirtembergiæ in Hornberg monasterium S. Georgii devastavit. Sed monasterium Amptenhusanum hactenus conservavit Ordinem & subiectionem monasterio S. Georgii, perinde ac parthenon in Urspringen, cui ineunte hoc sec. an. 1506. Eberhardus, exeunte autem Michael I. abbas salutares constitutiones dedit antecessorum suorum exemplo.

De cella in Bickhelsberg nulla occurrit sec. XVI. memoria, tantum de bonis transcriptio quædam ab Eberhardo abbate facta Ulrico Friderico Sartori in Bickelsberg an. 1513. & Barbaræ Themin uxori Stephani Gerings de Bickelsberg: recognitio servitutis data an. 1517. eidem abbati signante Martino Wolf sculteto Rosenfeldensi.

Frequens fuit hoc etiam seculo apud S. Georgium servorum permutatio: veluti an. 1506. Wolfgangus comes de Furstenberg, aulæ regiæ cæsareæ Mareschallus, supremus capitaneus & præfectus Alsatiæ & Mortenaugiæ fecit cambium servorum cum Eberhardo abb. quem patrinum suum & dilectum Dominum vocat. Cum eodem Eberhardo, ut alia passim cum nobilibus facta eiusmodi exempla præteream, similem permutationem fecit an. 1516. Ioan. de Rechberg de Hochenrechberg in Schramberg; quo eodem an. facta est recognitio Rieggerorum familiæ meæ maternæ in Villingen in Spitalhof super iure servitutis, quo tenebantur monasterio S. Georgii.

Id demum grati animi est recognoscere, Ioannem Kern abbatem S. Georgii cum consensu capituli sui ius patronatus in Kleinenkembs tradidisse monasterio S. Blasii, a quo idem nostro ævo iterum cum aliis divenditis bonis postliminio ad monasterium S. Georgii rediit.

Alpirspacense cum cella Kniebus.

XXXI. Ad initium sec. XVI. Gallia christiana a) profert Gerardum abbatem Alpirspacensem, cuius iam libro superiore, & mox supra meminimus ex Trithemii chronico Hirsaug. Destinatus is erat an. 1501. a Philippo comite Palatino & Alberto Argent. episc. cum Ioanne Spanheimensi, Blasio Hirsaug. Macario in Limpurg, & Ioanne in Schuttern abbatibus, ad visitandum & reformandum monasterium Gengenbacense, assumtis secum simul, inter alios aliorum monasteriorum monachos, duobus etiam ex monasterio Alpirspacensi, quod tunc erat *florentissimum*, ad finem sec. XV. amplissima privilegiorum omnium antecessorum suorum imperatorum confirmatione a Maximiliano I. instructum, ut apud Besoldum in documentis rediv. legere est b). Sequitur ibi mox aliud eiusdem imperatoris, quo Gerardo abbati bannum seu ius gladii aut iudicium sanguinis in Schlossberg & aliis locis monasterio subditis in feudum concedit.

a) *T. V. p.* 1065.

b) *T. I. p.* 172.

Ha-

Habetur inde apud eumdem Besoldum a) urpheda & deprecatio veniæ rebellium subditorum facta an. 1514. Alexio abbati, (qui iam an. 1513. notatur) testibus Wilhelmo de Weytingen, Augustino Eegen Schulteto in Rottweil, Io. Hettinger consule in Horb & Georgio Ruckhemer senatore ibidem sigillo munientibus instrumentum. Citius cæteris Nigræ saltem silvæ nostræ cœnobiis communi sec. XVI. calamitati seditiosorum rusticorum succubuit Alpirspacum, quod iam an. 1513. incendio conflagraverat.

SECULUM XVI.

a) p. 177.

Iam meminimus factam an. 1523. post mortem Alexii abbatis, eius successoris Ulrici electionem per compromissum in abbates Conradum Schutteranum & Laurentium in Ettenheimmunster &c. *præsentibus nobili & strenuo viro domino Rudolpho de Echingen equite aurato, & venerabili Patre, domino Ioanne Priore de Reichenbach Constantiensis diœcesis, testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis.* Adiicitur apud Besoldum instrumentum b) notarii, tum etiam sequuntur subscriptiones capitularium singillatim.

b) p. 181.

Ibi post F. Fabianum Priorem Alpirspacensem occurrit F. Beatus Prior in Kniebus, cella nempe seu Prioratu de obedientia cœnobii Alpirspacensis, quod monasterium eodem anno 1513. quo Alpirspacense teste Trithemio in chron. Hirsaug. *fortuito casu incensum, incineratum & combustum est cum ecclesia, & domibus cunctis, præter unam domunculam solam, quæ ab incendio mansit illæsa.*

Apud eumdem Besoldum legitur c) Ulrici abb: Alpirspacensis instrumentum an. 1525. quo querelas deponit apud regimen Wirtembergicum, quod post rebellionem rusticam suscepti sint Alpirspacenses subditi ad homagium (Erbhuldigung).

c) p. 182.

Sequitur eiusdem anni urpheda subditorum, qui seditiosi fuerant: ac mox Caroli V. confirmatio omnium privilegiorum & infeudatio iudicii sanguinis eodem, quo in necrologio Ettenheimensis monasterii notatur P. Sebastianus Grab Prior in Alpirspach, an. 1530. Nihilominus an. 1534. missus est Iodocus Munch de Rosenberg, ut inventarium faceret rerum monasterii, protestante econtra abbate, monasterium suum esse liberum &c. ut legi potest d) in Besoldo eiusdem Iodoci relatio, & mox etiam Valentini Prioris in Reichenbach, quod monasterium paucis leucis distat Alpirspaco, quomodo anno sequenti in die Apostolorum Simonis & Iudæ dux collectis oppidanis Dornstettensibus in monasterium irruit, eoquod, quem dux prædicantem Lutheranum miserat, monachi & ministeriales irritassent. Edidit Sebaldus Hauuenreuterus Tubingæ an. 1539. commen-

d) p. 191.

 men-

SECULUM XVI. mentarios in physicam Aristotelis, quos Ulrico abbati Alpirspacensi dedicavit. Notatur an. 1548. Iacobus Hohenreuter abbas, quo nempe anno vi edicti quod *interim* appellari solet, monasterium hoc auctoritate Cæsarea Caroli V. restitutum fuit, habuitque an. 1553. Iacobum catholicum abbatem, cuius extat apud Besoldum instrumentum, quo civem Wolfacensem a Rottwilensi ad suum evocat iudicium. Addit Besoldus, abbatem usque ad an. 1559. & post perstitisse in monasterio, captum denique & Maulbrunæ dein in carcere habitum fuga evasisse. Obiit an. 1563.

Sunt, qui Henricum de Yestetten I. U. D. abbatem Vallis S. Gregorii & administratorem præposituræ omnium Sanctorum Friburgi a summa sede accepisse abbatiam Alpirspacensem perhibeant, sed an. 1556. pulsum. Doctissimus Georgius Geisser abbas S. Georgii in suis adversariis memorat Ioachimum Bruning conventualem S. Georgii & Priorem, aliquamdiu vicarium in Alpirspach, circa an. 1550. abbatem in memorato monasterio vallis S. Gregorii in Alsatia. Mortuo Iacobo abbate primus substitutus est Lutheranus prælatus Balthasar Elenheinz, an. 1577. Ioannes Stecher, an 1580. Matthæus Vogel Professor prius theologiæ in Königsberg, quem notat Gallia Christiana abbatem Alpirspacensem 12. May an. 1589. Ei an. 1592. successit Io. Conradus Piscarius seu Fischer.

Lectione librorum Lutheri seductus ab Ordine Benedictino monasterioque Alpirspacensi apostata fuit Ambrosius Blaurerus ex nobili familia Constantiensi, ut videtur Blarerorum, ex qua eodem hoc sec. XVI. triumviri Diethelmus abbas S. Galli & Ludovicus ex monacho S. Galli abbas Einsidlensis in Helvetia, Gerwicus vero Weingartensis ac simul etiam postea abbas Ochsenhusanus in Suevia fuerant. Nihil non egerunt Alpirspacenses aliique orthodoxi, ut Ambrosium nutantem erigerent, & a pessimo revocarent consilio, quod ex eius epistola ad Melanchtonem an. 1522. palam fit apud Hottingerum in hist. eccl. sec. XVI. a). Hic eum monasterio egressum non statim vestem deposuisse perhibet, quod in eo novatores inter alios Oecolampadius notarunt, apud eumdem Hottingerum, qui aliquot eius epistolas affert, tum alibi, cum Constantiæ datas, ubi prædicantem novæ sectæ egit; inde vero turbis Interimisticis pulsus, in Biel Helvetiæ id munus habuit, demum Witodurum secedens obiit 1568. Epistolas eius, quæ complures Constantiæ in archivio servantur, iam supra notavimus.

a) P. II. pag. 454.

S. Petri. XXXII. Monasterium S. Petri in Nigra silva anterioribus posterioribusque temporibus tot funesta expertum fata, seculo XVI. præ aliis sibi

bi consuluisse est visum, nec adeo furori rustico expositum. Petrus III. Gremelspacher Villinganus ab an. 1496. abbas usque ad an. 1512. monasterio non solum restauratis ædificiis prospexit, verum etiam addere firmamentum fide instrumentisque publicis pontificum, summorumque principum curavit.

SECULUM XVI.

Iodocus Keiser ex Langenargen in difficillima utriusque status sacri & profani, ab anno 1512. usque 1531. abbas, incidens tempora, utriusque pericula, quantum licuit, cautissime declinare studuit. Hinc quum sibi maxime timeret ab Ernesto marchione Badensi & Hachbergico, advocato monasterii, in religione novaturiente, monasteriumque multis aliis titulis molestante, avidissime arripuit occasionem, dum an. 1526. Ernestus advocatiam monasterii & trium eo spectantium vallium Ferdinando archiduci vendidit, ultroque Iodocus obtulit pretium mille florenorum, sese cum suo monasterio Austriacæ committendo tutelæ. Qua quidem tutus alioquin, iacturam tamen in Helvetia præposituræ Herzogenbuch fecit religionis innovatæ causa.

Iodoci successor Adam Guldin Friburgo-Brisgoius in necrologio Amptenhusano invenitur, eiusque mors notatur in sæpe citato chronico Villingano cum abbate Ettenheimensi & aliis ad an. 1544. In modo memorato item necrologio Amptenhusano Ioannes abbas S. Petri, qui post Magnum Turinger administratorem an. 1553. mortuum abbas fuit, defunctus an. 1566. legitur, eius vero successor Daniel Wehinger Hala Tyrolensis an. 1580. Ioannes Ioachimus Munsinger a Frundeck nobili familia an. 1588. Gallus autem Vögelin ex Mundelheim abbatiam an. 1597. resignavit Michaeli Stocklin Binzdorfensi mortuo an. 1601.

XXXIII. Sub hoc abbate Michaele a Clemente VIII. ad resarcienda damna per immutationem religionis monasterio S. Petri illata, ei unita est præpositura Seldensis congregationis Cluniacensis, ubi adhuc ad finem sec. XV. erat parthenon, de quo libris superioribus sumus locuti: veluti etiam de monasterio S. Udalrici itidem congregationis Cluniacensis, ex qua ultimus Prior Stephanus Baudinus an. 1546. cessit Ioanni Kern abbati S. Georgii, hicque an. 1560. Ioanni Erb mox memorato abbati S. Petri.

Cœnobia Selden & S. Udalrici.

Sub eius successore vero Daniele Wehinger tandem an. 1578. a Gregorio XIII. P. in perpetuum monasterio S. Petri Prioratus S. Ulrici interventu Ferdinandi archiducis unitus est & incorporatus, manetque ad hodiernum usque diem, prout legere est in brevi historia Prioratus S. Udalrici a moderno reverendissimo abbate S. Petri Philippo Iacobo an. 1756. Friburgi Brisgoiæ edita.

SECULUM XVI.

Sulzburgense monialium.

XXXIV. Alia fata tulit parthenium Ord. S. B. vicinum Seldensi & cœnobio S. Ulrici, in Sulzburg, quod sec. XV. concilium Basileense Friderici ep. Basileensis tutelæ commiserat, iterumque Iulius II. P. anno 1509. mensæ episcopali coniunxit, salvo tamen conventu monialium a prima sua fundatione, ordine non interrupto, ibi subsistente usque ad an. 1521. quo pulsis monialibus, reditus monasterii administratori cuidam seculari commisit Ernestus marchio, qui ex destinatione patris Christophori, ut Schœpflinus perhibet in hist. Bad. a) regiminis sui sedem Sulzburgæ constituit, ansamque captavit, expellendi moniales cum magistra ultima Gunsia Spörlin. Refert Schœpflinus inscriptionem in lapide sepulchrali ultimi Prioris, quod olim monachi S. Blasii tenuerunt munus. Lapis in medio ecclesiæ monasterii superest cum hoc epitaphio: *Obiit venerabilis vir frater Georgius Locher administrator & Prior huius loci.* Administratores abhinc seculares fuerunt usque ad an. 1548. quando agente episcopo Basileensi iterum restitutæ sunt moniales, vitaque monastica anno sequente, donec Carolus II. marchio Augustanam confessionem undique suarum ditionum uniformiter instituit, abrogata ubique avita religione catholica.

a) *lib. VI. c. 1.*

Alba Dominarum.

XXXV. Monasterium Albæ Dominarum an. 1508. circa principium Augusti igne casuali fuisse incensum, & præter ecclesiam omnia sororum habitacula in pulverem esse redacta Trithemius in chron. Hirsaug. ad h. a. testatur. Præfuit tunc huic nobilium matronarum congregationi Scholastica de Göler ex Ravensburg, quæ an. 1507. successit Margarethæ de Hoheneck Enzberg. Occurrit variis in instrumentis Scholastica Gölerin, vixitque adhuc an. 1536. quo tempore ingentes ob religionem sustinuit persecutiones, quæ post mortem Bernardi III. sub eius filiis Philiberto & Christophoro Lutheranis quoque continuarunt sub abbatissis Catharinis successive tribus, Catharina de Remchingen electa an. 1537. mortua 1550. proxima Catharina de Wittstatt dicta Hagenbuchin, quæ obiit an. 1554. Catharina de Bettendorf an. 1573. cui an. 1574. successit Paula de Weitershausen defuncta Pforzhemii an. 1609. dum Ernestus Fridericus Durlacensis an. 1597. monasterium ad tempus abolevisset, qua de re dicemus libro proximo. Apud Schannatum nulla amplius leguntur b) sec. XVI. abbatissarum epitaphia; sed tamen familiæ comitum de Eberstein, in quibus obiisse notantur A. D. 1535. 27. Sept. Kunigunda comitissa de Sonnenberg uxor Wilhelmi comitis de Eberstein. A. D. 1546. Barbara comitissa de Thaun, Oberstain & Falckenstein. A D. 1557. 9. Aug. Anna comitissa de Eberstein. A. D. 1565. 12. Aug. Anna comitissa de Donliers Philippi comitis de Eberstein uxor. A. D. 1569. 9. Apr. Bernardus comes de Eberstein.

b) *Vindem. liter. coll. I. p. 153.*

XXXVI.

SECULUM XVI.

Alba Dominorum.

XXXVI. Apud eumdem viciſſim Schannatum l. c. epitaphia quorumdam monaſterii Albæ Dominorum abbatum ſec. XVI. notantur, veluti A. D. 1505. Bartholomæi de Rechberg, Eberhardo barbato duci Wirtembergiæ admodum chari, & ita eidem a conſiliis, ut plurimum in adminiſtratione provinciæ ageret, valeretque. Succeſſorem habuit Michaelem, qui apud Schannatum deſideratur; dum nihilominus Marcus decimus ſeptimus abbas in Alba Dominorum dicitur, Bartholomæus vero decimus ſextus; perperam quidem, nulla habita Michaelis ratione, qui abbatiam an. 1521. Marco de Gerſpach reliquit, ſub quo monaſterium an. 1527. incendium ſuſtinuit, in quo ipſe etiam abbas ita læſus corpore dicitur, ut adminiſtrationi monaſterii impar eſſet, an. 1535. demum, ut apud Schannatum legere eſt, mortuus, a peſte, quæ circa an. 1530. in Alba Dominorum perinde ac tota illa provincia graſſabatur, immunis.

Quæ ſub eius ſucceſſore Luca Göz de Mehrſtetten (cui ſubditi anno 1529. homagium, quod in Franc. Petri Suevia eccleſ. p. 47. legere eſt, præſtiterunt) iterum exarſit de advocatia monaſterii inter duces Wirtembergiæ marchionesque Badenſes controverſia, quæ præter mentem & intentionem Albæ Dominorum funeſta fuit iam etiam præterito ſeculo, dum Albani bonis & reditibus in Wirtembergia aucti, comites de Wirtemberg advocatos admiſerunt, contra nitentibus comitibus de Eberſtein marchionibusque de Baden. Tandem ad finem ſeculi XV. inter partes contendentes conventum fuerat, ut quilibet in ſuis ditionibus ius teneat.

Seculo hoc XVI. inter ſaxum ſacrumque ſtabant Albani, quum & duces, & marchiones ad Proteſtantium caſtra deflecterent hinc Bernardus eiusque filii Philibertus & Chriſtophorus, illinc Chriſtophorus & Ulricus: quorum poſteri dum Lutheranæ reformationi adhæſerunt, illorum vero lineæ Bernardinæ ad ſacra catholica redirent, male conſultum fuit Albæ Dominorum. Statim enim dum Ulricus dux Wirtembergiæ palam acceſſit an. 1534. confeſſioni Auguſtanæ, eamdemque an. 1535. ſuas induxit in terras, ad hanc exacta regula, perſonis in monaſterio vivere volentibus, eſt præſcripta. Herrenalbenſibus quidem teſte Cruſio a) ad h. a. ſexta Iulii per nobilem Io. Fridericum Thum Kirchaimi maiorem præfectum, & per M. Erhardum Snepfium principis legatos hæc eſt tradita: Legendæ ſuis horis ſacræ litteræ: canendi pſalmi: cœna Domini percipienda: Miſſa omittenda: coacta per omnium peccatorum enumerationem confeſſio tollenda: pro cuculla alius honeſtus veſtitus accipi poteſt: honeſta opificia exercenda: conſcientiæ non gravandæ &c.

a) *P. III. lib. XI. c. 10.*

Iam

SECULUM XVI.

Iam tum Marcus die 2. Martii diem suum oppetierat, eodem etiam teste Crusio: *Anno Domini 1536. Ind. 9. pontificatu sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri D. Pauli papæ tertii anno eius primo die vero Mercurii Kal. Martii in præsentia notarii publici, testiumque infra scriptorum fide dignorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum rever. in Christo Pater & dominus, dom. Lucas abbas monasterii B. Mariæ virg. in Alba Dominorum Cisterciensis Ordinis Spirensis diœcesis asserens erat & cum tristitia cordis allegans, quod ex necessariis, imo urgentibus & prægnantibus causis habitum monasticum (ad tempus saltem quamdiu expediens fuerit, aut necessitas exegerit) mutare & sub alio decenti clericali habitu incedere vellet: verum non in despectum sacri Ordinis Cisterciensis, aut animo Ordinem deserendi, monasteriumve & habitum; sed solum propterea, ut his tam periculosis temporibus quietius & diutius in monasterio Albensi permanere, in eius regimine commoda ipsius conservare, damnaque huic & sibi imminentia avertere facilius posset, quemadmodum ipse ex præscripto iuramenti sui teneatur &c. Testes fratres eius obedientes, & professi charissimi Ludovicus Prater &c. adhuc sub eodem habitu monastico degentes, ibi præsentes, sed monasterio suo expulsi: abbatem suum hortati, ne monasterium ipsorum dimitteret; sed potius habitum suum mutaret, an forte auspicante Altissimo ad pristinum statum regularem ipsos, ut gallina pullos suos sub alas recolligere posset. Acta sunt hæc in villa Langensteinbach &c.*

a) T. I. p. 135. 139.

b) p. 48.

Addit ex eodem Crusio Besoldus in Docum. rediv. a) postquam integrum expilationis an. 1535. 23. Octobr. factæ actum, prout etiam in Francisci Petri Suevia ecclesiastica b) legere est, retulisset, ipsum abbatem Lucam a duce Ulrico Studgardæ incarceratum, & quasi triginta millia florenorum aureorum in diversa loca alienasset, quæstionibus subiectum fuisse.

Post aliquamdiu monasterium abbate caruit, usque dum finito Schmalkaldico bello, religiosus cultus reductus, ibique Georgius Trippelmann, cognomento Pais, Tubingensis electus est. Ex tabulis publicis sic enarrat Crusius ad an. 1549. quomodo frater Theobaldus Novi Castri Cisterc. Ord. Argentinensis diœcesis abbas & monasterii Herrenalbensis visitator, adiunctis sibi certis adiutoribus abbatem Albensis cœnobii elegit fratrem Georgium Tripelman al. dictum Pess Tubingensem. *Hunc*, inquit, *in loco solito Novi castri renunciavimus, licet aliquantum recusasset. Eundem cantu* Te Deum *incipiente pulsatisque campanis, toto conventu præcedente & subsequente ad ædis sacræ chorum duximus: ac*

de

de more, perinde ac si in Albensi monasterio esset, installavimus. Finito Te Deum laudamus; *preces ad Deum legimus & ad capitulum rediimus: ac per librum loco Regulæ Ord. Cist. & sigilli nostri porrectionem ipsum investivimus, tradendo eidem Albensis monasterii possessionem & omnium spiritualium ac corporalium curationem secundum Regulam Benedicti, & papales declarationes. Idem ad sancta Evangelia nobis iuravit, se possessiones & iura Albensis monasterii non venditurum, impignoraturum, infeudaturum, donaturum cuiquam, nisi per modum ab apostolico domino constitutum, seque mihi & successoribus meis in visitationibus & correctionibus obtemperaturum &c. Acta sunt hæc an. 1548. Novemb. 15. die Iovis Indict. 6. Confirmavit deinde 5. Septemb. 1549. frater Ioannes abbas Cistercii in Cabillonensi diœcesi, totius Cisterc. Ordinis & capituli generalis eiusdem plenaria fungens potestate &c.* Georgius abbas adhuc an. 1555. ibi perduravit, tandemque constituto vitalitio, cessit. Unde etiam Crusius l. cit. scribit, Philippum Degenum Uracensem primum huius loci sub Wirtembergensi duce Christophoro abbatem Lutheranum electum fuisse. Addit Besoldus, multas litteras extare prædicti Georgii abbatis ad cancellariam Wirtembergicam directas, & propria ipsius manu subscriptas, earumque ultimæ sunt de dato 9. Novembr. an. 1555. Iam meminimus, abbatem hunc Albensem cum Hirsaugiensi & Maulbrunensi a Philippo episc. Spirensi ad concilium Tridentinum esse invitatum.

SECULUM XVI.

Ut vero a curatore huius monasterii relatum accepi, post discessum Georgii abb Ulricus dux misit ex suis consiliariis cum armata manu ad Albense monasterium, qui pretiosa quædam cum documentis abstulerunt. Monachi licet admodum protestantes & inviti, cedere compulsi, recedentes in Langensteinbach, ibi, quod locus ad monasterium pertineret, abbatem elegerunt; at dum pedem figere non possent, pars maxima Salemium commigravit.

XXXVII. Alterum, quod ad Nigram silvam nostram attinet, Cisterciensis ordinis monasterium quidem marchionibus Hachbergico-Badensibus in multis etiam obnoxium, catholicissima Austriaca domus conservavit, Tennenbacense inquam; quod tamen a tumultuantibus rusticis ipsa die inventionis S. Crucis an. 1525. est combustum eadem, qua Ettenheimmunster, Schuttern, & Haidersheim hebdomada, ut ad Bernardum Muggium chronistam Ettenheimensem an. 1623. perscripsit Adamus abbas Tennenbacensis, ultimus abbatum Tennenbac. qui sine die & con- Tennenbacense monasterium.

SECULUM XVI. ſule notantur in Gallia chriſtiana, ut adeo proxime antecedentes ad ſec. XVI. pertineant, ſed quotus quisque, hactenus ignoro.

Ante Adamum ponitur Martinus II. ſub quo Iacobum marchionem Hachbergico-Badenſem Tennenbaci an. 1590. die 15. Iulii eiurato Lutheraniſmo, ſolemni ritu profeſſionem fidei catholicæ edidiſſe conſtat.

Poſt medium ſeculum in actis monaſterii Fridenwiler, ut paullo poſt videbimus, occurrit Ioannes abbas Tennenbac. ſeptimus nimirum eius nominis in catalogo memorato: ante notatum Martinum duo ſunt Georgius II. & Ioſephus.

Güntherſthal XXXVIII. Ad curam abbatis in Tennenbach pertinet illuſtre parthenium vallis Guntherianæ tertio ab urbe Friburgenſi ſitum lapide: quod ineunte hoc ſeculo XVI. abbatiſſam habuit Veronicam a Müllheim ſororem Conradi abbatis Gengenbacenſis, mortuam an. 1508. an. regiminis quarto. In Mſc. quodam catalogo abbatiſſarum in Gunthersthal ponitur hæc Veronica poſt Agnetem de Tuſſelingen, quæ obiit an. 1525. Friburgi in eccleſia S. Nicolai, an. 1678. diruta, ſepulta. Hanc Gallia chriſtiana appellat Annam II. de Tuſslingen patre Waltero, matre Anaſtaſia Munchmeiſterin, eidemque etiam anteponit Veronicam de Müllenheim, ſeu Mülheim, poſtponit vero Konigundam Röderin de Thiersberg, quæ fuit mortua an. 1530. an. 1534. vero Maria Schnewlin Bernlapp de Polsſchweil: poſt hanc Verena Tegelin de Wangen præfuit ſex annis, inde in Ottmarsheim translata, perinde ac alia aliis temporibus eiusdem nobilis familiæ Ottmarsheimenſis abbatiſſa Agnes de Dormenz, & Victoria Reutner de Weil, Evaque de Pfirdt. Cordula de Crozingen ex Gunthersthal an. 1538. poſtulata fuit in Andlau abbatiſſa, Chriſtina Marſchalkin in Wunenthal adminiſtratrix.

Verenæ in Gunthersthal an. 1540. ſucceſſit Maria de Roggenbach mortua an. 1547. quo anno electa Maria Schnewlin de Landeck obiit an. 1554. Eliſabetha Böcklin de Böcklinsau an. 1567. Maria Störin de Störenberg diutius quam plures ſimul ex memoratis abbatiſſis 29. annis laudatiſſime præfuit, ſuccedente eidem an. 1594. Anna de Hagenbach.

Fridenwiler. XXXIX. Acceſſit Ordini Ciſtercienſi in Nigra ſilva noſtra nova ſoboles, monaſterium in prædio Fridenwiler extructum, ut ſuo loco vidimus, anno 1123. & cum omni iure proprietatis a prima ſua fundatione ad monaſterium S. Georgii pertinuit eiusdem Ordinis Benedictini. Dum vero monaſterium S. Georgii ſec. XVI. variis eſſet acciſum modis, tum bello fœderis Suevici in Wirtembergicis ditionibus, cum

etiam

etiam ruſtico, maxime autem per mutationem avitæ religionis catholicæ, monaſterium autem in Fridenwiler ad finem ſeculi XV. incendio conflagraſſet, mala inde ſecuta illud progreſſu temporis tanto magis depreſſerunt, ut ferendæ opi ſemper magis magisque impar redderetur monaſterium S. Georgii: maxime dum comes Wilhelmus de Furſtenberg inaudito ſuæ familiæ exemplo a fide catholica deflectens monaſteriis aliorum principum exemplo inhiaret, ac monaſterium quoque in Fridenwiler infeſtaret.

Neque vero Fridericus eius frater circa annum 1525. rerum potitus, licet catholicus, fratris hunc malum depoſuit affectum, nihil non agens, ut ab abbatibus S. Georgii utrumque monaſterium in Amptenhuſen & Fridenwiler extorqueret, ſuosque in uſus converteret reditus, deficientibus paullatim monialibus. Id vero Fridericus apud Ioannem abbatem tunc maxime urgebat, quando dux Wirtembergiæ per Iodocum Munch de Roſenberg, infeſtiſſimum monachis an. 1536. monaſterium S. Georgii occupavit, monachosque expulit: qua arrepta occaſione Fridericus per ſecularem adminiſtratorem res monaſterii in Fridenwiler curari fecit, rem etiam ſacram per presbyterum ſecularem fieri. Perſtitit tamen magiſtra Margaritha Röckleurin; ſed an. 1561. defuncta non niſi unam reliquit ſanctimonialem Annam Michlin, quæ ibidem uſque ad annum 1570. perſtitit.

Sic etiam rem familiarem Henricus comes Furſtenbergicus, Friderici filius, per Severinum Smid, ſacra quantum licuit, per presbyteros ſeculares curavit. Interim ſollicitus de reſtituendo monaſterio, Ioannem abbatem in Tennenbach convenit; a quo moniales Ordinis ſui Ciſtercienſis ex Liechtenthal, conſentiente marchione de Baden accepit, quæ an. 1570. Sabbato infra octavam Corporis Chriſti ſecunda Iunii in Fridenwiler advenrarunt ſex cum duabus ſororibus laicis, ut vocantur, quæ non chori ſed monialium monaſteriique ſervitio deputantur, comitante Barbara Weiſſin abbatiſſa in Liechtenthal: quæ proceſſionaliter, ſonantibus campanis in monaſterium ſunt ſuſceptæ, poſteaque una ex illis Lucia Birin in abbatiſſam eſt electa, ordinatoque monaſterio ad veſperas primas feſti S. Bernardi officium chori inceptum. Lucia vero vix anno expleto muneris abbatialis, iam ſenio gravata ad monaſterium ſuum in Liechtenthal, ubi prius Officio Prioriſſæ perfuncta eſt, ſe recepit, eius vero loco monaſterium in Fridenwiler die 14. Iunii an. 1571. regendum accepit Ottilia Kieſtein ex gremio etiam Liechtenthalenſi. Edimus ex archivio S. Georgii epiſtolas Henrici comitis de Furſtenberg,

 Haili-

SECULUM XVI. Hailigenberg, & Werdenberg, uti se subscribit. Earum prima data est an. 1576. ad abbatem, quem ad velandas virgines invitat, nec exprimitur, an ad Nicodemum S. Georgii sit scripta, qui deinde an. 1578. iura sui Ordinis ac monasterii Ordini Cistercienſi transscripsit, tabulis publicis an. 1578. datis. Altera Henrici comitis epistola an. 1583. de consensu Generalis Cisterciensis Ordinis impetrando tractat,* confirmationeque sedis apostolicæ, quæ sequenti anno 1584. secuta est; Generalis vero Ordinis Cisterc. an. 1585. Quo ipso anno ab abbate, ut videtur Nicodemo S. Georgii, petiit pedi abbatialis partem superiorem ad solemnem inaugurationem publicationemque bullæ apostolicæ.

Tanta vero monasterii huius tunc fuit celebritas, ut an. 1588. agente legato apostol. Lucernensi 12. moniales ex cœnobio Rathhausen in Helvetia advenerint in Fridenwiler ad disciplinæ regularis ordinem discendum, reversæ in suum monasterium an. 1592 Præcedenti an. 1591. Amalia Reinerin ex primis huc delatis Liechtenthalensibus missa est, ut esset abbatissa in Marienhof prope Neidingen.

Marienhof prope Neidingen. XL. Bucelinus T. I. Germaniæ sacræ P. II. monasterium Aulæ seu Curiæ B. M. V. Marienhof prope Neidingen villam ex Caroli Crassi secessu celebrem, familiæ Benedictinæ adscribit; quod primum creditur fuisse Begbinarum in vico Almanshofen prope Doneschingam, unde postea comitum Furstenbergensium nutu Neidingam translatæ Ordini S. Augustini sub cura PP. Prædicatorum, ut habet bulla apostolica, sunt adscriptæ moniales: quo temporis iniuriis ibi extincto, Henricus comes de Furstenberg moniales Cistercienses Lavinga a Palatinis Neoburgicis expulsas, monasterio huic desolato immisit, & postquam Ordini Cisterciensi unacum monasterio in Fridenwiler auctoritate apostolica an. 1584. esset unitum, an. 1591. stabilivit. Quo eodem anno monasterium curatelæ monasterii Salemitani sub abbate Christiano Fürst est traditum, ac prima abbatissa Amalia Rennerin ex Liech in Wetteravia est constituta, atque an. 1595. demum a P. Generali Ord. Cisterc. Edmundo a Cruce in Fridenwiler sacro ritu inaugurata. Iam supra meminimus, fuisse ineunte hoc sec. XVI. ex illustrissima Furstenbergica familia moniales Claram Annam & Beatricem, Wolfgangumque I. an. 1509. illatum hic sepulcro esse, ubi dudum alii ex Furstenbergica prosapia nati, sunt conditi in ecclesiæ huius monasterii crypta. Ibi primum an. 1337. depositus est Henricus II cui eodem adhuc seculo adiunctus est an. 1370. Conradus filius cum uxore Adelheide de Griesenberg an. 1408. Henricus IV. an. 14... Henricus V. Manet hic sepulcretum hodieque illi illustrissi-

mæ

mæ huius Domus familiæ, quæ Donaueschingæ resident, cui posterioribus temporibus plures accesserunt rami. Seculum XVI.

XLI. Cum laude meminimus superiore libro, quam insigniter Ordo Carthusianus sec. XV. etiam de Ecclesia orbeque litterario fuerit meritus, quod quidem facere Carthusia imprimis Friburgensis haud destitit sec. XVI. cuius anno secundo Ioannes Keslin artium & decretorum doctor, Prior Friburgi, alias Prior domus Throni B. Mariæ in Gemnico, visitator provinciæ Alemanniæ superioris, & convisitator provinciæ Rheni fuit defunctus. Carthusia prope Friburgum.

Fuit etiam Prior Friburgensis iam laudatus Gregorius Riesch auctor Margarithæ philosophicæ, olim Maximiliani I. Imp. confessarius. De quo Iac. Wimphelingus nihil minus quam monachorum assentator, ita ad Iac. Spiegel scribit apud Ios. Ant. Rieggerum in notis ad vitam Udalr. Zasii eius epistolis præmissam p. 25. *Quis in omni philosophia & in divinis litteris acutior Gregorio Rieschio Carthusiano: quo nedum alioquin consultore usus est* (Maximilianus) *sed & ut animæ suæ mederetur, dudum, priusquam eam exhalaret, desideratissime longo viarum intervallo accersivit.* Eumdem inter alios scriptores Carthusianos sui temporis cumprimis celebrat Paulus Langius in chron. Citiz. apud Pistorium ad an. 1494. his verbis: *Gregorius Rysch, qui margaritham philosophicam, opus mirificum & utilissimum edidit & adhuc vivit.*

Mathiam Tannerum & Iodocum Lorichium celebrabimus libro sequenti, qui iam etiam præsens seculum hoc XVI. illustrarunt, Lorichius imprimis academiam Friburgensem, sæpius illius Rector magnificus inde ab anno 1582. in laudati Rieggeri Amoenit. litterar. Friburg. fasciculo I. p. 14. &c. conspicuus.

XLII. In earumdem Amoenit. litter. Friburg. fasciculo III. legitur epistola memorati Iac. Wimphelingi data *Ex eremo Kalend. Novembr.* 1512. secessu nimirum seu eremitorio, quod virum doctissimum habuisse apud Wilhelmitas in suburbio Friburg. iam superiore libro meminimus. Wilhelmitæ.

Extat in archivio San-Blas. bulla Iulii II. P. anni 1507. qua ratam habet unionem monasterii Coronæ & Cellæ S. Mariæ, in Oberried nempe & Friburg, quatenus utrumque cœnobium uni subsit & pareat Priori in suburbio Friburgensi existenti. Tunc Wilhelmitæ ex *Oberried in silva*, ut dicebatur locus ad S. Wilhelmum, ad sodales suos (*zu denen Oberriedern*) prope muros urbis Friburgensis se contulerunt Nicolao Dietlin Priore, cui an. 1523. Baltassar Hermann successit, huic anno

SECULUM XVI. 1553. Ioannes Pforer, an. 1577. Ioannes Scherer, an. 1587. Conradus Schmidlin, an. 1597. Io. Ulricus Roth.

In actis synodi Constantiensis a Marco Sittico cardinali & episc. Constant. an. 1567. celebratæ in recensione religiosorum Ordinum & monasteriorum ad synodum illam convocatorum legitur a): *Pro parte monasterii S. Wilhelmi zun Oberriedern vulgo vocati, nemo comparuit, verum subnominatus Prior in Sion Priorem illius excusavit, dicens, mandatum convocationis ad eum non pervenisse.* Nomine S. Wilhelmi in oppido Menga Frater Gregorius Zorner Prior eius monasterii adfuit, tam pro eodem monasterio, quam ecclesia parochiali S. Martini in eodem oppido, suo cœnobio incorporata. Nomine Prioratus in Sion Ord. S. Wilhelmi prope Klingnau Frater Conradus *Schmidlin Prior ibidem*: idem aut certe cognominis, qui inter Priores *zu den Oberriedern* ad an. 1587. notatur.

a) *T. VII. conc. German.* p. 450.

Bursfeldensis, Mellicensis & Castellensis Congregat.

XLIII. Nihil non egit ineunte hoc seculo XVI. Bertoldus archiepiscopus Moguntinus Nigræ etiam silvæ nostræ archipræsul, ut Patres trium observantiarum Ord. S. Bened. Mellicensis videlicet, Castellensis & Bursfeldensis ad unam revocaret conformemque S. Regulæ observantiam, quod iam sæpius sollicitaverat. Pervenerat idcirco Moguntinus Norimbergam convocato conventu principum ad an. 1502. consenseruntque duces familiarum eius audire propositum, quamquam constaret ex prænotis, fieri non posse in tanta diversitate unionem, ut refert in chron. Hirsaug. ad an. 1502. Trithemius, qui ipse erat unus ex quatuor abbatibus destinatis ad hoc negotium in celebrato annali capitulo observantiæ Bursfeldensis apud S. Pantaleonem Coloniæ anno superiore nempe 1501. *Neque enim*, ad an. 1502. scribit idem Trithemius, *Bursfeldensibus, qui recentiores & ob id ferventiores in disciplina regulari, animus fuit aliquid remittere observantiæ suæ, neque Mellicensibus & Castellensibus quidquam placuit assumere constitutionis alienæ.* Affert ibidem, quæ contra observantiam Bursfeldensem in medium protulerunt Mellicenses & Castellenses, eaque diluit, ac deinceps quousque prosecutus est chronicon illud, capitula provincialia, impedito tamen per bellum Maximilianum Imp. inter & Palatinos capitulo, quod fuerat Augustam Vindelicorum, iuxta recessum in monasterio Fuldensi an. 1501. scriptum, ad an. 1504. indictum: fuit tamen an. 1506. celebratum, alia item anno 1509. & 1512. in quo ultimo cum aliis etiam ex Nigra silva nostra Ioannes abbas Hirsaugiensis præsedit.

Hucusque

Hucusque procedit Trithemius ipse, adhuc præses in capitulo provinciali Moguntiæ ad S. Iacobum anno 1515. velut anima in huiusmodi capitulis tam provincialibus, quam annalibus provinciæ Moguntinæ & Congregationis Bursfeldensis, nequaquam inter se confundendis. Loquuntur zelum eius sermones in huiusmodi conventibus habiti, aliaque quamplurima in operibus piis & spiritualibus Moguntiæ an. 1605. editis. Cum eo insignem operam congregationi Bursfeldensi ineunte adhuc sec. XVI. præstitit Otto ab Elten seu ab Eltern monasterii Trevirensis S. Maximini abbas, mortuus an. 1502. postea Io. de Susato abbas Abdinckofiensis mort. an. 1536. Ioannes item S. Iacobi prope Moguntiam abbas, qui superstes etiamnum post medium sec. XVI. a Patribus Congregationis dictus fuit habitusque unicum eius ornamentum. Præprimis etiam commendandus est Simon de Petra, postulatus ex monasterio Hornbacensi abbas Lacensis, qui nihil non egit ad restituendum disciplinæ monasticæ rigorem vigoremque non suo tantum in monasterio, sed aliis etiam, ubicumque potuit.

Christianus abbas in superiore Altaich ineunte adhuc sec. XVI. eodem ferebatur zelo observantiæ regularis in Bavaria, ubi Castellensis tunc florebat, uti in Austria Mellicensis congregatio, minus tamen inter se cohærentes, quod mutua capitula & visitationes non haberent, eaque etiam in Bursfeldensibus vituperabant, occupationem omnino superfluam, & inutilem pecuniarum expositionem sive in itinere consumtionem esse dictitantes; quibus respondit Trithemius nomine Bursfeldensium; apud quos tamen & in provincia Moguntina capitula provincialia, seu etiam, ut vocat Trithemius, generalia, coadunata nempe cum congregat. Bursfeld. per maximam Germaniæ partem sese protendente paullatim cessabant per iniurias temporum calamitatesque, quibus monasteria per tumultus rusticos novamque religionis formam inductam, quæ vitam monasticam penitus excludebat, premebantur opprimebanturque, ipsa Bursfeldia an. 1540. & tot alia eiusdem congregationis monasteria, pro quibus restituendis libellum obtulerunt an. 1545. apud Carolum V. qui extat apud P. Romanum Hay in append. Astri inextincti p. 409.

Idem describit frequentissimum capitulum huiusmodi an. 1518. Herbipoli in monasterio S. Stephani celebratum præsidentibus Henrico Bursfeldensi, Ioanne Neresheimensi, Andrea Ochsenhusano, & Ioanne S. Iacobi prope Moguntiam abbatibus, in quo plerique omnes abbates Nigræ silvæ per se vel per suos, uti apud laudatum P. Romanum videre licet a), aderant. In proximo capitulo an. 1521. Werdeæ in Suevia celebrato

a) p. 233.

SECULUM XVI. lebrato actum inter alia est de studio communi instituendo, ut non esset necesse, Religiosos aliorsum mittere, aliquibus item abbatibus commissum est, ut a summa sede dispensationem pro esu carnium impetrarent, quod & factum an. 1524. quo Norimbergæ in monasterio S. Ægidii capitulum trigesimum octavum & ultimum Provinciæ Moguntinæ & diœcesis Bambergensis habitum fuit, indicto quidem ad an. 1527. Erfordiæ celebrando capitulo, quod tamen ob bellum rusticum est interceptum.

Congregatio Suevica, Cassinensis, Cluniacensis &c.

XLIV. Numerat P. Hay centum viginti & ultra monasteria, quæ ad provinciam illam Benedictinam spectabant, capitulaque provinciæ Moguntinæ frequentabant. Qui numerus quum in tam afflicto & miserabili statu Germaniæ magna ex parte evanuisset, dissoluto capitulo provinciali, pars Bursfeldensi congregationi coniuncta mansit, quæ ad præsens usque seculum perduravit, paullatim accisa, dum particulares instituuntur Congregationes in Suevia, Helvetia, Bavaria, Flandria, per provinciam Salisburgensem, diœcesim Argentinensem, ut suo loco videbimus.

Observat vero laudatus P. Romanus Hay, capitulum provinciæ Moguntinæ continuatum in Suevia a) Gerwico abbate Weingartensi potissimum agente, quem iam supra celebravimus incomparabilem virum, ubi de Constantia egimus, unde oriundus fuit eadem ex nobili Blaurerorum b) familia, ex qua adolescente seculo XV. fuit Ioannes abbas Weingart. Fuit autem Gerwicus abbas etiam Ochsenhusanus an. 1547. electus, primusque director collegii abbatum imperialium in Suevia, testibus Bucelino in Benedicto rediv. & P. Hess in prodr. monum. Guelph. qui consociatis Sueviæ superioris abbatibus, assumtoque inter paucos licet (antequam Nigræ silvæ abbates accederent nonnulli) Præsidis & Visitatoris munere post Henricum Wiblingensem utroque munere deinceps functus fuit: quo fatis concedente an. 1568. in conventu abbatum Ravenspurgi celebrato electi sunt in præsides & visitatores Christophorus Petri domus, & Ioannes Weingartensis abbates: adeoque deinceps continua Præsidum, visitatorum & capitulorum subsecuta serie in hunc usque diem ea Congregatio perseveravit. Hæc P. Romanus Hay P. Gabr. Bucelinus c) vero in Germania sacra Nicodemum S. Georgii in Nigra silva abbatem laudat, qui congregationi Benedictinæ Suevicæ vergente sec. XVI. cum monasteriis Weingartensi, Ochsenhusano, Zwifaltensi, Wiblingensi & Isnensi (approbante Feliciano episcopo Scalensi nuntio apostolico) initium dederit, eius etiam decreto quarto loco subscriptus. Hanc postea congregationem Clemens VIII. P. confirmavit.

a) p. 437.

b) p. 65.

c) P. III. p. 76.

Ineunte

Ineunte etiam hoc seculo congregatio S. Iustinæ de Padua nomen a principali monasterio Cassinensi accepit, quod afflictissimo prius ex abbatibus commendatariis fuit in statu. Congregationi autem S. Iustinæ iam monasterium S. Severini Neapoli iunctum erat, opera vero Vincentii eius monasterii dum etiam Cassinensi adiunctum fuit, mirum est, quam brevi excreverit in amplitudinem Eusebio Mutinensi primo Cassinensi post reformationem abbate, & præside congregationis, meritissimo, cui mortuo an. 1507. successit Zacharias monasterii S. Iustinæ Paduani asceta, ut P. Bucelinus in Benedicto redivivo notavit. SECULUM XVI.

Celebrat idem Bucelinus in Galliis ad eumdem annum, magno cum Ordinis Benedictini ornamento effulgentem Iacobum d' Amboises Cluniacensis archisterii & congregationis sese tunc adhuc in Nigram nostram silvam protententis, dignissimum abbatem, & qui sub ipso claruit, Antonium de Rupe, eiusdem archi-cœnobii Priorem maiorem: post quem eodem officio perfunctus est Philippus de Bourgon, antea Prior Claustralis *magnæ sanctitatis vir, qui multum rigide tenebat fervorem Ordinis*, ut ex Francisco de Rivo Priore maiore Cluniacensi refert Bucelinus a) in suo Benedicto redivivo, uti aliarum etiam Congregationum Benedictinarum felicia auspicia, Fuliensis imprimis in Gallia, labente iam sec. XVI. b) eo autem ineunte ibidem Casalensis, Sagiensis & Lerinensis, in Hispania Montserratensis c).

a) p. 112. seq.

b) p. 16.

c) p. 30.

XLV. Factæ passim etiam fuerunt particulares sec. XVI. in Ordine S. Benedicti reformationes, monachis frugi id facile admittentibus fieri per zelosos abbates, ad exemplum piissimi Ludovici Blosii abbatis Lætiensis, qui non contentus ea, quam invenerat, disciplina regulari, ipse spiritu & studio religionis fervens, novam reformationem constituit multisque numeris absolutiorem, quam priores reformatores iam constituerant. Scriptis mandatam, ut apostolica confirmaretur auctoritate, Romam misit, & a Paulo III. confirmatam recepit, cui præter Lætiense plurima deinde subscripserunt monasteria. Disciplina regularis seculi XVI.

Passim porro in monasteriis salutaria pro disciplina regulari cœpta sunt consilia, sublatique abusus, qui multa iam ante secula in monasteria irrepserant, ut superioribus libris prodidimus e. c. de usu sanguinis ex pinguedine suilla, quem sibi hactenus in die sabbati monachi alicubi in condiendis cibis indulserant, San-Blasiiani vero mox huius seculi anno primo sustulerunt. Raymundus tamen cardinalis Gurcensis & legatus apostolicus tam monachis, quam monasterio S. Blasii subditis per Nigram silvam licentiam dedit, in quadragesima & aliis ieiuniorum diebus utendi butyro, caseo & lacticiniis an. 1503. carnes vero San-Bla-

SECULUM XVI. ſiani in refectorium admiſiſſe videntur, dum poſt direptionem conflagrationemque monaſterii iterum ex diſperſione poſt plures annos domum redierunt. Hanc ut impetraret Germaniæ Benedictinæ veniam, in mandatis habuit, dum a nova exoriente Congregatione Suevica Romam mitteretur abbas Wiblingenſis, eo facilius obtinendam, quod diebus ſtatis per hebdomadam Benedictini a quibuscumque in S. Regula etiam permiſſis abſtinerent carnibus.

Neque vero circa hanc rem quæſtio mota fuit aut difficultas, quando tam ſtudioſe de coadunandis veteribus Congregationibus actum eſt; tantum Caſtellenſes & Mellicenſes ieiunia ſtrictiſſima non ferebant Congregationis Burſfeldenſis iuxta Trithemium in chron. Hirſaug. ad an. 1502. *continuumque reprehendunt*, inquit, *ſilentium*, *diſciplinas vero maxime deteſtantur*, *quas in adventu Domini & in quadrageſima ter in hebdomade conſuevimus ab abbate vel Priore ſuſcipere.* Mirum videatur, quod pauca obſtacula hæc prudenti & diſcreta œconomia aliqua, ad faciendam unionem tam exoptatam, tolli tunc non potuerint; non obſtante etiam, quod Burſfeldenſes in quibusdam diſcreparent a veteribus e. c. quod legendas & hiſtorias Sanctorum in choro lectionibus non miſcerent.

Nec dubito, quin facta fuiſſet unio, ſi perinde ac illa cordi fuit archiepiſcopo Moguntino, etiam epiſcopis eius ſuffraganeis fuiſſet, nec potius, ut ſuos ſibi obnoxios omnino haberent abbates & monaſteria, obſtitiſſent cum epiſcopis etiam principes, nec admiſſo quidem in Bavaria & Suevia Paulo Benalli abbate ex congregatione Caſſinenſi ad finem ſeculi XVI. pro reformatione in Germaniam miſſo a Clemente VIII. licet eius rei etiam potiſſimum cauſa a Patribus congregationis Suevicæ abbas Wiblingenſis Romam miſſus fuiſſet. Laudatum Paulum Benalli haud dubie indigitat Georgius abbas Weingartenſis in epiſtola ad Caſparum abbatem S. Blaſii ſupra memorata ex prodromo monument. Guelph. P. Gerardi Heſs: ubi laudatur *vir noſtri ordinis ſane doctus*, *& cum primis in monaſtico inſtituto verſatus.* Excuſat ſe de mittendo monacho, qui in choro inſtructoris gerat officium, *quod*, inquit, *vix ſciam*, *quis meorum fratrum illud*, *quod præſtari deſideratis*, *præſtare poſſit. Nam plerique meorum iuvenes ſunt ex ſcholis primum domum reverſi*, *rerum monaſticarum plus non periti*, *quam alii*, *qui Dilingæ educati ſunt*: *domi vero noſtræ*, *ut ubivis fere locorum*, *incertæ in choro cæremoniæ*, *quarum nec doctorem ullum unquam habuimus*, *nec etiam ſcimus*, *ut eſſe illæ & adhiberi debeant*, *ſecuti iam ab aliquo tempore rubricas tantum*

tum

tum generales Breviarii Casinensis, de quibus tamen dubius subinde sensus occurrit, ut proinde sive cæremonias monasticas spectemus, sive quævis alia tam in choro, quam in aliis extra chorum, nos definire nibil aut docere possimus. Consilium hoc suggesserat (ut palam fit tam ex epistola abbatis Georgii Weingartensis, quam Caspari abbatis S. Blasii) Nuncius apostolicus comes de Portia, qui *ad nos*, sunt verba Caspari abbatis, *uti ad cætera multa Germaniæ monasteria partim reformata partim reformanda pervenit, in boc unum studens, ut quia unius Ordinis & Regulæ sumus, unius eiusdem Breviarii, Missalis, cæremoniæ, disciplinæ regularis simus.*

Subinde episcopi in suis synodis diœcesanis quædam statuerunt (nunquam certe omisso titulo de regularibus) circa disciplinam regularem: veluti, quod nostram etiam Nigram silvam attinet, cernere est in synodalibus Argentinensi anno 1549. & in Constantiensi anno 1567. ad quam synodum tam operose, copioseque, ut ex elencho palam fit ei præmisso in novissima editione conc. Germaniæ a), clerus maior etiam regularis fuit convocatus, sed ad audiendum symbolum potius, quam conferendas symbolas.

a) *T. VII. p.* 446.

Saluberrima sunt concilii Tridentini decreta *de regularibus & monialibus* sess. XXIV. & ultima edita an. 1563. ubi id statim principio generatim præcipitur, ut omnes Regulares tam viri quam mulieres ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant: atque imprimis, quæ ad suæ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis & castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius Regulæ & Ordinis peculiaria vota, & præcepta ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum & vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent. Omnisque cura & diligentia a superioribus adhibeatur tam in capitulis generalibus & provincialibus, quam in visitationibus, quæ suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur: quum compertum sit, ab eis non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari &c.

Atque hæc quidem universim obedientiam regularem determinant, & circumscribunt, uti mox speciatim quoad votum paupertatis, dum *proprietas regularibus omnino probibetur;* sicque feliciter tandem in Germania, atque adeo Nigra silva nostra, ubi concilium Tridentinum etiam quoad disciplinam sine contradictione receptum est, restituta est communio, abolita autem divisio bonorum in monasteriis inter abbatem & conventum, officiales & monachos, quæ a multis retro seculis tanta vulnera vitæ regulari intulit, necessariamque in vita monastica quietem, ordinem & subordinationem turbavit.

SECULUM XVI.

Ad hæc capita revocari possunt, quæ mox sequuntur decreta, ad præcavendam item institutorum monasticorum & regularium corruptelam, avertendaque scandala, quibus illa tunc ætas laborabat ex hamo illo, quo Lutherus verbo & exemplo tot claustra viduavit utriusque sexus, de quibus ipse in epistola quadam ad Oecolampadium apud Hottingerum in hist. eccl. sec. XVI. a) conqueritur, moniales & monachos egressos sibi multas horas furari. Heu! quam triste & abominabile spectaculum prodiit in nostra hic vicinia, dum ipsa die, qua a senatu Schaffhusiano die lunæ post festum S. Martini an. 1529. ut annalibus relatum est, monachis & presbyteris nubendi licentia concessa est, contra sacrosanctam Deo datam fidem sanctitatemque sui Ordinis, qua data porta in amplexus sacrilegos ruunt, monachi & moniales mutuo se nubunt, ipse Michael iam triginta annis abbas, aridus senecio: ex monialibus vero omnino duodecim, exceptis quatuor reliquis procum non habentibus nec ex abiectissima plebecula.

a) P. II. p. 759.

Unde quivis coniiciat, qui qualesque fuerint tunc per Nigram silvam nostram abbates & monachi, prælati & subditi, dum de plerisque monasteriis, amplioribus etiam congregationibus (quod de mea mihi concredita D. Blasii certo asseverare possum sese in principum etiam Protestantium diffundente provincias: neminem sive monachum sive monialem status sui ac religionis violasse sanctitatem, nullum ad castra Philistinorum defecisse constet.

Cura religionis & animarum ab abbatibus & monachis suscepta.

XLIV. Neque vero silentio hic præterire est fas strenuos illos ac invictos non minus in conservanda avita religione pugiles, quam purioris primigeniæque disciplinæ monasticæ statores. Baltassarem primum nomine Fuldensem abbatem heroicæ sane patientiæ exemplum pro tuenda religione, reformandaque disciplina monastica, nihil veritum calumnias, iniurias, exilium, carceres, mortis etiam pericula: quem ideo Clemens VIII. brevi apostolico misso paterne adeo in Domino amare se testatur, & pergit, *quem pium zelum ostendis curæ pastoralis sedulo exercendæ, fidei catholicæ propagandæ, & denique animas Christo, eius adiutrice gratia, lucrandi valde commendamus.* Neque vero res parva fuit, in tam amplis ditionibus suis pro conservanda fide catholica tantopere laborasse alios etiam Benedictinæ familiæ principes Campidunensis & San-Gallensis monasterii, ubi tam propinquum præsentaneumque fuit periculum ex adhærentibus urbibus a fide deficientibus, proximisque monasterio præsertim S. Galli in Helvetia provinciis, nihil non ad exterminandam avitam religionem molientibus: quibus fortiter adeo & stre-

nue

nue se opposuit Diethelmus abbas ex eadem illustri Blarerorum familia, ex qua Ludovicus Einsidlensis, & Gerwicus Weingartensis & postea etiam Ochsenhusanus abbas eodem zelo incensi, ille Zwinglio, Einsidlæ olim prima errorum semina iacienti, hic Luthero sese opposuit per Sueviam velut cancer serpenti. Quare ipse Pius IV. dum ad prosecutionem concilii Tridentini urgendam nuncium in Germaniam mitteret Zachariam episcopum Pharensem, ad Gerwicum etiam, apud Augustos auctoritate pollentem, ipsum quoque legationibus pro utraque republica perfunctum, specialiter misit, *datis ei nonnullis ad tuam quoque devotionem mandatis*, ut habet Breve apostolicum apud Gabr. Bucelinum in *Benedicto redivivo*, p. 95. ubi passim summum hunc celebrat suum abbatem, aliosque ad hunc censum nostrum pertinentes.

Ex quibus duo sunt cognomines, unus Ioachimus abbas S. Galli, qui licet strenue sese grassantibus Zwinglianis opponeret, commissumque sibi populum ipse salutari doctrina frequenter imbueret, pro sua tamen modestia adduci non potuit ad Curiensem episcopatum suscipiendum; alter Ioachimus Einsidlensis abbas tantæ apud suam gentem fuit existimationis, ut ordo ecclesiasticus totius Helvetiæ in conventu Rapperswilensi dignum præ cæteris iudicaret, quem suo nomine ad concilium Tridentinum destinaret. In componendis vero patriæ eadem in Helvetia controversiis oraculum sui temporis est habitus Barnabas Engelbergensis abbas, frustra equidem in conciliando Ecclesiæ, atque ad saniora consilia revocando Zwinglio laborans, perinde ac Ioannes abbas Fischingensis Zwinglii equidem consanguineus.

Sed nimium se protraheret sermo, si singulorum abbatum seculi huius XVI. labores pro ecclesia Dei & S. Ordine commemorare vellem, Philippi Isnensis, Ioannis Petershusani ob proximarum urbium defectionem, feliciori quidem in urbe Constantia successu, collaborantibus etiam strenue Georgio & Wilhelmo abbatibus Creuzlingæ, & præpositis infulatis apud Riedern in Alpegovia nostra pago Nigræ silvæ, ex qua iam laudavimus Fridericum & Gisbertum Gengenbacenses, Laurentios Ettenheimenses, Casparos S. Blasii, Ioannem & Nicodemum S. Georgii, aliosque Nigræ silvæ abbates, quibus conservatio avitæ religionis in longe maxima saltem Nigræ silvæ parte debetur, perinde etiam monachis a suis prælatis singulariter ad hoc munus destinatis, aut curam animarum ordinariam zelose exercentibus domi, vel expositis ad exteras parochias, quod quidem quum frequenter ad hæc usque tempora fieret, haud raro etiam cum investitura ad dies vitæ, consultius tamen seculo XVI. deinceps

SECULUM XVI. visum est episcopis, ut abbatibus, quibus obedientiam debent ex sacra professione monachi, relinquerent a cura animarum munereque parochiali intus & foris ad nutum amovibiles.

Perspexerunt quippe, ac etiamnum agnoscunt episcopi firmata per continuam experientiam opinione, quam sit salutare, quando id res exposcit, posse a suis abbatibus ad sua revocari monasteria monachos, aut pro rerum ac personarum circumstantiis eosdem permutari per loca ceu missionarios. Quod maxime necessarium fuit sec XVI. dum a clero seculari non promtum adeo fuit & facile, omnino tollere insolita anteriorum temporum vitia, concubinatus præsertim, cui omnes patrocinabantur novatores sec. XVI.

Quæ qui cum aliis rerum momentis secum consideraverit, haud mirabitur, episcopos ultro, ut monachi ad curam animarum exponerentur, egisse, ipsosque summos pontifices per se aut suos nuncios, uniendo etiam passim ecclesias parochiales, id non indulsisse tantum, sed etiam mandasse, uti ex bullis eiusmodi unionum constat, veluti apud Lunigium in Spicil. eccl. a) facultas legitur abbati Ochsenhusano facta: *Cum ecclesiæ parochiales propterea monasteriis sint unitæ & incorporatæ, ut per fratres administrentur, mandamus abbati, ut parochiis sibi subiectis conventuales suos, qui idonei sunt, præficiat.*

a) *T. III. p.* 394.

Ordinaria hæc destinatio suspecta iam episcopis esse non potuit, nec aliquid commune habet cum exorbitantibus illis privilegiis *maris magni*, ut vocabatur, restrictis in concil. Lateran. an. 1516. ut in actis concilii, explicatius vero apud Raynaldum ad eum annum num. I. & seq. legere est: fuitque nonnunquam superioribus in libris dicendi occasio de immunitatibus sibi ab ordinibus quibusdam religiosis in administratione curæ animarum & sacramentorum, pœnitentiæ præsertim & eucharistiæ, arrogatis, cui se ordinarii pastores episcopi & parochi opposuerunt iterum hoc etiam sec. XVI. contra Iesuitas præsertim in Gallia, ut apud Bulæum in hist. Univ. Paris. videre est b).

b) *T. VI. p.* 571. *&c.*

Studia litterarum.

XLVII. De studiis monasticis sec. XVI. aliquid dicturo auspicium omnino a Io. Trithemio est faciendum, qui bonas litteras seculo huic decimo sexto intulit, quas iam præterito XV. a se mirum stupendumque in modum excultas quoquo modo studuit promovere in Ordine Benedictino, congregationeque Bursfeldensi imprimis, cuius per plures provincias fuerat visitator generalis, pluriumque monasteriorum reformator, citius potiusque quam Sponheimensis sui, in quo oleum operamque ne perderet, abbatiam dimisit, apud suos illic ob indefessos in studiis labo-

labores, ut iam superiore libro vidimus, invisus, etiam abbatibus contendentibus, studium scripturarum non humiles, sed contumaces & superbos reddere, quos ille incessens, *O stulti*, inquit, *& insipientes, qui ordinem sanctum subvertitis, dum litteris dare operam monachos probibetis. Ergone monachi vestri, cum sint rudes & indocti, non possunt esse superbi?*

Gravissimus est sermo ille, ut mirum haud sit, invidiam sibi conciliasse; neque tamen apud omnes in nostra præprimis Nigra silva. A Blasio quippe abbate Hirsaugiensi fuit conductus exeunte sec. XV. ad conscribendum chronicon Hirsaugiense; post Blasii mortem quum aliquanto tempore substitisset, a Ioanne abbate an. 1503. ad abbatiam Hirsaugiensem promoto, precibus iterum ad prosequendum illud est inductus, quod pertinaci & diuturno quinquaginta quatuor mensium labore ad annum usque seculi huius XVI. 1557. feliciter deduxit, maximo sane commodo historiæ universim, imprimis vero Germaniæ atque Nigræ silvæ nostræ, quæ nullum usquedum lustrum eiuscemodi acceperat historicum luci publicæ datum; neque etiam tunc illustrius a quopiam poterat accipere quam a Trithemio.

Dolendum tantum, quod non ab aliis etiam monasteriis acceperit petieritque symbolas, sicut pro historia Germaniæ, continuando libro de scriptoribus ecclef. fecit, Paulo Langio cum encyclicis, quæ extant apud Pistorium a), quaqua versum misso. Hinc forte animatus postea in monasterio S. Blasii Casparus I. abbas librum Originum monasterii sui elucubravit, & eius successor Casparus II. tabulas chronologicas. Iam tum alii alia quædam in historia patria elaboraverant, ut iam meminimus historiæ anonymi, quæ apud Schannatum chronicon Wirtemb. inscribitur; historiæ item motuum rusticorum Andreæ Letsch; Ioannes quoque Strölinius historiam synodi Constantiensis an. 1567. Msc. reliquit, epitomen item itineris, quod Casparus I. abbas ad Ferdinandum Imper. contra perturbationes & exactiones Wirtembergiæ ducum susceperat; aliique aliis detinebantur studiis tunc monachi San-Blasiani, dumque seculares adhuc ludimagistri trivium moderabantur, sacratiores litteras monachi tradebant discipulis.

a) T. I. Script. R. Germ. ad calcem chron. Citiz. p. 1289.

Primum iterum tunc scholæ apud S. Blasium pro secularibus sunt apertæ, quum prius scholares omnes monastico essent in habitu, ad religiosam vitam destinati. Iam etiam mentionem fecimus scholarum in monasterio Gengenbacensi, apertarum sec. XVI. quando eo in monasterio erant abbates docti, & mœcenates plerique ab exordio fere seculi, Philippus abbas ab infantia deditus bonis litteris, idcirco etiam in ab-

batem

SECULUM XVI.

batem electus, *cum eruditione & prudentia reliquos superaret*; abbas igitur, ut litteris iuventus operam daret, instituit. Fridericus eius successor scholam pro exteris per aliquot secula clausam denuo aperuit; post eum vero Gisbertus pro scholis publicis ædes ad monasterium ædificavit, atque viros doctos liberalibus stipendiis ad se pellexit.

Sed parva hæc erant etiam in comparatione eorum, quæ P. Ziegelbaur in historia litteraria Ordinis S. Bened. de collegio studiorum in Suevia a) sec. XVI. excitando profert, postquam querelas nonneminis attulisset de cantu figurato ex Italia superiore seculo in Germaniam allato, atque monasteriis illato. *Tunc vero*, aiebat ille, *monachi libros cum instrumentis musicis mutare, atque ex præstantissimis manuscriptis codicibus folles & glutten parare didicerunt. Alii cum panduris, tubis, testudinibus, alii cum citharis, fistulis, buccinis occupari. Ut quis in monasterium admitteretur, non iam ex eo quærebatur, cuius in litterarum studiis doctrinæ; sed cuius in re musica peritiæ esset.* Serius quidem hæc in monasteriis accidebant, quod instrumentalem saltem musicam attinet, intricata tamen contrapuncti, ut vocatur, musica seculi XVI. ingens exposcebat studium, facileque suffocare potuit semina litterarum, quam copiose etiam essent sata, magnaque contentione suscepta studia, uti profecto ineunte sec. XVI. in monasterio Ottoburano a Leonardo abbate, instructa etiam typographia: quare hæsitandum non fuit, dum postea abbates Sueviæ cum principe Campidonensi tractarent de collegio quodam studiorum ad imbuendos iuvenes religiosos, ut eius sedes Ottoburæ figeretur, de cuius solemni initiatione pluribus differit laudatus P. Ziegelbaur b), de disciplinis item & professoribus; nec non aliis eiuscemodi studiosis conatibus in aliis etiam monasteriis tum Sueviæ cum alibi gentium. Quædam de seminario illo Benedictino Sueviæ attingit P. Gerardus Hess in catalogo abbat. Weingart. c) allatis etiam conditionibus, de quibus anno 1542. in conventu Ottoburano fuit inter abbates conventum, locusque tradendis disciplinis aptior oppidum Legow ditionis Campidonensis habitus. Sed quum se variæ de loco opponerent difficultates, apertas fuisse Ottoburæ scholas ex litteris abbatis sui Gerwici ostendit: additque actum esse an. 1545. cum Truchsessio de monasterio Mengensi comparando & de monastico studio illuc transferendo.

a) P. IV. p. 94.

b) P. p. 97.

c) Prodr. monum. Guelf. p. 254.

Apud moniales quoque restitutum est alicubi linguæ latinæ studium eo certe sanctissimo fine, ut quas divinas laudes decantarent, intelligentia assequerentur, quod paullatim in neglectum abierat, dum ex pluribus locis V. Buschii de reformatione monasteriorum sec. XV. apud Leib-

Leibnitium conſtat a), gnaras fuiſſe latinæ linguæ moniales adhuc ſec. XV. Exemplum etiam Cruſius in annal. Sueviæ b) affert in Suevia medio ſeculo XVI. dum paullo poſt memoratum in hiſtoria litt. O. S. B. inſtitutum incepit c) Dionyſius Faucherius Prior Lerinenſis, quod quum feliciter ſucceſſiſſet, per alios etiam Ordinis Benedictini parthenones propagatum fuit.

SECULUM XVI.

a) T. II. Scr. Rer. Brunſw. p. 869. 873. 886. 891. &c.
b) P. III. lib. I. c. 9.
c) P. III. p. 351. 489.

XLVIII. Male apud non paucos audiebant politiores litteræ, tum ob irreligioſos earumdem, Italos potiſſimum, cultores Petrum Pomponatium, Angelum Politianum, Iordanum Brunum &c. cum etiam, quod turbis circa religionem fomitem dediſſe, ſint viſæ in Germania noſtra, & quidem ex Nigra ſilva noſtra accepta occaſione per controverſiam Ioannis Reuchlini Pforzenſis Nigra ſilvani cum Pfeffercornio de Iudæorum libris cremandis, ut non ſemel profitetur Bulæus in hiſtoria univerſitatis Pariſienſis: ubi totam controverſiam pluribus enarrat, tum quod Reuchlinus fuerit in academia Pariſienſi alumnus linguæ græcæ & hebraicæ peritiſſimus, tum quod facultas theologica Pariſ. d) de tota iſta lite cognoverit, ut ſuo loco refert.

Elegantiores litteræ litteratique ſec. XVI. ſuſpicionem de ſe movent.

d) T. VI. p. 47.

Initio autem ſtatim lectorem notare vult, hinc exordium ſumpſiſſe Lutheranam hæreſim, aut ſaltem hac occaſione ortam. *Cum enim*, pergit, *monachi & potiſſimum Dominicani aggreſſi fuiſſent Ioannem Reuchlinum magnæ famæ & exiſtimationis virum laceſſere, curaſſentque damnari a facultate theologiæ Colonienſis, Romam vero ille confugiſſet, & cauſam obtinuiſſet, plurimi hinc inde viri docti excitarunt ſeſe ad defendendam alterutram partem: quorum animis maxime adhuc calentibus circa an. 1516. prodiit in arenam Lutherus & Reuchlini partes, dum ſuas promovebat, ſuſtinens, Dominicanorum in ſe provocavit invidiam. Sed revera nihil habuit Reuchlinus cum Luthero commune, ſi verum eſt, quod ſcribit Eraſmus, nec unquam in errorem ullum hæreſimve conſenſit.* Hæc Bulæus.

Inter cæteros habebat Reuchlinus ſtudioſum defenſorem gentilem ſuum & diſcipulum Nicolaum Gerbelium Pforzenſem percelebrem in academia Viennenſi profeſſorem Nigraſilvanum: Eraſmum item Roterodamum, qui aliquanto tempore Friburgi commoratus, Baſileæ autem prope fines Nigræ ſilvæ ad mortem uſque vixit ancipitis certe fidei, ut eius reſponſio declarat data Baſileenſibus, eum, quid ſibi in diſſidiis illis circa religionem agendum exiſtimaret, conſultantibus, apud Urſtiſium in chron. Baſileenſi legenda e); nec ſatis congruit iis, quæ idem ſenatui Baſileenſi reſpondit ſuper Io. Oecolampadii libellum de cœna, quem

e) lib. VII c. 14.

SECULUM XVI.

elegantem & eruditum profitetur, diceretque libenter etiam chriſtianum, ſi quid chriſtianum dici poſſet, quod Eccleſiæ doctrinæ & conſenſioni eſt contrarium, a cuius iudicio recedere periculoſum ſit.

Definitior & aperta eſt Io. Reuchlini profeſſio, quam an. 1511. in epiſtola a) ad doctorem illum Colonienſem *de Tungaris*, quem ſciebat ſui libri cenſorem nominatum, dedit. *Fateor*, inquit, *in ſcholis theologiam nunquam didici*, *ſed civiles leges*: *quare datur veſtram diſputandi rationem ignorare. Eſt autem mihi nihilominus pura conſcientia*, *quod voluntas mea non avertatur a Chriſto*, *qui eſt caput Eccleſiæ. Quidquid igitur S. Eccleſia*, *quæ eſt columna & firmamentum veritatis credit*, *& qualitercunque credit*, *idem ego & taliter credo. Et ſicut ipſa exponit ſacram ſcripturam*, *ita & ego exponendam cenſeo atque confiteor. Etſi ullo tempore aliter expoſuiſſem*, *quam patiatur intellectus Eccleſiæ*, *quod tamen feciſſe me non memini*, *ego pro nunc ſicut pro tunc*, *& tunc ſicut pro nunc illud corrigere ac emendare paratus ſum*, *& ſtare omnino determinationi Eccleſiæ*, *ut integritatem in me fides incontaminata cuſtodiat.* In alia vero epiſtola ad P. Conradum Kollin Dominicanum theologiæ profeſſorem Colonienſem poſtquam fidei ſuæ integritatem ſufficienter ſibi probaſſe viſus eſſet, ea coniicit, de auctore totius diſſidii Pfefferkornio, quod de perfido illo, poſtquam ex Iudæo catholicus factus eſſet, iterum ad Iudæos deflectente facile credi potuit. *Iudæus quidem*, inquit, *baptizatus Colonienſis cognomento Pfefferkorn omnibus viribus ad hoc conatus*, *ut & ſinguli Hebræorum libri præter ſolum & nudum bibliæ textum concremarentur*, *vel potius*, *ſicut ego ipſe ſomniaſſe dicerer*, *incendio ignique tantummodo a Cæſare demandarentur*, *non ſecuta executione*, *ut ante ſcilicet executionem ſi mandatum illud auro & argento gravi*, *ut ipſemet notavit*, *aliquando revocaretur*, *particeps fieret auri.* Quis miretur, Reuchlinum huic ſe oppoſuiſſe auſui ſtudioſiſſimum litteraturæ hebraicæ, in qua reſtituenda apud omnes eam perinde ſibi laudem & exiſtimationem acquiſivit, quam Eraſmus Roterodamus in græca.

a) *Apud Bulæum hiſt. univerſ. Pariſ. T. VI. p.* 49.

Multo vero gravius undique Eraſmus petitus telis, inſimulatusque hæreſeos, vix exordiente Lutheraniſmo, ob rationem a nobis indicatam: qua de re ipſe in epiſtola ad Leonem P. iam an. 1519. *Prætexunt*, inquit, *horrenda nomina hæreſes*, *antichriſtos*: *iactitant periclitari nutareque religionem chriſtianam*, *quam ipſi ſcilicet ſuis humeris ſuſtinent*, *atque his tam odioſis admiſcent mentionem linguarum ac politioris litteraturæ &c.* Numquam is ad caſtra Proteſtantium deflectit, ſiniſtre tamen de ſe opinandi non unam cauſam dedit, redditus utrique parti

ſuſpe-

suspectus. I. Simlerus nuper Zwinglii edidit ad B. Rhenanum epistolam an. 1522. a) in qua ei scribit tamquam rem maximi momenti, accepisse se paucis ante diebus duellum, ut vocat, contentionem inter Erasmum atque Lutherum: *Propendent enim*, pergit, *omnia ad dissidium, stimulari hunc a Wittembergensibus, ut adulatorem aliquando prodat; illum a Romanensibus, ut hæreticum sibi damnosissimum extinguat: quæ res quantum mali datura sit christianis, coniectura non opus habes &c.* Tuitus est se hoc ipso Erasmus, quod inter alios adversæ partis ipse Lutherus virulentissima contra se scripserit, in epistola b) ad collegium Sorbonicum an. 1527. data, quum inaudisset, damnatos fuisse & censura notatos nonnullos articulos e libris suis excerptos, ut apud Bulæum legere est c). Deinceps etiam eodem adhuc anno die 22. Iunii in comitiis generalibus actum de colloquiis Erasmi, quæ a facultate theologica censura fuerant notata: postulatumque, uti censura illa a cæteris facultatibus approbaretur, & confirmaretur. Legitur postea apud eumdem Bulæum d) Erasmi epistola a Ludov. Berguino Erasmi Hyperaspiste in *Gravia* exusto, ad Carolum Utensiovium data apud Friburgum Brisgoiæ calendis Iulii an. 1527.

a) *Sammlung alter und neuer Urkund. erst. B. p.* 105.

b) *Apud Bulæum p.* 201.

c) *p.* 210.

d) *p.* 217.

In academia Friburgensi non unus sese ob Lutheri amicitiam patrociniumque suspectum reddidit etiam ex theologis Io. Brisgoius, de quo Udalr. Zasius ad Lutherum scribens e) famulumque Ioannis de Schönau commendans, *qui*, inquit, *totus ex tuis pendet præscriptis, assiduus & lector & imitator tuarum præceptionum, qui etiam a decem annis Taulero studuit, qui & ductum præstantissimi theologi Brisgoici studuit, Brisgoici, inquam, cui nihil post sacras litteras nisi Lutherana sapiunt.* Sed retraxit pedem ipse etiam Zasius, quam primum palam Lutherus Romanæ ecclesiæ insectari cœpit dogmata, ut ad eius vitam epistolis præmissam ostendit Ios. Rieggerus f) imprimis an. 1534. observatque ex Zasio, Friburgensem academiam ob integritatem fidei catholicæ mirifice crevisse, advenientibus quotidie magistris & scholaribus ab oppido Tubingen, Lutheranam perfidiam detestantibus. Affertur ibidem ex actis in senatu Friburgensi, exposuisse inter alia iam an. 1524. 21. Iulii doctorem Zasium senatui de fugiendis conventiculis sodalitiisque, in quibus de Lutheranorum fermento, zizania & hæresi disputatur: deinde de omnibus libellis Lutheri & complicum eius non legendis, edendis, divulgandis, atque eis non mittendo litteras, aut eis scriptas retinendo, sed aut lacerando, aut Rectori præsentando.

e) *Epist.* 242. *ed. Riegger.*

f) *p.* 132. *&c.*

XLIX. Constituerat Ferdinandus archidux apud se an. 1575. Iesuitas in academiam Friburgensem introducere, prout iam ab an. 1551. Iesuitæ.

SECULUM XVI. erant in academia Viennensi ex consilio Urbani episcopi Labacensis S. Ignatio per litteras familiaris. Sed auditis momentis Senatus academici Friburgensis, a proposito destitit.

Insistebat academia Friburgensis aliarum, imprimis Universitatis Parisiensis vestigiis. Omnium Ordinum per christianum orbem oculos in se convertit tam subito efflorescens Societas Iesu: ipsumque hoc commovit nomen, perculitque animos, ne videretur contra decalogi tabulam primam nomen Dei in vanum assumi. Accesserunt deinceps primo statim hoc seculo Iesuitico opiniones et dogmata singularia, quæ sua sibi propria visus est facere Ordo, etsi Ordinis capita præcipua fuerint, quibus alia sedit sententia, veluti alteri post S. Ignatium Generali Laynezio de Gratia et Libero arbitrio, Gonzaletio postea in Morali christiana. Circa hæc vero iam lites motæ primo hoc Iesuitico seculo, efferbueruntque Molinisticæ imprimis controversiæ, dum Ludov. Molina in libro *de concordia gratiæ & liberi arbitrii* S. Augustini de Gratia concutere cœpit doctrinam ac systema etiam D. Thomæ; statim vero sese opposuerunt ceteris acrius Dominicani: unde ad finem huius seculi Romæ cœpti sunt conventus seu congregationes de *auxiliis* magno animorum motu inter Dominicanos & Iesuitas habitæ, dum interim Benedictini veteribus exemplis edocti ipsimet, numquam controversias illas sine gravibus in Ecclesia motibus agitatas fuisse, pacate degunt, novumque exorientem Iesuitarum Ordinem præ ceteris suspiciunt, ab auctore eius allectati.

S. Ignatius Loiola conversionis suæ fundamenta posuit in monasterio B. M. V. Montserratensis Ord. S. B. an. 1542. sub magisterio Io. Clanonii eiusdem monasterii monachi, a quo accepit Garciæ Cisnerii eiusdem monasterii abbatis an. 1510. defuncti *Exercitatorium vitæ spiritualis*, non multo post typis impressum. Idem S. Ignatius cum primum sibi socios Parisiis an. 1554. coniunxisset eo præprimis fine, ut potestas Romanæ sedis & ecclesiæ a Luthero in Germania impetita, & obedientia conculcata restitueretur, in monasterio Montis martyrum cum sociis prima, & an. 1556. iam tertium etiam vota sua emisit semper in festo Assumtionis B. V. M. Postea vero in monasterio Cassinensi Regula composita, quum iam rata esset Romanæ sedi Societas & confirmata, vota solemnia Romæ an. 1561. nuncupavit apud S. Pauli extra urbem monasterium Benedictinum.

Dum vero postea accessum in academiam Parisiensem quærerent Iesuitæ an. 1564. interrogati an monachi essent an seculares? an revera

monachi

monachi regulares an seculares? tergiversati sunt, ut apud Bulæum legere est, a) quasi haud dignos se arbitrarentur, qui tam sanctum atque perfectum vitæ genus profiterentur. *Horum enim institutum*, addunt *alìud in aliis officiis honestis ac sanctis obeundis versatur: totum nostrum cum aliis in rebus, tum maxima ex parte in studio & professione consistit earum artium, quæ ad spiritualem populi propriamque utilitatem conducunt. Nec etiam seculares sumus eo modo, quo reliqui sacerdotes; vivimus enim in congregatione & Societate certis quibusdam legibus & constitutionibus non a summis modo pontificibus, sed etiam a regibus Galliæ christianissimis, Gallicana ecclesia Poissiaci congregata, denique a concilio generali receptis atque confirmatis.* Sequuntur apud Bulæum b) rationes Universitatis contra receptionem Iesuitarum, & postea curionum seu parochorum Parisiensium, qui se perinde ac mendicantes, San-Genovefiani, præfecti nosocomiorum, episcopus ipse Parisiensis cum clero & consules urbis Iesuitis opposuerunt totis viribus, quum iam admissi in urbem a Synodo Pisciaca an. 1564. gratis inciperent docere, magna frequentia. Dum vero receptionem suam in academiam Parisiensem urgent oblato libello supplici, ita est in privatis selectorum comitiis conclusum c): *Si simpliciter hi, qui Iesuitæ appellantur, responderint, an ut regulares tantum, an ut seculares recipi ab academia postulent, Universitas faciet, quod decebit.* Sic iterum an. 1575. facultas artium censuit d), Iesuitas interrogandos sedulo, quales sint, quam velint vitam agere, & an sint regulares an seculares, regularem an secularem vitam velint eligere; quod si dicant *Tales quales*, non censet eos admittendos e). Et sic ad finem usque seculi actum est; ut etiam omnino eiicerentur, totaque pellerentur Gallia, agente præsertim Universitatis Causidico Antonio Arnaldo, obiecto etiam ceu ambitioso Societatis Iesu nomine f), quæ omnia longe lateque laudatus Bulæus edisserit toto illo seculo Universitatis octavo, in synopsi vero ad calcem rem colligens attestatur g), nec quidquam Universitatis intercessionem, cui se episcopus & clerus Parisiensis, civitas, Mendicantium Ordines adiunxerunt, evicisse. *Hinc*, addit, *frequentantur eorum scholæ magno numero scholarium, & academiæ depopulantur.* *Magno id quidem detrimento splendoris academici, at magno certe bono catholicæ religionis, fatentibus etiam ipsis, qui vehementius eos insectati sunt. Quippe dici non potest, quam brevi tempore Ordo iste in immensum excreverit, & ab omnibus gentibus quasi unanimiter receptus sit, quanto vero cum fructu in barbararum nationum ad Deum & ad christianismum conversionem, hæreticorumque ad catholicam fidem reductionem incubuerit.*

a) *Hist. Univ. Parif.* p. 586.

b) p. 663.

c) ib. p. 654.

d) p. 745.

e) p. 814.

f) p. 817.

g) T. VI. p. 916.

SECULUM XVI.

Ecclesiæ ubique terrarum incrementa.

L. Divinam hic adorare licet providentiam, quæ quam Ecclesia fecit apud nos in Germania, aliisque Europæ regionibus iacturam, compensavit in aliis terræ partibus, ut iam libro superiore observavimus de missionibus Benedictinorum in novo orbe duce Buellio cum sociis Montserratensibus monachis missis a pontifice, ordinatisque episcopis & presbyteris ad constituendas, pastoribusque instruendas novas fidelium caulas, a quibus etiam prima monachorum & clericorum collegia per Indias sunt constituta, scholæ & seminaria instituta. Fuit Romæ præsens, quando ea missio adornaretur cum Hispaniæ legatis Fernandus Consalvus, qui de laudato Buellio, *iste*, inquit, *caput fuit aliorum religiosorum & clericorum, qui Deo in conversione harum gentium Indicarum inservire & progredi instituerunt.*

Hoc itaque zelo apostolico in conversione gentium animatus S. Ignatius, qui apud Montserratenses initia suæ conversationis ac velut fundamentum posuit vitæ apostolicæ tyrociniumque sacræ militiæ apud suos instituendæ, addito consuetis tribus solemnibus quarto de Missionibus voto. Ad quod strenue exequendum accepto an. 1540. a pontifice Romano mandato, homines idoneos undique sibi consociavit, formavitque nullo non labore & studio.

Primus vero S. Franciscus Xaverius a S. Ignatio an. 1542. in eas Indiarum provincias est profectus, quæ tunc Portugalliæ parebant; inde postquam innumerabilem multitudinem hominum ad christianam fidem convertisset, an. 1549. in Iapponiam appulsus mira celeritate ecclesiam illic numerosissimam, longo tempore florentem, constituit, dum idem præstiturus apud Chinenses in itinere moritur an. 1552. labore illo nuspiam non fructuoso, sociis relicto, certatim a S. Ignatio in omnem terram missis, non ad gentiles tantum, verum etiam extorres a vera ecclesia schismaticos & hæreticos veterum Nestorianorum, & Monophysitarum, Iacobitarum reliquias quaquaversum per Orientem apud Indos, in Abyssinia, Ægypto, Armenia, Assyria.

Assyriorum patriarcha an. 1562. Romæ Pio IV. pontifice professionem fidei catholicæ fecit, de felice hac Assyriorum christianorum cum Ecclesia Romana coniunctione Patribus Concilii Tridentini certioribus redditis, ut apud Raynaldum ad h. a. legitur num. 28. &c. non solum de Assyriis, verum etiam Armeniæ pluribus populis ad unitatem ecclesiæ catholicæ redeuntibus, cum Iacobitis etiam redintegrata unione, quæ ab Eugenio IV. in Concilio Florentino facta fuerat.

An.

An. 1585. Gregorio XIII. pontifice duo Iaponiæ reges in Bungo & Arima, princeps item in Omura per legatos Romanæ Ecclesiæ se subdiderunt Iesuitarum opera, perinde ac an. 1594. sub Clemente VIII. Gabriel patriarcha Alexandrinus, ut apud Euseb. Renaudot in historia patriarcharum Alexandrinorum legere est.

SECULUM XVI.

Siquidem vero parum firma fuerunt huiusmodi ecclesiæ catholicæ incrementa, erat tamen semper fructuosus Deo benedicente apostolicus labor, fuitque deinceps ac est maior numerus eorum, qui alibi gentium, in America præsertim novo orbe Ecclesiæ catholicæ sunt aggregati, quam qui relicta avita fide secessionem fecerunt ab una, sancta, catholica & apostolica Ecclesia, cuius solatii causa excursionem hanc ex Nigra silva nostra feci in orbem christianum pro epilogo historiæ Sec. XVI. admodum opportuno, quando extrema iam instare visa sunt mundi pericula, Deus autem Ecclesiæ suæ per orbem dispersæ tam benigne prospexit, ut dum incrementa maxima alibi gentium caperet, etiam in se contra inferi portas inconcussa consisteret: quod notavit tunc temporis in nostra vicinia Petrus Canisius S. I. hæreticæ pravitatis per Germaniam inquisitor in litteris ad Ioannem Abbatem Weingartensem an. 1574. datis, apud P. Gerardnm Hess a): *In ultima*, inquit, *mundi huius scena, qua omnia ad ultimam metam procedere, ac iam iam corruere videntur, Deus Ecclesiam suam sanctumque suum cœlum mirabili potentia ac divinitate a multivariis hæreticorum telis venenatisque dogmatibus illæsam ac incontaminatam conservat, idque in divinis præsertim, quæ singulari divinoque spiritu excitat, ingeniis operatur. Videt enim, quanta dulcedine perniciosa adversariorum tela, quibus Ecclesiam suam invadunt, exasperata sint, quibus ut præveniat, doctrina & pietate præclaros ubique viros quos Ecclesiæ suæ protector constituit, quique divino spiritu inflati Ecclesiam suam veraci verbo a crudelibus hæreticorum doctrinis protegunt, eligit ac divina clementia sua exsuscitat.*

a) *Prodromus monument Guelph. p. 282.*

LIBER XII.

Nigra Silva seculo Christi XVII. Ordinis S. Benedicti XII.

I.

Controversiæ Moliniſticæ,

Multo quam tunc existimatum est, perniciosius portentosiusque fuit seculum, post Christum natum, decimum septimum malis, quæ nostra etiamnum persentit ætas, dum sensim excluduntur ova, pullique maturescunt ævi superioris.

SECULUM XVII.

In ipso ecclesiæ gremio editus a Lud. Molina an. 1588. liber de Concordia gratiæ & liberi arbitrii ansam præbuit congregationibus de auxiliis Romæ ad finem sec. XVI. cœptis institui a Clemente VIII. continuatisque initio XVII. sec. in præsentia quidem ipsius summi pontificis, a quo identidem exspectabatur iudicium. Disceptabatur quidem potissimum auctoritate SS. Augustini & Thomæ Aquinatis a fundatore Societatis Iesu S. Ignatio eiusque successore P. Lainez suis commendata ac præscripta. Sed dum mysterium gratiæ Christi & prædestinationis captui humano accommodatur, negotiumque salutis, quod cum timore & tremore operandum est, a nobis ipsis suspenditur, in præceps abitur, acciditque quod semper alias, dum S. Augustinus in theatrum veluti adducitur.

Iansenisticæ.

II. Fecit hoc ingenti apparatu Cornelius Iansenius episcopus Iprensis spisso opere AUGUSTINUS inscripto, doctrinamque in ecclesia sanctorum, in ascesi christiana unice salutarem, in discrimen adduxit, interpretationibus obfuscatam, quæ in quinque potissimum propositionibus fuerunt damnatæ, a septuaginta episcopis Gallicanis Romam delatis. Minus hac re commota fuit sec. XVII. Germania atque adeo Nigra Silva nostra, quam doctrina Molinistica, quam veluti inadvertens in scholis Iesuitarum, ad quas etiam monachi Nigrasilvani cum cæteris ablegabantur, hausit; lentius tamen in arenam descendit in hac & aliis novis controversiis non solum in theologia, verum etiam in iurisprudentia sacra Ultramontanistis disceptationibus, quas sec. XVII. potissimum Card. Bellarminus commovit per librum de potestate Papæ, unde tantæ pullularunt de limitibus utriusque potestatis lites, atque etiamnum utramque detinent rempublicam. Sic etiam nomen Iansenisticum non se continuit in Iansenii Augustino eiusque de gratia & prædestinatione doctrina, sed etiam theologiam moralem invasit contentione cum Molinistis Iesuitis, qui doctrinam moralem corrumpere sunt visi.

Spinocismus.

Dum hæc ipsam ecclesiam catholicam in suis visceribus exagitant, exurgit aliud longe deterrimum velut eminus, labente iam seculo, portentum in Benedicto Spinoza Iudæo Belga, qui non abhorruit palam, constituta in tractatu theologico ipsa natura deo, profiteri atheismum, quem quidem facile præsagire potuit Lutherus, concesso cuique religionis arbitrio ac conscientiæ libertate, qua, ut experientia docet, non potuit non in præceps agi sibimet relictum ingenium humanum.

Frustra tentatus reditus Protestantium ad gremium eccles.

III. Sic sane frustra esse debuerunt omnia illa toties facta in conciliandis controversiis fidei pericula, hocque sec. XVII. perinde ac XVI. tentata unio partium in religione christiana dissidentium Protestantium-

que

que. Nihil non ea in re egit Card. Richelius in Gallia, etiam dum adhuc esset episcopus Luconiensis, editaque est post eius mortem an. 1650. facillima & securissima methodus convertendi eos, qui sunt ab ecclesia separati. Frustra quoque colloquium instituit curavit inter Audebertum Iesuitam & Mosen Amyraldum. Frustra etiam eius rei causa Gallias circumivit Fr. Veronius proposita methodo solis scripturæ verbis rem agendi, quam etiam suo modo adoptavit Bartholdus Nihusius ex Lutherano Catholicus, cuius extat in eam rem liber seu ars nova dicto unico S. Scripturæ lucrandi e pontificiis plurimos detecta & suggesta theologis Helmstadiensibus, ubi erat prius discipulus Georgii Calixti, qui librum hunc refutandum suscepit. Taceo Iesuitas, inter alios Iac. Masenium & Iod. Reddium, fratres item Walenburgicos, Valerium Magnum Capucinum, quem Urbanus VIII. huius rei causa in Germaniam misit & alias hæresi infectas provincias, ubi ad rem iudicium de catholicorum & acatholicorum regula fidei edidit. Ad nos cumprimis attinent susceptæ hac in re curæ ab imperatoribus Carolo V. & Ferdinandis perinde ac vergente iam ad finem sec. XVII. a Leopoldo in imperio Germanico. Commisit is rem an. 1691. rescripto Christophoro Rocho de Spinola episcopo Neostadiensi in inferiori Austria ac Croatiæ Primati, qui eam prius iam, suscepto in Germaniam itinere, apud varias aulas egerat, tractandam vero a cæsare instructus suscepit cum Gerlado Woltero Molano ex parte Protestantium Confessionis Augustanæ, qui via & ratione, qua rem ineundam existimavit id quod modo annotavimus, satis declaravit, dum unionem partium dissidentium faciendam statuit ante discussionem dogmatum controversorum; de quibus vero recte prius inter adversas partes conveniendum existimavit, antequam unio fieri possit & communio ecclesiastica Benignus Bossuetus episcopus Meldensis, quem sibi succenturiavit Spinola: isque in confessione sua fidei iam constituit æquas ex parte Catholicorum, præcisione dogmatum, conditiones, rem deinceps cum Gottfrido Wilhelmo Leibnitio agitando, qui post Molanum negotium suscepit, in quo is, tolerantiæ in religione studiosissimus, imprimis infallibilitatem ecclesiæ labefactandam sibi sumsit, qua missa, nemo non videt, nihil concors in religione, nihil stabile in fide unquam esse, atque adeo nullam unionem in ecclesia, ubi quot capita, tot sententiæ esse possent.

Bella ob religionem suscepta.

IV. Quodsi vero recte hoc suum Palladium tenent protestantes, ut quid tot ac tanta religionis causa suscepta bella, ob quæ seculum decimum septimum undique humano madens sanguine, merito sanguinolentum dicitur, patriæ nostræ internecinum?

SECULUM XVII.

Etsi vero in remotioribus a plaga nostra terris arma primum perstrepuerint, ad nos tamen attinuerunt ob austriacos principes imperatores simul ac reges Bohemiæ & Hungariæ, ubi primum bella religionis causa suscepta fuere iam ad finem sec. XVI. faventibus Turcis atque exemplo præeuntibus, quorum nempe religionis caput est, armis eam proferre & constabilire. Cum Hungaris ineunte sec. XVII. consociationem fecerunt Austriaci patrocinante Mathia fratre Rudolphi II. imp. eas provincias cum corona Hungarica, ac postea etiam Bohemica extorquente. His in angustiis Cæsar Bohemiæ Ordinibus *sub utraque*, ut vocabantur heterodoxi, per *litteras maiestatis* concessit an. 1609. ut suis in fundis templa extruerent. Quod illi privilegium liberalius interpretati, in oppido etiam Brunoviæ, quod pertinet ad dominium abbatis eius loci Ord. S. Benedicti, templum erigere suscipiunt an. 1618. alterumque Clostergrabii, ditionis archiepiscopi Pragensis. Mathias mortuo fratre Rudolpho an. 1612. imperator renunciatus, velut in alterum hominem mutatus, religionis Catholicæ tutelam suscepit, imprimis vero Ferdinandus II. eius post mortem an. 1619. successor etiam in imperio Germanico: ubi iam an. 1610. principes Protestantes Ulmæ mutuam religionis causa unionem fecerunt, contra quam Catholici se liga sociarunt Herbipoli. Unionem illam iterum an. 1617. confirmarunt protestantes, quidquid illis obtenderet imperator: dumque ab ineunte seculo arma pararentur, data quælibet levis occasio apta erat ad concitandos emotos animos: qualis certe erat illa Donawerdana ob supplicationem publicam a Patribus Benedictinis ad S. Crucem an. 1606. habitam; dum tamen postea Protestantes Germani nihil pensi habentes atrocissimum facinus, proiectorum an. 1618. Pragæ per fenestras regiorum ministrorum, nihilominus causam Bohemorum rebellium tuendam susceperunt, antesignano Friderico Palatino, quem Bohemi, spreto Ferdinando, in regem advocarunt, eique Pragæ an. 1619. solemni ritu coronam imposuerunt; quam tamen vix per hyemem tenuit, dictus idcirco der Winter-König, qui accepta ad Pragam in albo monte clade, non solum regno Bohemiæ, verum etiam Palatinatu suo eiectus, hinc inde oberravit. Amisit etiam regia tunc Palatinatus Heidelberga locupletissimam bibliothecam, tum aliorsum tum potissimam sui partem Romam, ubi etiamnum Vaticanum ornat, transportata, quod conqueritur Fridericus in litteris ad electorem Saxoniæ an. 1623. ante conventum Ratisbonensem datis, prout legere est in Theatro Europæo ad eum annum. a)

Dum hæc in Bohemia agerentur b), Cæsarem etiam attentum reddiderunt motus apud Grisones Rhætosque, in episcopatu præsertim Curiensi,

a) *T. I. p. 733. & 734.*

b) *Vid. P. Gerard. Hess Prodr. mon. Guelph. p. 404. &c.*

tiensi, ubi victimæ pro religione Catholica ceciderunt Nicolaus Rusca archipresbyter Sonderensis, & P. Fidelis de Mayenfeld, iam in sanctorum martyrum album relatus, Capucinus ex vicino Nigræ silvæ oppido Simmeringen oriundus, eaque ex provincia PP. Capucinorum, quæ Nigram Silvam pervadit, an. 1622. finita concione fustibus rebellantium rusticorum Brettogoviensium apud Sefflis trucidatus.

Tricennale.

V. Attigimus initia funestissimi toti Germaniæ belli tricennalis an. 1618. instaurari cœpti a rebellibus Bohemis, Fridericum Palatinum regem sibi constituentibus, qui dum Pragæ a Maximiliano Bavariæ duce cæderetur, Hispani, Ferdinando fœderati, Palatini terras invadunt, ac occupant; propius etiam ad Nigram silvam nostram a Tillio Georgius Fridericus marchio Durlacensis fugatur an. 1622. quo iam ingens pretium pecuniis accreverat in nostris plagis, atque adeo etiam annonæ & vino, ut apud Ioan. Ulricum Steinhofer cernere est in historia Wirtembergica ad an. 1621. & proxime sequentes, ita ut an. 1623. aureus, quem ducatum vocant ad fl. 13. quem vero aureum florenum vocant, ad 10. assurgeret, ut tamen anno proximo 1624. correspondentes mutuo convenientesque Augustæ Vindelicorum Circulorum Franconici, Bavarici & Suevici Argyrognomi eum modum ponerent, ut ducatus 2. fl. & 20. kr. florenus aureus 1. fl. 44. kr. valeret, nec ultra ducatus quam ad 3. fl. & aureus florenus ad duos assurgeret; grassante tamen undique bello iam an. 1625. variis in locis fami ex raritate caritateque annonæ pedissequa pestis accessit in Bohemia, Austria, Suevia, ita ut anno sequenti in Wirtembergia, eodem teste Steinhofero, 28000. hominum ea abriperentur, annisque proximis totam corriperet Nigram silvam ac devastaret; una cum armis, quæ quidem aliquamdiu tam victricia habuit Ferdinandus imp. ut an. 1629. dictator ecclesiastica bona a tempore pacis religiosæ direpta restituenda decernere posset, & executioni dare etiam in Nigra silva, restitutis monasteriis in Wirtembergia & marchionatu Durlacensi, dum ecce Germanico imperio irrumpit infaustus Gustavus Adolphus rex Sueviæ, atque post victoriam an. 1631. apud Lipsiam reportatam, Germaniam inundat, apud Lützen postea etiam occumbens victor. Cum tamen sui postea apud Nordlingam vincuntur an. 1634. res monasteriorum Nigræ silvæ redintegrantur, victore Ferdinando III. R. R. ipso præsente rem ordinante in Wirtembergia: ubi discedens, comitem de Sulz constituit satrapam. Compulsus est etiam hostis Brisgoiam, quam capto Brisaco occupaverat, urbesque silvestres, quibus eo locorum cingitur Nigra Silva, deserere (ubi an. 1633. Lud. Rhingravii ope Fridericus Durlacensis cum oppidis Brisgoiæ etiam Sil-

SECULUM XVII.

veſtres occupaverat) Cæſareis ubique victricia arma proferentibus, donec iterum. an. 1638. cæſis a Bernardo Vinarienſi duce ad ſuperiorem Rhenum, expugnata Rhenofelda & paulo poſt Friburgo, poſt obſidionem octo menſium & repetitas contra Cæſareanos, urbi in oppetias occurrentes, victorias, Briſacum ſe tandem hoſti dederet: in Wirtembergia autem licet varia eſſet belli alea, nihilominus ad pacem uſque Weſtphalicam ſuo quodammodo in ſtatu manſit res Catholica.

Pax Weſtphalica.

VI. Iam an. 1635. cum electore Saxone pax Pragæ inita erat, feſſæque partes belligerantes reliquæ de ea ſerio cogitant. Ferdinandus III. poſt mortem patris imperator an. 1637. comitiis imperii eius rei gratia indictis, ipſe præſens an. 1640. fuit Ratisbonæ cum diſcrimine etiam, cinctus fere ab adventante milite Sueco.

Interea vero temporis Nigram ſilvam non ſolum exercitus Saxo-Vinarienſis, mortuo licet an. 1639. Bernardo Vinarienſi heroe proximis annis infeſtabat, verum etiam Gallicus. An. 1643. mutuus erat per Nigram ſilvam tranſitus exercitus Vinarienſis & Bavarici, qui an. 1644. hoſti Friburgum, identidem a Suecis occupatum, ut poſtea dicemus, extorſit, ſicque ad extremam miſeriam redigitur patria, dum iam pacis tractatus exordium ſumunt, cui maximum impedimentum iniecerunt occupata a proteſtantibus bona eccleſiaſtica, catholicis ſtatibus eorum poſſeſſioni primum terminum ſexaginta annorum ſtatuentibus; quoad ipſum vero terminum reſtituendorum proteſtantes diu inhærebant anno 1618. poſtea anno 1621. demum utrimque annus 1624. placuit; unde duci Wirtembergico & marchioni Badenſi ea monaſteria in Nigra ſilva ceſſerunt, de quibus ordine dicemus ſingillatim, alia vero aliis principibus multo ampliora eccleſiaſtica beneficia tam mediata, quam immediata. Interceſſit quidem, ſed fruſtra, Romanus pontifex, atque ad id etiam induxit regem Hiſpaniæ haud invitum, ſeſe a Cæſare deſertum querulantem, nunquam deinceps penitus ex animo dimiſſa deletaque ſimultate, irrecuperabili domus Auſtriacæ damno, quod maximum ineunte tandem ſeculo ſequenti experta eſt per teſtamentum Caroli II. Hiſpaniarum regis, quo poſtpoſita familia ſua Habſpurgo-Auſtriaca, monarchia Hiſpanica principibus Burbonicis ceſſit.

Bella alia.

VII. Quanta fuerit Galliarum adverſus Auſtriacam domum præterito ſeculo æmulatio, auctore imprimis Card. Richelio a) non diffitentur Galli ſcriptores, teſtimoniumque reddit P. Barre conventionis inter Galliæ & Sueciæ reges factæ, ſtipulata huic ab illo pecuniarum ſumma an. 1631.

a) *Hiſt. d'Allemagne T. IX. p. 602. &c.*

ad

ad inferendum sustinendumque per sex annos contra imperatorem bellum. Posteaque protritas Suecorum res erexit, indicto gestoque bello, quo in pace Westphalica Alsatiam Suntgoviamque reportavit, haud prius etiam sancita iam pace (qua restituendæ fuerant urbes silvestres cum reliqua Nigra silva Austriaca, Brisgoia item & Ortenavia ad promontoria eius Silvæ) militem ex his regionibus revocaturus, donec provincias illas transrhenanas Gallis cederent etiam Hispani fœderati.

Post res cum Gallis, Suecisque pace Osnabrugensi & Monasteriensi compositas, pauci intercesserunt anni, dum novis ob religionem turbis vicinia nostra ad meridionalem plagam (interea dum an. 1650. Christina Sueciæ regina ad castra Catholica, relicto regno hæreditario, accedit) turbatur; acciditque, ut quæ prius perfugia dederunt sodalibus suis Helvetica monasteria, propinqua imprimis Rhenaugia, ea vicissim acciperent an. 1656. quo ex Rhenaugia 12. Einsidla 2. Wettinga. 2. e S. Gallo 7. ad monasterium S. Blasii adventasse notantur; alios in Annal. Zwifalt b) commemorat P. Sulger Benedictinos Helvetos in Suevia, quibus deinceps etiam occasio fuit eadem nostratibus, vicinis imprimis utrique genti Nigrasilvanis exhibendi officia in bellis Gallicis, quæ per decursum seculi huius XVII. frequentia Nigram maxime infestarunt, confeceruntque silvam, non Austriacæ tantummodo ditionis ac gentis, cum qua hoc seculo sæpe captata est bellandi occasio, quæ visa est aliquando a nostris plagis remotior ob Belgium, quod dicitur Hispanicum, id iam an. 1668. Ludovico XIV. ceu dotem uxori suæ Theresiæ debitam, sibi repetente: quo quidem eodem adhuc anno composito, non multo post iterum Belgio, ac quidem Hollandiæ primum, longius a nobis dissitæ bellum intulit Gallus, cui anno sequenti suppetias condixerunt status imperii an. 1674. in comitiis Ratisbonensibus ab imperatore in partes tracti.

b) *T. II. p.* 274.

Ad Nigram silvam nostram apertum est anno sequenti theatrum belli, dum Montecuculius bellum in Alsatiam translaturus apud Oberkirch in Ortenavia exercitum collegit, eum vero Turenius dux copiarum Gallicarum prævenit, traiecto Rheno ad Wilstadium Schutteram inter & Kintzingam amnes, ex Nigra silva profluentes. Turenius prope Saspacum, haud procul a promontanis Nigræ silvæ oppidum præfecturæ Oberkirchensis, quod exussit, castrametatus, dum hostium exercitum explorat, tormenti ictu occubuit.

Mansit in his plagis theatrum belli, dum Carolus Lotharingiæ dux exercitui cæsareo præfectus in locum Montecuculii an. 1678. ut Crequium contineret prope Offenburgum a Brisgoia Sueviaque, abrupta

SECULUM XVII.

Nigræ silvæ iuga, iter antea intentatum periclitatus, exercitu in quatuor partes diviso, feliciter est transgressus.

Secuta est anno sequenti pax Neomagensis, imo potius belli induciæ, quod iam iterum an. 1682. exarsurum timebatur, dum Leopoldus imp. cum plerisque imperii principibus fœdus contra Gallum iniit ob Argentoratum, anno superiore in potestatem receptum; vicennales nihilominus induciæ Ratisbonæ Cæsarem inter & Gallos sunt factæ, de quibus iam anno præcedenti agebatur, quando Turcæ, animati a Töckelio Transsilvaniæ tyranno (cum identidem iam a fine seculi præteriti XVI. rebelles alii etiam Hungari cum Turcis communem causam belli agerent) non exspectato induciarum vicennalium termino, rapidissima incursione arma per Hungariam, cuius quam plurimas urbes vi, metuve cum suis rebellibus iam præoccupaverant, Viennam usque ducto exercitu ducentorum millium, protulerunt, quæ universæ Germaniæ exitium minabantur.

In tanto periculo passim etiam Religiosi arma corripiebant, quod de Mellicensibus in chronico illius monasterii scribit P. Schramm a), multaque singularia in prolixo diario, relationeque eorum, qui tunc præsentes adfuerunt, affert de obsidione illa, qua tamen die 12. septembris anni eiusdem urbs, atque adeo tota Germania maximo periculo, Deo propitio, fuit liberata, proximisque annis immanis Turca tota Hungaria fuit eiectus, ac victricia arma cæsarea in Bulgariam usque ex Servia excurrerunt, in quarum provinciarum confinio insignem victoriam retulit Ludovicus Badensis an. 1689. postquam iam anno præterito copiarum cæsarearum a suo exercitu esset revocata pars ob illatum Germanis a Ludovico XIV. Galliarum rege bellum, quo Badenses ditiones depopulatum esse hostem nuncius Ludovico detulit in ipso Nissensis prælii ardore.

a) p. 934. &c.

Excidium idem funestissimo bello hoc, quo Crequius incendiarius dux exercitus Gallici palam profitebatur, esse sibi a rege signata loca mille ducenta, quæ incenderentur, perpessæ etiam sunt reliquæ Badenses terræ, quæ ad Fridericum Durlacensem pertinebant, sese in Nigram silvam protendentes, perinde ac Wirtembergenses, cum Palatinis, Spirensibus & Wormatiensibus: atque adeo omnis oræ Rheni superioris plaga, flamma & ferro deleta, solo æquata est, urbibus in busta, agris in deserta conversis: quod de ditionibus Badensibus in historia Badensi latius exponit Dan. Schœpflinus b), vallum etiam & aggerem describens, quem Ludovicus Badensis, ut Germaniam tegeret, excogitavit, effectuique dedit, postquam an. 1693. cæsareo ad Rhenum præfectus est exercitui, ab ordinibus circuli Suevici

b) T. III. p. 210. &c. & T. IV. p. 331. &c.

ad

ad hoc iam anno superiore, datis ad imperatorem litteris, expetitus. Vallum nempe duxit a Rheno ad Nigram silvam, ubi passim hodieque eius cernuntur rudera, Heilbrunnam usque ad Nicri litus, ubi tanta arte castra posuit, ut dextra & sinistra eorum pars in collibus posita, bellicis instructa tormentis aditus omnes præcluderent, atque adeo exercitus mediocris numeroso & audacissimo hosti inexpugnabilis esset, frustra tentante Lorgio exercitus Gallici duce, ut eum ex castris suis expelleret, qui ter repulsus a transitu Nicri in ducatum Wirtembergicum & in stratam montanam se effudit: frustra etiam ipse Delphinus e Flandria adventans, ad augendas Lorgianas copias, in his suis castris Ludovicum aggressurus die 2. Augusti, Nicro traiecto, in arenam descendit. Dum vero Lorgius haud procul Rastadio ad Kuppenhemium oppidum consedit, Badensis de hostium reditu certior factus, relictis prioribus castris, Nicrum transivit, Lorgioque Nigræ silvæ aditum præclusit.

SECULUM XVII.

Proximis annis 1694. & 1696. hostem propius in suis terris aggressurus Ludovicus transivit Rhenum, quem etiam postea vallis & aggeribus Nicro iunxerunt, adiectis munimentis, ubicunque facilis esset traiectus, dum iam pax agitatur Ryswici in Belgio, quo tota fere Europa convenerat, conclusa cum Gallis an. 1697. cæptaque agitari cum Turcis apud Carlowizium, quæ ad finem seculi ab universis fuit confirmata.

In anteriore Austria apud urbes silvestres motus & incursiones.

VIII. Miris modis divina providentia conservavit sec. XVII. Habspurgo-Austriacam pietatem contra hostes christiani nominis, catholicæque ecclesiæ ac fidei, quam integram ac illæsam conservavit in amplissimis regnis ad defectionem pronis ac rebellibus, eamque publicis edictis in omnibus terris hæreditariis sanciverunt Ferdinandi II. & III. nec quidquam ei in publicis pacificationibus decedi sunt passi periculosissimis temporibus maximisque in discriminibus per integrum fere seculum inter continua bella & hostilitates foris ac intus a propriis quaquaversum subditis.

In continuatione chronici Basileensis ab anno 1610. usque 1620. memorantur ad an. 1612. a) & sequentes inquieti subditi Austriaci in urbibus silvestribus, Rhenofelda speciatim, de quibus officium Austriacum in Rheinfelden senatum Basileensem monuit, isque statim cavit, ne eis arma ex castro Brattelen concederentur: advenit quoque anno sequenti 1613. Egmond de Roppach Friburgo eiusdem rei causa missus, ob eandemque Fridericus marchio Badensis cum urbe Basileensi litteris egit, ac ipse archidux Maximilianus, qui an. 1614. nuncios idcirco Basileam destinavit Georgium de Ostein & Leonardum Gabelium doctorem iurium Consiliarios regiminis anterioris Austriæ, nec non Umbertum de Wessenberg & Ioannem Reinbold scribam urbis Ensisheim, quorum propositionem

a) *Fortsührung der Basler Chronick, viertes Buch. p. 129. seqq.*

SECULUM XVII.

positionem coram senatu factam ibidem affert a), factamque relationem ex qua constat, rem non tam oppidanorum quam paganorum seu ruricolarum Hauensteinensium fuisse, qui se exactionibus gravatos contendebant, atque hostiliter in oppidum Waldshut irruentes, ex Rheinfelden etiam manu armata vexillum provinciale, *Landfahnen*, expetebant; res vero opera conventus Helvetiorum Badensis est composita, persuasis ad tranquillitatem rebellibus. Vocabatur bellum hoc seu rebellio *der Rappenkrieg* ob novum obulum mensuræ cuique vini impositum. Rebellium Hauensteniorum rusticorum animositas nostro imprimis hoc seculo monasterio S. Blasii fuit funesta.

a) p. 142.

Quum postea an. 1633. miles Suecicus urbes has silvestres duce Ottone Lud. Rheni & Silvæ comite petit, ea res inter se commisit cantones protestanticos & catholicos, qui irruptionem hanc contrariam esse mutuis pactis dicebant, asserente eadem in conventu Badensi nomine Claudiæ archiducissæ Uratislao comite de Fürstenberg, Maximiliano comite de Pappenheim, qui tunc landgraviatum in Stühlingen Alpegoviæ nostræ tenebat, pro Suecis perorante, prout in Theatro Europæo legere est b), nec non recepta eodem anno a cæsareis quatuor illa oppida c), frustraneam item anno sequenti factam a Suecis aggressionem urbis Rhenofeldensis d), præliaque, quæ an. 1638. prope Beucken & Rheinfelden Austriacos inter & Suecos acciderunt, quando Bernardus Vinariensis dux nullo quidem negotio reliquas tres urbes occupat, ab obsidione autem Rhenofeldensi (accurrentibus cum milite Austriaco & Bavarico, Werthio, Fürstenbergio, Savellio & aliis) Laufenburgum recedere cogitur, instructa tamen acie primum ancipite, postea incautos cædit, capit ipsos duces Io. de Werth & Savellium, urbemque ad deditionem compellit, pace postea Westphalica cum cæteris restitutam. Eandem frustra postea bello Gallico an. 1679. obsedit Crequius; Choiseulius vero parte copiarum præmissa cum Starembergio sub ipsis urbis mœnibus conflixit. Seckingam anno præcedente a iam decreto incendio liberarunt duo Capucini Crequio adgeniculati: cuius ordinis tria sunt in urbibus silvestribus monasteria, Rhenofeldense ad finem sec. XVI. constitutum, a Suecis incensum, perinde ac Laufenburgense, quibus iterum restitutis tertium Waldishuti est additum an. 1654. a Francisco abb. S. Blasii cruce posita.

b) P. III. p. 89. 96 &c. 125.
c) Ib. p. 209.
d) Ib. p. 911. &c.

In Brisgoia Friburgum & Brisacum capta.

IX. Ante urbes silvestres Sueci iam ad finem an. 1632. in festo SS. Innocentum Friburgum Brisgoiæ occupaverunt, cum reservatione tamen privilegiorum ac religionis, uti refertur in recensione Rectorum academiæ præmissa fasciculo I. Amœnitatum litterariarum Friburgensium p. 20.

&

Seculum XVII.

& mox ad annum ſequentem die 21. Octobr. S. Urſulæ cum ſociis ſacro, eoſdem pacifice deſeruiſſe iterum Friburgum milites Suecos, ductore & ſupremo commendatore Friderico Ludovico Kanoffkſi de Langendorf, relictis iis, qui erant in arce Burghald, qui in profeſto omnium Sanctorum etiam ipſi ab arce deſcenderunt; anno autem ſequenti (quo Hiſpani fœderati duce de Feria Rhingravium compulerunt obſidionem Briſacenſem ſolvere) urbs iterum a Sueco milite fuit occupata, locum tenente nobili a Gaudeck, iterum tamen huic urbi valedicente in feſto S. Lamberti, cuius corpus ſervatur Friburgi, feſtuſque dies dominica diem 17. Septembris ſequenti ſolemni agitur ritu. Menſe Aprili an. 1637. ut ibidem narratur, tertio fuit occupata civitas Friburgenſis a Bernardo duce Vinarienſi, poſtquam fruſtra tentavit oppidum Kenzingen, quod etiam iam an. 1634. fortiter obſidionem ſuſtinuit. Vigore tranſactionis in deditione Friburgenſi Studioſi, præſertim qui aderant extranei, cum militibus cæſarianis emigrarunt.

Obſeſſum an. 1638. Briſacum, invictum ad Rhenum munimentum, poſt diuturnam obſidionem, internecina tandem fame duci Vinarienſi ad deditionem venit, conditionibus in Theatro Europæo relatis a). Extrema tentarunt cæſariani, ut urbem obſidione liberarent, poſtremum iam vergente menſe Octobri obſeſſam a mareſchallo Götze, qui iterato repulſus, dum decem millibus militum comes de Fürſtenberg ex Bohemia adductis exercitum cæſareum auget, vano Conſilio ad urbes ſilveſtres divertit, ulteriuſque timore hoſtis, cui dux Longewilleus 9000. militum adduxerat, in Nigram ſilvam ſe abdidit. Captam urbem quidem fruſtra Galli a duce Vinarienſi, dum viveret, obtinere contenderunt, traditam demum poſt eius mortem ab exercitu eius, ut in Barrii hiſt. Germaniæ legitur. b) Apud Briſacum an. 1644. dux Enquien, traiecto Rheno haud procul Friburgo, quod Mercius cæſari reſtituerat, d. 27 Iulii Bavaros fudit.

a) *P. III. p. 1024. &c.*

b) *Hiſt. d'Allemagne T. IX. p. 706. &c.*

In bello Gallico an. 1677. dum a Crequio obſidebatur Friburgum, Schulzius, cui concredita erat urbs, defuiſſe cenſetur officio, qui in exercitu Gallico olim ſtipendia meruerat, quod innuit in reſponſione ad denuntiationem, ut urbem dedat, uti legitur in relatione de hac obſidione Pariſiis an. 1679. Gallice edita; proditionis tamen convinci non potuit. Galli poſt captam urbem die 15. Novembris, excurſione tamen adhuc in Nigram ſilvam facta verſus oppidum Waldkyrch, quod in cinerem redegerunt cum vicinis caſtellis, ad hyberna Rhenum tranſierunt. Fruſtra dein ineunte vere an. 1678. Carolus IV. dux Lotharingiæ recuperare urbem tentavit, quippe quem Crequius prævertit, tranſitoque Rheno

SECULUM XVII.

duobus pontibus, redux in Brisgoiam Brisacum inter & Friburgum consedit aliquamdiu. Neque adduci potuit in pace Noviomagensi an. 1679. Gallus ad reddendam urbem.

Capta urbe academia in exilium fuerat acta, dispersis undique docentibus pariter ac discentibus, atque ad finem demum an. 1684. Gallorum auspiciis omnium quatuor facultatum professores constituti sunt; sed academia Austriaco-Albertina, cum novem omnino annos dissoluta exulasset, Leopoldi M. imp. auctoritate Constantiam translata, restaurataque est, ut in iam laudatis Amœnit. literar. Friburg. narratur p. 25. Friburgum ad cæsarem rediit ad finem tandem sec. XVII. cum *fortalitiis recens per Brisgoiam & Herciniam erectis.*

Villinga sola immuni.

X. Inter hæc fortalitia una urbs Villinga nulli unquam hosti bellicoso hoc seculo XVII. patuit, plurimos licet insultus & insidias perpessa, a ducibus præsertim Wirtembergiæ, annis præcipue 1633. & 1634. sub tutela militum Suecicorum, ex quibus primus procus fuit Marcus Rholinger, levi manu urbem in potestatem redigere in animum inducens. Quod dum haud successit, Bernardus de Giltingen & chiliarchus Rauch cum decem millibus armatorum urbem, nomine ducis Iulii, administratoris Wirtembergiæ, minorenne adhuc duce Eberhardo III. ad deditionem expostulavisse leguntur in festo S. Galli, accessisseque postea ipsum Iulium, ac dein Bleichhartum de Helmstatt curatorem provincialem.

Prima vero obsessio cœpta dicitur undecima Ianuarii an. 1633. per archistrategum Wirtembergicum, quando subito liquefacta nive glacieque illam deserere post dies quatuordecim hostis est compulsus, rediturus æstate auctus milite ac duce Suecico Gustavo Horn cui etiam chiliarchus Degenfeldt, cum res non succederet, accessit, u in Theatro Europæo legitur a); sed dum ab appropinquante exercitu fœderato quinquaginta millium armatorum, qui Constantia urbe ab hoste liberata, in Alsatiam rediit, periculum incumbit, obsidio 30. Iunii cœpta solvitur 5. Octobris, ut tamen urbem infestare non cessarent Wirtembergici, succederetque mox anno sequenti tertia, Eberhardo III. iam maiorenni ducatum tenente, obsidio a die 16. Iulii, quam vocant *die Wasser Belagerung*, ex inundanti supra modum torrente Bruga, ab hoste quidem in perniciem urbis curata, ut tamen perrupto aggere hostem obruere minaretur, cogeretque receptui canere nona Septembris, fusis prætere a eo anno apud Nordlingam Suecis, Wirtembergiaque in Austriacam provinciam redacta a Ferdinando III. qui urbi ad resarcienda damna proventus

a) *P. III. p.* 100.

ventus dynaſtiarum in Hornberg & Duttlingen conceſſit. Mutata quidem poſtea belli alea: divina nihilominus providentia urbem ſervavit ab intentata internecione an. 1641. admoto iam ad portam illius ariete, prout hæc pericula deſcribuntur in impreſſo Oeniponti libello inſcripto *Villinger Mayen Sträuſslein;* priora vero illa fata bellica in Mercurio Villingano conſcripto a Io. Bapt. Stridlin, qui etiam alium libellum edidit Rottwilæ an. 1634. inſcriptum *Lydius Auſtriacus*, in quo fidelitatem civitatis Villinganæ erga Auſtriacam domum manifeſtam facit. Notant Villingani duos præterea annos, quibus a magnis periculis ſe ereptos Deo in acceptis ferunt. an. 1677. & 1688. quo provide declinarunt, eluſeruntque inſidias D. Chamillii, quibus dolo urbi præſidium imponere tentavit, ex Argentorato, cui præfectus erat, excurſione facta in Sueviam, capiendæ urbis Villinganæ primario propoſito, atque ex condicto.

SECULUM XVII.

XI. Quæ Wirtembergiæ vicinæ ſunt ditiones Auſtriacæ, atque etiam catholica urbs imperialis Rottwila bello Suecico ſimilia fata, non eadem, qua Villinga felicitate ſunt eluctatæ. Iam an. 1632. ſeptima Auguſti archiſtrategus Schaffelizky cum mille equitibus comitatum Hohenbergicum invaſit, oppidumque Horb obtinuit, dum interim miles Wirtembergicus Tubingæ oppidiſque Nigraſilvanis Herrenberg, Nagolt & Wildberg in præſidio eſt. Eodem anno 27. Decembris Rottwila civitas ſeſe Wirtembergicis dedere coacta eſt, initioque ſequentis anni Poltringen & Oberndorf ad Nicrum duci Wirtembergiæ homagium præſtitit. Apud eundem fluvium ſexta Febr. eiuſdem anni 1633. urbi Rotenburg a Sueco & Wirtembergico milite captæ, præſidium impoſitum eſt.

Urbium ad Nicrum fata.

Recuperata ſunt hæc quidem cum aliis omnibus, ipſaque Wirtembergia occupata poſt prælium Nordlinganum; ſed enim prout eſt varia belli fortuna, an. 1643. iterum die 7. Febr. Rothenburgum occupavit miles Vinarienſis, Bavarus vero Tubingam, quo iterum cum aliquamdiu Vinarienſem exercitum, per Nigram ſilvam ad Rhenum properantem inſecutus eſſet, rediens, 18. Iulii oppidum Sulz exſpoliavit.

Circa finem menſis Octobris dux Vinarienſis Rottwilam obſedit, ac 7. Novembris cepit, ſed dum paucis poſt diebus a Ioanne de Werth apud Tuttlingen profligatus eſſet, Rottwila a Io. de Werth obſeſſa, poſt octo dies recepta eſt, iterum a Guebriano Gallico archiſtratego expugnata, ſed ingenti damno ac ſuomet interitu, qui colliſo per glo-

 bum,

SECULUM XVII.

bum, dum fossas obit, brachio, eoque postea abscisso, extinctus est, id unicum ante mortem solatium nactus, quod animati a se milites urbem in deditionem acciperent.

Res Wirtembergicæ.

XII. Duces Wirtembergiæ, cum iam inde ab exordio sec. XVII. arma ob dissidia in religione cuderentur, non videbantur in partes abituri. Qui præsentes erant funeri Friderici ducis an. 1608. Wolfgangus Wilhelmus comes Palatinus & Io. Fridericus marchio Badensis, nihil non egerunt apud eius successorem Ioannem Fridericum, ut eum ad unionem cum protestantibus principibus, quam iam tunc actitabant, pellicerent; contra vero dux coniunctionem animorum inter status imperii diversæ fidei conciliare studebat, cæsarique addictus, conabatur cum duce Lotharingiæ Fridericum Palatinum post regnum illius Bohemiæ hibernum, in cæsaris gratiam reducere an. 1626. Hoc studio pacem in suis terris, circuloque Suevico, cuius capitaneus erat, usque ad mortem an. 1628. conservavit.

Eius in administratione ducatus ac tutela Eberhardi III. minorennis successorem Ludovicum fratrem in partes abstraxit edictum Ferdinandi II. an. 1629. de restitutione bonorum ecclesiasticorum, perinde ac Iulium Fridericum fratrem, cui Ludovicus Fridericus moriens administrationem & tutelam Eberhardi adhuc minorennis reliquit an. 1631. qui mox ad conventum Lipsiensem nuncios delegavit fœderique illi protestantico accessit, cui tamen tractatu Tubingano cum Egone Furstenbergico in imperatoris gratiam renunciare debuit, copiasque dimittere, quas ad 16000. in castris apud Tubingam habuerat contra Furstenbergium in Wirtembergiam ex Italia 20000. adducentem; nihilominus ad partes protestantium prosperis rebus Suecicis rediens, post prælium Nordlingense an. 1634. Argentoratum recedere compulsus, ibidem anno sequenti obiit, cum iam an. 1633. Eberhardo III. regimen consignasset, qui cum auxiliares copias ad exercitum Suecicum misisset, Nordlingæ mox fusum, ditiones suas hosti relinquere coactus fuit, peste ac fame multo adhuc amplius devastatas. Anno 1638. equidem a Ferdinando III. plerasque suas ditiones recepit, cum Bernardo tamen Vinariensi postea agens, invadensque Austriacas Sueviæ ditiones, ut meminimus, Bavaricum exercitum imprimis infestum in suis terris expertus est etiam Nigrasilvanis, exustis an. 1645. Nagolta & Calwa oppidis; nec ante annum 1649. vertentem Tubingam aliaque Wirtembergiæ loca in Nigra silva Schiltach, & Hornberg evacuarunt Bavari, cum iam anno præcedenti per pacem Westphalicam restitutus esset in plerasque omnes possessiones suas ac iura: quibus accesserunt complura monasteria profanata etiam Nigrasilvana,

filvana, quæ inter facile celeberrimum fuit Hirfaugienfe, in quo an. 1677. mortuus eft Wilhelmus Ludovicus Eberhardi fucceffor, poft quem eius frater Fridericus Wilhelmus adminiftrationem ducatus accepit tutor ducis Eberhardi Ludovici. SECULUM XVII.

XIII. Beneficia, quæ vi pacis Weftphalicæ duci Wirtembergico, eadem etiam marchioni Bado-durlacenfi obtigerunt; fed etiamnum inter utramque Domum fervet lis de duorum in Nigra filva fitorum monafteriorum Albæ dominorum & Reichenbaci poffeffione, quam marchiones ex hæreditate comitum de Eberftein fundatorum ad fe pertinere contendunt, duces vero Wirtembergiæ hactenus a poffeffione deiici non potuerunt. Erat utrumque monafterium ditionis Wilhelmi Badenfis, cum an. 1648. in inftrumento pacis Weftphalicæ inter monafteria duci Wirtembergico reftituenda duo etiam hæc nominarentur, proteftante Wilhelmo atque ius fuum profequente, quod falutare fuiffet religioni avitæ, fi res ita deinceps ceffiffet, uti cum monafterio Albæ dominarum Badenfis fecerat, illud monialibus an. 1622. reftituendo, quod Erneftus confeffioni Auguftanæ addixerat, moniales renitentes & abbatiffam carceri mancipando. Badenfes.

Eft hic Erneftus ille Fridericus, qui a Lutheranis ad calviniana caftra tranfiit, atque hæc dogmata Durlacenfibus an. 1600. obtrudit; quod dum etiam apud Pforzheimenfes, obfequium detrectantes, vi admota facturus effet, in itinere conftitutus moritur an. 1604. Pforzhemii fepultus, porta Nigræ filvæ, in quam etiam excurrit marchia Hachbergenfis, quæ ex hæreditate Iacobi marchionis, quem libro fuperiore vidimus ad facra catholica tranfiife an. 1595. Georgio Friderico acceffit, cui iam an. 1584. ex divifione fraterna cum Badenvillanis ditionibus Saufenbergicæ & Rötelanæ ditiones, a caftris in Nigra filva dictæ, obtigerunt, acerrimo fectæ Lutheranæ tutori in bello tricennali, in quo exercitum educens folus contra Tillium, apud Wimpinam an. 1622. fugatur inito prælio, quod agnofcente Schœpflino a) non modo Badenfium & Palatinorum, fed & Germaniæ proteftantium tunc fortunam proftravit. Ex fententia Ferdinandi II. fuperiorem mox marchionatum Wilhelmo memorato cedere compulfus eft Fridericus filius eius natu maior, cui pater paulo ante regimen refignavit: idemque an. 1624. copiis cæfareis, Pforzhemium capientibus, cum minus tutum fe cerneret, terras fuas iterum reliquit, iterumque an. 1634. poft prælium Nordlingenfe omnibus fuis fpoliatus ditionibus, cum aula fua Argentinam fe recepit, ibique vel Bafileæ reliquum belli tempus tranfegit; pace Weft-

a) *Hift. Bad. T. IV. p. 197.*

SECULUM XVII.

Westphalica restitutus, post mortem anno. 1659. reliquit Friderico filio natu maiori regimen.

Natu vero minimus ex numerosa prole Gustaphus Adolphus in ecclesia catholica ordine Benedictino illustris fuit. Religionem catholicam professus est primum in Alsatia apud Franciscanos Hermelshemii prope Molshemium, solemniter vero postea Romæ an. 1663. atque Bernardi Gustavi nomen accepit, in memoriam B. Bernardi marchionis Badensis, quem nuper Clemens XIV. P. solemni ritu sanctorum albo adscripsit. Anno 1664. in exercitu Leopoldi imp. archistrategus, accepto vulnere in prælio apud montem S. Gothardi in Hungaria, arctius se religioni adstringere in animum induxit, atque in monasterium Rhenaugiense sese abdens, religioso an. 1665. suscepto habitu, quævis monasticæ vitæ exercitia perinde ac reliqui monachi alacriter obiit. Quæ aliaque memorabilia de eodem Bernardo Gustavo, facto postea a Clemente XI. Cardinale E. R. quum iam esset princeps & abbas Fuldensis ac postea etiam Campidonensis, prosequitur P. Mauritius Hohenbaum van der Meer in succincta historia sui monasterii, edita ex occasione anni millenarii fundationis an. 1778.

Furstenbergicæ.

XIV. Ex illustrissima Nigræ silvæ veluti inquilina familia Furstenbergica an. 1664. a Leopoldo I. imp. principum Imperii axiomate est ornatus & prærogativa Hermannus Egon, cuius tamen filius demum Antonius Egon eo titulo est usus, atque insignes prorsus hierarchiæ fratres Franciscus Egon & Wilhelmus Egon, uterque episcopus Argentoratensis sec. XVII. quorum ille S. R. E. Cardinalis Maximiliano Henrico electori Coloniensi tam charus fuit, ut illi abbatias Stabulensem & Malmundariensem cederet; hic vero eiusdem electoris, vel potius regis Galliarum causa gravissimo se discrimini commisit, dum eius opera rex Galliæ utebatur, ad electorem in suas partes abstrahendum, peculiaremque transactionem inter cæsarem & electorem impediendam. Quum de pace ageretur an. 1673. ducis Lotharingiæ, quem Galli ad tractationem admittere renuebant, & Guilielmi Egonis causa totum illum conventum abrupit, Furstenbergicusque an. 1674. 4. Februarii a submissis militibus interceptus, diu detentus fuit arcte etiam Viennæ, libertati restitutus, atque etiam Franciscus Egon frater dignitati vi pacis inter cæsarem & regem Galliarum an. 1679. quum postea an. 1687. de coadiutore Maximiliano Henrico electori Coloniensi dando ageretur, instante potissimum Maximiliano Emanuele duce ac electore Bavariæ, ut frater suus Iosephus Clemens iuvenis adhuc designaretur coadiutor, cuius partes imperator

contra

contra Wilhelmum Egonem suscepit, qui an. 1682. Francisco fratri in episcopatu Argentoratensi successerat, ineunte etiam an. 1688. cardinalis, promovente rege Galliarum, quæ præcipua causa fuit illati an. 1688. a rege Galliarum patriæ nostræ belli, quo primum Galli traiecto apud Argentoratum Rheno in vicinas ditiones, Badensem imprimis ac Wirtembergensem invadentes, ferro flammisque sævierunt. Capto iam Philippopoli edictum edidit rex, se eam urbem ac Friburgum redditurum, siquidem cardinali Furstenbergico electoratus Coloniensis redderetur. Reiecta ab imperatore, cui etiam pontifex consentiebat, conditione, continuatur bellum.

Eo in bello an. 1689. Leopoldus Marquardus de Furstenberg apud Moguntiam occubuit post multos alios heroes Furstenbergicos, qui pro religione & patria vitam dederunt, an. 1639. Leopoldus Ludovicus in obsidione Dietenhofen, an. 1640. Albertus apud Hohenwiel: an. 1676. Ios. Maximilianus apud Philippopolim: an. 1684. Fridericus Christoph. apud Budam: an. 1686. Franciscus Emanuel apud Belgradium. Nec prætereundus est Iacobus Ludovicus Sator lineæ Donaueschinganæ, qui in bello tricennali apud Lahnam ditionis Monasteriensis in Westphalia victor a Ferdinando II. an. 1624. vexillis tormentisque bellicis aucta insignia accepit, sequensque epiphonema:

Fernandus merito tua sic insignia cingit!
Quantum præstiteris, pugna Loana docet.

Neque vero minus celebrati in toga fuerunt sec. XVII. Furstenbergici in utraque republica, ut vel sæpe laudati Franciscus & Wilhelmus Egones fratres argumento sunt, civilique in statu Uratislaus I. ineunte hoc seculo XVII. præses Imperialis consilii aulici, Grandis Hispaniæ, ubi etiam ditionibus auxit familiam ex altera coniuge Catharina Livia *de la Verda terra*: quum iam an. 1608. matrimonio iunctus Margarethæ principi in *Croy* auspicium dedisset novæ Furstenbergicæ lineæ Blombergensi post divisionem factam ex stirpe Furstenbergica vallis Kinzinganæ in Nigra silva. In hac linea hæredes Christophorus II. & memoratus Uratislaus I. post mortem Alberti I. antequam eisdem landgraviatus Barensis in Nigra silva an. 1620. accessisset, divisionem inter se fecerunt, ut, quod ditiones Nigrasilvanas attinet, Christophoro dynastia Haslacensis, Blombergensis & vallis Prechtalensis relinqueretur, Uratislao vero Hausacensis & Wolphacensis cum Möhringana. Post mortem Christophori an. 1614. relictis tribus filiis minorennibus Uratislao II. Otto-

caro

SECULUM XVII.

caro & Friderico Rudolpho, inter hos & memoratum Uratislaum I. an. 1620. Barensis landgraviatus, qui ab an. 1597. communi familiæ possidebatur dominio, divisus fuit. At vero Blombergensis linea statim in filiis Uratislai I. emarcuit: ex quibus Albertum II. paulo ante memoravimus an. 1640. apud Hohenwiel occubuisse, moxque anno sequenti eum secutus est in æternitatem frater unicus Franciscus Uratislaus, cui edicto Ferdinandi II. an. 1634. ablata a directorio Suecico dynastia Blombergensis cum Löffingana est restituta. Iam tunc alteri lineæ, vallis Kinzinganæ nempe, accesserat an. 1631. landgraviatus Stuhlinganus matrimonio Maximilianæ unicæ filiæ Maximiliani S. R. I. mareschalli comitis de Pappenheim cum Friderico Rudolpho iam memorato, posteaquam landgraviatum Stuhlinganum per seculum fere Pappenhemii possederant, qui an. 1532. post mortem Henrici de Sulz ad Conradum de Pappenheim Maximiliani patrem defunctum an. 1603. fuerat devolutus gratia Maximiliani II. imp.

Aliarum Nigræ silvæ dynastiarum vicissitudines.

XV. Landgraviatum Stuhlinganum Conradus an. 1603. mortuus, reliquit filio Maximiliano defuncto an. 1639. post unicam filiam Maximilianam, quæ ex Friderico Rudolpho Furstenbergico suscepit Franciscum Maximilianum hæredem, hicque Prosperum Ferdinandum nuptum Sophiæ comit. de Königseck Rotenfels, occubuitque an. 1704. in obsidione Landaviensi. Dum identidem primores Nigræ silvæ familiæ deficiunt sec. XVII. novæ succedunt haud minus illustres. Familiæ comitum de Sulz in bello tricennali oppidum & dynastia id nominis an. 1635. ab imperatore reddita est, mox tamen iterum ducibus Wirtembergiæ restituta.

Landgraviatus etiam Cleggoviensis cum dynastia Thiengensi oppidi Alpegoviæ in Nigra silva per Mariam Annam filiam Io. Ludovici comitis de Sulz & hæredem, Ferdinando Wilh. Eusebio de Schwarzenberg copulatam, delatus fuit ad familiam Schwarzenbergicam, ex qua principali axiomate auctus est an. 1670. Wilhelmus I. Ferdinandi Wilhelmi parens.

Hohengeroldseckii etiam, ad quos anterioribus seculis præcipuæ comitum de Sulz possessiones cum ipso oppido & dynastia Sulzensi devenerunt, sec. XVII. extremum fatum sunt experti, mortuo an. 1634. Iacobo ultimo generis, & anno 1649. Anna Maria unica filia nupta primum Friderico Solmensi, postea Friderico V. Badensi marchioni; cui ac posteris per integrum seculum de legitima hæreditate decertandum fuit.

fuit. Apud Schœpflinum in historia Badensi a) exponuntur eiusdem etiam Friderici V. postulata, quod attinet dynastiam Staufensem, cuius familiæ ultimus Georgius Leo an. 1602. sine prole decessit, quo eodem anno Georgius Fridericus marchio vicos Balrechten & Tottingen cum marchia Hachbergica coniunxit b).

SECULUM XVII.

a) T. IV. p. 253.

b) Id. p. 141.

Quæ sunt residuæ in Nigra silva ditiones ac terræ, præter eas, quas indicavimus ad maiores pertinere gentes statuum Brisgoiæ & Sueviæ illustrissimarum familiarum, illæ fere sunt, quæ nunc specialem cantonem constituunt liberorum equitum ad Nicrum & Nigram silvam, qui cum cæteris cantonibus coniuncti iura & libertatem suam seculo imprimis XVII. strenue contra ducem præsertim Wirtembergiæ sunt prosecuti. Extant in Theatro Europæo c) Ferdinandi II. litteræ ad Francicos & Suevicos equites dehortatoriæ, ne quid contribuant ad præstationes bellicas in conventu Lipsiensi a Protestantibus condictas.

c) P. II. p. 336.

XVI. Conditio belli præsertim tricennalis suapte hierarchas Imperii Germanici implicuit, atque inter hos præ cæteris Nigræ silvæ metropolitam Moguntinum electorem. Ioannes Suicardus de Cronberg, de Sickingen materna ex familia, quam rerum in Nigra silva potitam superiore libro indicavimus, ut deinceps eius successores imperatoribus sec. XVII. augustæ domus Austriacæ officia sua fideliter exhibuit dignitate archicancellarii. Eo munere an. 1624. Maximilianum Bavariæ ducem electoratus dignitate ornavit, quo tunc Palatinus ab imperatore fuerat exutus.

Hierarchæ metropolitæ Moguntini.

Variam deinceps Moguntia sortem fuit experta an. 1631. a Suecis, & an. 1647. a Gallis occupata, quo ipso anno obiit Anselmus Casimirus, Georgii Friderici successor.

Ioannes Philippus de Schönborn vero egregiam operam in negotio pacificationis Westphalicæ navavit; ipse tamen postea cum electore Palatino an. 1667. bello implicitus ob ius Wildfangiatus, in quo sequenti anno confirmatus est Palatinus. Moguntinus vero, ut Germaniæ tranquillitati prospiceret, quum an. 1672. fœdus mutui auxilii cum electoribus Trevirensi & Saxonico, nonnullisque Imperii principibus ac imperatore iniviffet, anno sequenti in pace quievit.

Eamdem tranquillandæ patriæ curam successor Lotharius Fridericus de Metternich studiose est prosecutus cum suis successoribus Damiano, Hartardo & Carolo Henrico: postea vero Anselmus Franciscus de Ingel-

 heim,

SECULUM XVII.

heim, dum an. 1688. Galli pacis inducias rupiſſent, illis tradere Moguntiam eſt compulſus, anno ſequenti a fœderatis obſeſſam ac receptam.

Epiſcopalis ſedes Conſtantiæ.

XVII. Fortiter vero pertulit hoſtium aſſultus urbs Conſtantia, obſeſſa in bello tricennali a Suecis, ſed fruſtra an. 1633. quo ad eam obſidendam ſupremus militiæ Suecicæ præfectus Hornius atque Vinarienſis dux Bernardus ex plaga quoque Helvetica concurrerunt, capto oppido Stein, quæ res fœderatos Helvetos multo adhuc amplius, quam occupatæ tunc etiam urbes ſylveſtres commovit. Strenue urbem tuebatur Maximilianus Wilibaldus comes de Wolfegg.

Eius frater germanus tunc erat Ioannes VI. epiſcopus Conſtantienſis poſt inſignes omnino ſec. XVII. huius diœceſis epiſcopos, Ioannem Georgium de Halweil virum litteratum & admodum religioſum, qui diœceſim ampliſſimam ipſe cum uno ſacellano obivit viſitando, at ab anno 1601. ineunte tantum uſque ad initium an. 1604. ſedem epiſcopalem tenens reliquit Iacobo comiti de Fugger eodem adhuc menſe Ianuario, quo obiit anteceſſor, electo.

Frequentem is ſynodum diœceſanam celebravit an. 1609. cuius acta habentur T. VIII. Conc. Germaniæ a), cum catalogo prælatorum, collegiorum, decanatuum, omniumque utriuſque ſexus monaſteriorum ad ſynodum vocatorum tam exemptorum, quam non exemptorum b); tam eorum, qui per ſe, vel per alios comparuerunt, quam illorum, qui omnino emanſerunt. Primus, qui in ſua perſona comparuit abbas, nominatur Martinus abbas S. Blaſii; Martinus item abbas S. Georgii, Io. Iacobus S. Petri, & Ioannes S. Trudperti Nigraſilvani, qui cum aliis nomine monaſteriorum, collegiorum, & capitulorum, ut legitur in actis diei quintæ, varia gravamina ſynodo obtulerunt ratione ſtatutorum ſynodalium, prout iam ante ſynodum concepta, tunc lecta fuerunt c): tum vero in palatio epiſcopali ex prælatorum numero ſelecti ac deputati Patres ſuam de conſtitutionibus ſynodalibus ſententiam edixerunt, eamdemque in ſcripta redactam, prout a reliquis etiam ſtatibus factum eſt, obtulerunt Iacobo epiſcopo, qui anno ſequenti conſtitutiones & decreta eiuſdem ſynodi Conſtantienſis publicavit, mortuus an. 1626. d) eius vero ſucceſſor

a) p. 823.
b) p. 841.
c) p. 838.

d) Haud abs re erit hic exſcribere, quæ de eo P. Gerardus Heſs in Prodromo monum. Guelph. p. 388. narrat ex commentariis monaſterii Weingartenſis, ubi ſæpiſſime & libentiſſime fuerat diverſatus. A primo etenim momento, quo huc venerat, & loci ſitu, & diſciplinæ conſuetudine captus adeo fuit, ut monaſticæ ſolitudinis amore ſeſe pontificatu abdicare ſerio conſtitueret, facta inter lacrumas petitione. Verum abbas noſter (Georgius) quum eccleſiam

fucceffor Sixtus Wernerus de Prasberg mox quidem anno fequenti, ut tamen poft Ioannem VI. iam laudatum comitem de Wolfegg, Francifcum Ioannem ex fratre nepotem fucceſſorem haberet, hic vero an. 1689. Marquardum Rudolphum de Rodt, qui epiſcopatum tenuit ad initia feculi præfentis XVIII. quo iam tertius eius familiæ eft epiſcopus Conſtantienſis Maximilianus poſt germanum fratrem Fr. Conradum S. R. E. cardinalem. SECULUM XVII.

XVIII. Sedes epiſcopalis Spirenſis præcellentes ad unum omnes fec. XVII. antiſtites habuit: & quidem poſt Eberhardum ab an. 1581. epiſcopum uſque ad an. 1610. ſimul Imperialis cameræ ſupremum iudicem, omnes deinceps fuerunt etiam electores Imperii: Philippus Chriſtophorus Trevirenſis an. 1623. electus, retento ſimul epiſcopatu Spirenſi, in quo vivente adhuc Eberhardo an. 1609. in coadiutorem accitus fuit. Spirenſis.

Rerum potitus, arcem Udenheimenſem erexit, munimentiſque egregie munitam a ſuo nomine Philippopolim dictam, veluti Troiam quamdam, ac turbarum etiam bellicarum, exſurgentiſque paullo poſt bellis tricennalis cauſam. Eam Fridericus Palatinus, ſuis terris pernicioſam, atque privilegiis urbis Spirenſis adverſam, adductis auxiliaribus aliis principibus proteſtantibus, ex noſtratibus duce Wirtembergico & marchione Badenſi, an. 1618. eſt demolitus, cauſa mutuis ſcriptis conſignata, quæ in Theatro Europæo leguntur a), ubi etiam munimenti ichnographiam cernere eſt; in altera vero parte, quomodo Hiſpani poſt varios conflictus ex Palatinatu an. 1632. profligantur, relicta etiam urbe Spirenſi, quam antea Suecis extorſerant, iterum a copiis imperialibus a) P. I. p. 21.

 an. 1635.

tam utili & ſollicito paſtore fraudare nec poſſet, ſimulato conſenſu preces ſuſcepit, ea tamen conditione, ut quum ipſe noſſet, primum monaſticæ perfectionis fulcrum obedientiam & propriæ voluntatis abnegationem eſſe, ab hac, ſi candide vellet, virtute inciperet. Libenter annuit princeps. Ergo, inquit abbas, ſi meo vivere arbitratu & vere & ſincere ſpondiſti, tibi in virtute ſacræ obedientiæ præcipio, ut ſtatum perfectiſſimum epiſcopatus retineas, nec mihi quidquam obloqui præſumas. Dolo pio circumventum ſe ſentiens piiſſimus præſul, obtemperavit quidem, ſed eo pacto, ut ipſe ſibi in paſcendis, & dirigendis ovibus cum iuſſis, tum conſiliis adeſſet & adiutor. Solitus exin quotannis ſæpius ad monaſterium pervenire, tanta in confratrum ſuorum (ſic enim monachos vocitabat) corona perfundebatur lætitia, ut ab eis neceſſitate cogente non tam diſcedere, quam divelli videretur. Divo Benedicto, ciuſque filiis adeo devotus, & addictus erat, ut proventus annuos ex monaſterio Augienſi ad ſe devolutos in nullos alios, niſi cœnobii uſus converti voluerit, honorem ſibi maximum arbitratus, ſi aſceterio tam antiquo, & muros reſtitueret & diſciplinam. Quod utrumque etiam egregie, & ad æternam ſui nominis memoriam laudabiliter perfecit: nolens, ut ipſe aiebat, me in mortis articulo divum Benedictum habere accuſatorem, quem in hoc periculoſo momento percupio patronum & defenſorem.

SECULUM XVII. an. 1635. expugnatam eodem sub episcopo, qui expleto bello tricennali in pace an. 1652. obiit.

Successorem nactus est Lotharium Fridericum de Metternich archiepiscopum postea etiam Moguntinum. Defunctus is an. 1675. sedem Spirensem Io. Hugoni de Arsbeck, quem iam vivens coadiutorem perinde ac Trevirensis archiepiscopus habuit, reliquit, sub quo urbs a Gallis an. 1689. incensa, ipse vero vitam usque ad an. 1711. perduxit.

Argentoratensis. XIX. Sedes episcopalis Argentoratensis etsi sec. XVII. summos principes habuerit antistites, res tamen in ea catholica restitui usque ad finem fere seculi ex integro non potuit, diviso capitulo cathedrali protestantico & catholico, quod Molshemii veluti exul subsistere debuit integro propemodum seculo ad annum usque 1681. ab an. 1592. quo Carolus Lotharingicus sedem obtinuit, atque ineunte seculo XVII. cum duce Wirtembergico transactionem fecit circa ditionem Nigrasilvanam in Oberkyrch, quam dux pro numerata pecunia ad annos usque triginta accepit: re penitus composita an. 1604. quo episcopatum suum, in quo vix pacifice sederat, Leopoldo Austriaco resignavit, qui an. 1625. omnium SS. Cœnobium Ord. Præmonst. in Nigra silva transferri in præposituram Oberkyrch permisit, ultimo sedis suæ anno cedens episcopatum Leopoldo Guilielmo nepoti suo ex fratre Ferdinando II. imperatore. Dum conventio an. 1604. facta ad quindecim annos inter capitulares catholicos & protestantes an. 1619. finem acciperet, frustra in conventu unitorum protestantium, ad quem Ferdinandus II. imp. Io. Georgium comitem de Hohenzollern consilii Imperialis aulici præsidem ablegaverat, conciliatio est tentata, ut in Theatro Europæo legere est a).

a) *P. I. p. 258. & 265.*

Quum anno 1635. Alsatia in potestatem regis Galliarum devenisset, sibi tunc Argentoratenses timuerunt a Gallis ob conditiones pacis imperatorem inter electoremque Saxonem factas. Fuit tamen in pace Westphalica conventum an. 1648. b) *ut permaneant in statu quo episcopi Basileæ & Argentinæ.* At vero ex pace postea Noviomagensi an. 1679. rex Galliæ ansam arripuit, urbem in suam potestatem redigendi, quam veluti sibi cum reliqua Alsatia in pace asserta debitam, ut exacte in Theatro Europæo narratur, an. 1681. c) occupavit conciliatis, ut creditur, senatoribus, episcopo tunc iam ab an. 1663. Francisco Egone de Furstenberg, regi imprimis charo; qui tamen post cessam an. 1681. urbem restitutam ecclesiam cathedralem, ac revocatis Molshemio canonicis an. 1682. mortuus, sedem ex indulgentia regis reliquit fratri Guilielmo Egoni,

b) *Art. XII. §. 58.*

c) *T. XII. p. 274.*

Egoni, de quo ſupra diximus, tantorum motuum ob ſedem Colonienſem cauſa a). SECULUM XVII.

Ad an. 1687. eius mandata & ſtatuta ſynodalia dioeceſis Argentoratenſis extant T. X. Conc. Germ. p. 179. Annotavit editor, ſerius ſe obſervaſſe, ſtatuta iſta apud Lunigium inveniri, unde ordo chronologicus nonnihil turbatur. Addit, ſynodum, de qua meminerunt, celebratam fuiſſe ab Egone ad an. 1685. quam in ſupplemento promittit; neque vero in appendice, quæ T. X. ſubnectitur, occurrit. Obiit is an. 1704. in palatio S. Germani a Pratis, ubi erat abbas, eiuſque depoſitum eſt corpus in eadem S. Germani eccleſia in capella S. Margarithæ prope ſepulcrum comitis Guilielmi de Furſtenberg eius nepotis, ut refertur a ſodalibus San-Maurianis ſimulque eius epitaphium, in Gall. chriſt b).

a) *Vid. Grandid. Eſſais hiſtoriques & topogr. ſur l'Egliſe cathedr. de Straſbourg. ch. 6. Etat de l'Egliſe cathed. depuis l'an. 1681. &c. p. 142. ſeqq.*

b) *T. V. p.* 821.

XX. Antiquiſſimum dioeceſis Argentoratenſis monaſterium graviſſima ſec. XVII. tulit tempora, quum necdum ex calamitatibus ſeculi proxime antecedentis reſpiraſſet, atque aliena egeret ope. Ioannes V. qui anno ſeculari 1600. Iacobo I. ſucceſſit, abbatis munus an. 1624. depoſuit, accito ex monaſterio S. Blaſii Tobia Röſch, qui etiam profeſſores inde accerſiit, viciſſimque fratres Schutteranos in litteris formandos ad S. Blaſium miſit. Monaſterium Schutteranum.

Poſt eius obitum an. 1638. electus Conradus III. mox anno ſequenti Clingnovii Helvetiæ in præpoſitura San-Blaſiana fato ceſſit, ſucceſſorem iterum nactus e gremio S. Blaſii Benedictum Bebelium, hocque poſt duos annos an. 1641. defuncto Vincentium Haug itidem S. Blaſianum, monaſterii etiam Schwarzacenſis abbatem: qui graviſſima belli tricennalis tempora eluctatus, diutius duravit ad an. uſque 1656. ſuperſtes; ut tamen eius ſucceſſor Benedictus II. electus VI. Kal. Oct. mox III. Kal. April. an. 1659. vita exceſſerit; atque adeo monaſterium Schutteranum ſpacio viginti annorum quinque numeraverit abbates, electo in locum Benedicti II. an. 1659. Blaſio Sarvey.

Is non abſterritus duris, quibus tam brevi ſuccubuerunt ſyncellitæ ſui, fatis, eodem ex monaſterio S. Blaſii poſtulatus abbas, rem utramque ſacram (catholicam præſertim tantopere ea in plaga acciſam) & profanam ſeu temporalem monaſterii reſtituit, marchioni Badenſi a conſiliis, atque in eius aula magno in pretio habitus, perinde etiam apud Franc. Egonem de Furſtenberg epiſcopum Argentoratenſem, expreſſe requiſitus

SECULUM XVII.

ad transigenda eum inter & marchionem negotia. Defunctus maximis laboribus obiit an. 1674. ad cuius initium in suo diario, quod studiose confectum reliquit, posuit epiphonema: *Amor Dei sit initium, medium & finis huius anni.* Sodales Schutterani sequens ei posuerunt epitaphium: *Pridie nonas Aprilis 1674. moritur abbas Blasius postulatus ex monasterio Blasiano an. 1659. vere restaurator huius monasterii antehac depauperati, multisque debitis gravati: hinc omnium lacrymis deploratus, quod non diutius præ- & profuerit.*

Lugent porro Schutterani difficillima ad finem declinantis sec. XVII. ineuntisque XVIII. tempora finem vitæ accelerasse proximis Blasii abbatis successoribus, Placido I. nimirum & Iacobo II. germano fratri Romani abbatis S. Blasii, qui prænominato suo fratri Iacobo II. sacram benedictionem 23. May an. 1688. impertivit, electo abbati Id. Ianuarii eiusdem anni. Facile quis sibi in animum inducat, fraternum hoc vinculum congregationi San-Blasianæ obstrinxisse magis adhuc monasterium Schutteranum, ex quo identidem iuniores monachi divertebant ad S. Blasium, in disciplina monastica ac litteris informandi.

Gengenbacense.

XXI. Fuit monasterium S. Blasii sec. XVII. seminarium quoddam, in quo, & ex quo bonæ artes disseminabantur uti alibi gentium, ita etiam in Nigra silva ab uno quandoque ad aliud commigrantibus professoribus San-Blasianis omnis generis disciplinarum. Sic virum oppido doctum, pium & prudentem P. Io. Bapt. Eiselin, quem postea memorabimus, Placidus abbas S. Petri ab Ottone abbate S. Blasii obtinuit professorem, revocatum ex monasterio Gengenbacensi, quod ineunte quidem sec. XVII. adhuc habuit abbatem Io. Lud. Friburgensem, quem anonymus apud Lunigium a) chronista Gengenbacensis dicit ab an. 1586. præfuisse bene & laudabiliter annis 19. religiosæ disciplinæ promotorem zelosissimum & monasterii iurium conservatorem strenuum; cui vero defuncto an. 1605. substituit abbatem Georgium Breunium Maurimonasteriensem incolam an monachum, non exprimit, innuere tamen videtur, dum Ioannem Demlerum Georgii an. 1617. successorem capitularem huius monasterii designat. Iterum vero Erhardum Marx Maurimonasteriensem appellat, qui successit an. 1636. Iacobo abbati, quem Friburgensem dicit perinde ac Ioannem Demlerum, qui gentili suo, an. 1626. mortuus, abbatiam reliquit.

a) T. XVIII. p. 292.

De eorum autem gestis nihil commemorat, perinde ac de eorum successoribus Columbano Meyer, qui an. 1638. Erhardo successit, Romanus

manus Molsheimensis autem post mortem Columbani an. 1660. electus abbatiam an. 1680. resignavit Placido Thalman de Wila in Thurgovia, quem laudat abbatem religiosissimum, regularis disciplinæ promotorem ferventissimum, consilio & prudentia rerum tum ecclesiasticarum tum civilium gerendarum gravissimum, antiquorum sui monasterii iurium defensorem strenuum. *Qui*, pergit, *plurimas sæpenumero noctes insomnes duxit immersus sanctissimis meditationibus: senio autem confectus, variis, iisque gravissimis vexabatur morbis identidem incredibili patientia ingeminans:* O Domine! hic ure, hic seca, ut in æternum mihi parcas! Is, dum monasterium a Gallis incensum universum pene deletum esset cum templo & omnibus ædificiis, ea in calamitate paullo post obiit an. 1696. SECULUM XVII.

Successorem accepit Augustinum restauratorem vastati sub antecessore monasterii: quem monasterium principale Murbacense in Alsatia philosophiæ & theologiæ professorem insignem habuit, abbatem vero Gengenbacensem præsens præsertim seculum XVIII. multis suspexit annis præstantissimum.

XXII. Monacho Gengenbacensi, ac postulato abbati Schwarzacensi, sed abbatia suis meritis destituto Casparo Bruner, quem finiente sec. XVI. factio Brandenburgica cardinali Lotharingo in episcopatu Argentoratensi opposita, intruserat Ettenheimensibus monachis abbatem initio statim sec. XVII. mortuo, capitulares, qui hactenus in Riegel, vel in Kenzingen substiterunt, proventibus ex ditione Austriaca collectis viventes, in abbatem sibi elegerunt Priorem suum Severinum Wagner, ringente primum, tandem vero, at duris conditionibus permittente Brandenburgico. Expertus vero præter lutheranum Brandenburgici usque ad an. 1604. regimen, etiam avitas Geroldseckiorum vexas ob advocatiam, vitam tantum ad annum 1605. in abbatia sustinuit; eius successor vero, ex Priore item, Christophorus I. dictus etiam Ernestus, ex nobili a Thengen familia, Brandenburgico quidem renitente an. 1605. 1. May electus, eodem mense anni 1608. obiit; quo brevi tempore advocatiam de potestate domini de Geroldseck ob violentiam in iura monasterii, ac sævitiam in subditos eripuit, a card. Lotharingo sequestratam sub Amtmanno Ettenheimensi, donec circa an. 1628. certis legibus cum episcopatu, ut P. Bernardus Muggius in MSS. annotationibus Alsaticis & Brisgoicis perhibet, composita fuit lis magnis expensis. Ettenheim munster.

Mortuo

SECULUM XVII.

Mortuo Christophoro I. fit iterum ex Priore, monacho tamen Schutterano, abbas Christophorus Heubler patria Engensis: unde etiam oriundus fuit eius successor Casparus Geiger ex Subpriore electus abbas an. 1623. an. autem 1633. quum irruente milite Suecico, monasteriumque occupante, solus in monasterio substitisset, captus ac Kinzingæ carceri mancipatus fuit, liberatus paullo post in oppido Ettenheim suis in ædibus apoplexia tactus, defunctus est an. 1634.

Convenere post eius mortem ex omnibus Helvetiæ angulis exules monachi, atque Selestadii in Alsatia, ædibus vero Martini abbatis Aprimonasteriensis elegerunt abbatem Placidum Vogler patria Engensem, monasterii Ettoniani Priorem, tunc temporis exulem in monasterio Montis Angelorum in Helvetia, qui monasterium inter spem & metum unius anni spacio cum dimidio gubernavit. Postmodum cœnobio unacum conventualibus expulsus, Helvetiam repetiit, atque in monasterio S. Galli an. 1646. mortuus & sepultus est in capella S. Petri, ubi antehac B. Notkerus S. Galli monachus quievit. Quod etiam in monasterium convocati capitulares eidem successorem dederunt Amandum Riedmuller Ebringensem, conventualem Ettonianum, tunc temporis vero in exilio parochum in Cappel comitatus Doggenburgici; qui tamen pace an. 1648. reddita calamitatem sui monasterii, ad incitas redacti, non sustinuit: quumque eius petitio, ut abdicare se liceret dignitate an. 1652. ut frivola ac immatura reiecta fuisset die 7. Ianuarii, admissa tamen fuit 15. Ianuarii, atque administratio monasterii interim, dum novus fieret abbas, P. Arbogasto Arnold novitiorum magistro ab episcopo fuit commissa, qui anno sequenti ac quinque fratres 4. Iunii a Pio principe & abbate S. Galli abbatem cum Priore, quemcumque voluerit, postularunt, obtinueruntque P. Franciscum Hertenstein Subpriorem S. Gallensem, virum doctum & omnibus principibus charum, imprimis vero Francisco Egoni episcopo Argent. cui & in gravissimis negotiis expediendis a consiliis erat; eiusque gratia iura monasterii sarta conservavit a moliminibus gubernii principalis, eiusque munificentia etiam ecclesiam, quæ adhuc superest, ædificavit, qua de re sequentem notam successori reliquit: *Nota Reverendissime successor, me non meis viribus nec industria, minus pecuniis, quæ respectu tanti ædificii nullæ erant, hoc ædificium incepisse, sed revera Dei nixus ope & misericordia, Deo meo omnia operante, me autem parum cooperante piorum principum ad meam modestam insinuationem & sollicitationem, subditorum labores & operas inspiratas & innumeras, voluntarias tamen machinam tantam extrui curavi. Per-*

sensi

senſi miram Dei providentiam, ut ipſemet ſtupens admiratus ſim ... Et tu piam fidem habe Reverendiſſime ſucceſſor, & in Deum ſpem tuam principalem pone, ſine quo ſumus, umbra, ſpes tuæ pecuniæ & divitiæ, niſi a Deo ſint benedictæ: plus enim uno obolo expertus ſum, me perfeciſſe in Deum ſperans, quam plurimis ex meo loculo, & in loculum ſperans abſque Deo. Fuit, quem hic futurum ſucceſſorem alloquitur, Maurus Geiger, cum quo iam vivens omnia onera partitus fuerat, electo ex cellario abbate an. 1686.

SECULUM XVII.

Monaſterium S. Trudperti.

XXIII. Antiquiſſimo diœceſis Conſtantienſis in Nigra ſilva Ord. S. B. monaſterio S. Trudperti præter communes ſec. XVII. calamitates, id etiam fatale accidit, quod exorientis ſeculi abbates male ceſſerint. Thomas Füxlin Enſisheimianus, qui Ioanni Erhart an. 1598. ſucceſſit, dum ſubſtantiam monaſterii in argenti fodinis infelice conamine peſſumdat, ab abbatia an. 1606. amotus, feliciorem parochum poſtea egit. Eius vero ſucceſſor Iacobus II. *abbatem egit*, ait Bucelinus a), *dum eo occurreremus anno* 1624. munuſque abbatiale geſſit uſque ad an. 1625. quo, dum ſe imparem cerneret, onus depoſuit, commiſſa adminiſtratione monaſterii Ioanni Röſch Brillingano: quod ſolertiſſime obivit officium, an. 1628. in abbatem electus, nihilque intentatum reliquit, quo monaſterium ruinæ proximum fulciret; ſed furor Suecicus ſaluberrimos eius conatus eluſit, dum monaſterium una cum pretioſiſſimis antiquitatum monumentis irreparabili damno flammis abſumpſit an. 1632. in Natalitiis Domini. Ipſe præſul exul Clingnovii Helvetiæ oppido, anno ſequenti fatis ceſſit, ibique in eccleſia parochiali tumulatus eſt die 13. Novembr. eodem adhuc anno ſucceſſorem nactus gentilem ſuum Georgium Garnet ex Priore electum abbatem. Aſſociatum S. Trudperti monaſterium cum vicino S. Petri in Nigra ſilva Congregationi S. Ioſephi in Suevia, etiam antiquiſſimum monaſterium S. Gregorii ſeu vallis Gregorianæ in Alſatia attrahere viſum eſt, ut palam facit epiſtola Gregorii ex monacho Ochſenhuſano poſtulati abbatis eius monaſterii ad præſidem Congregationis Suevicæ Ord. S. B. an. 1638. Viennæ in Auſtria, ut in Alſatia diplom. b) legere eſt, data, qua ſignificat, quum ſibi liberum epiſcopus reliquiſſet in ſua inauguratione, ut cuicumque laudatæ congregationi vellet, ſe iungeret, placuiſſe ſibi præ cæteris Suevicam, *quia*, inquit, *florentiſſima, quia ramos ſuos in viciniam monaſterii mei, ultra nimirum ſilvam Hercyniam ad S. Petrum, & ad S. Trudpertum iam glorioſiſſime expandit, quia denique ex congregatione Suevica non ego modo, ſed cooperatores mei monaſterii aſſumti fuerunt, hodieque non penſatis inter* hoſtes

a) *Germ. ſacra T. II. p.* 293.

b) *T. II. p.* 492.

SECULUM XVII. *hostes quotidianis vitæ periculis, animarum saluti, ac monasterii conservationi indefesse invigilant, & collaborant.* An. 1651. ut notatur, Winibaldus Ochsenhusanus & Georgius S. Trudperti abbates congregationis Suevicæ visitatores hoc quoque S. Gregorii in Alsatia monasterium visitarunt, eiusque statum in temporalibus ob diuturnas belli iniurias satis afflictum repererunt, ac imparem nutriendis monachis, qui exacte disciplinam regularem observarent. Expertus id etiam suo in monasterio S. Trudperti est Georgius abbas, hostiumque incursibus impeditus, rem collapsam restituere non valuit, incredibiles calamitates perpessus. Senio tandem fractus, grande tamen onus deponere prohibitus, validiores quidem sibi in administratore humeros iungere voluit, at præter spem tam ineptos, ut postmodum excidio, ab insidiantibus monasterio Iesuitis imminenti, opportune adhuc saltem obviare potuerit, accepto an. 1665. a Christophoro abbate Zwiefaltensi tunc temporis Suevicæ congregationis præside consilio, ut sponte sua impares iam ætate & viribus humeros periculoso oneri subduceret, hortatus Patres capitulares, ut firmum idoneumque caput sibi deligerent, veluti perhibet P. Arsenius Sulger in annal. Zwiefalt. a) additque, postulasse eos sine mora e conventu Zwiefaltensi P. Romanum Edel Selestadiensem Alsatam, id temporis præpositum apud Mochenthal, in præsulem, suffragiis canonica electione collatis 23. Octobr. quem paullo post episcopali benedictione inauguravit Zwiefaldæ Reverendissimus D. Suffraganeus Constantiensis, assistentibus DD. abbatibus Anselmo Elchlingano, & Nicolao Marchthalensi. Abeunti vero ad suum monasterium pro restauranda disciplina dati sunt ab abbate Zwiefaltensi comites P. Bernardus in Priorem, & P. Anselmus in Fratrum moderatorem. Paucos vero post menses ad plures abierunt e conventu S. Trudperti arctioris disciplinæ insueti, unacum exauctorato abbate, ut locando novæ plantationis fundamento locus patuerit. Tam strenue vero ac infatigabiliter laboravit Romanus abbas, tamque salutariter, ut disciplina regularis, iura ac reditus monasterii restauratorem eum monasterii usque hodie conclament defunctum an. 1694. Zurzachii sub turbis bellicis apud Helvetos, ibique in ecclesia collegiata sepultum. Successorem is gentilem suum Selestadio scilicet oriundum Anselmum Sangler, antecessore suo dignissimum, habuit, quem vel ipse elegisset, virum, ut monumenta San-Trudpertina produnt, verbo & opere potentem.

a) *T. II. p.* 288.

Monasterium S. Blasii.

XXIV. Videbimus postea, ubique gentium agitatum sec. XVII. negotium, novas erigendi Congregationes in Ordine S. Benedicti. Ad audiendum

diendum etiam & videndum ineunte feculo miffus eft a Martino I. abbate S. Blafii ad conventus abbatum in Sueviam P. Georgius Rueffinann, quem dudum Hieronymus de Portia legatus apoftolicus tanquam maxime idoneum deprædicaverat, ad inftituendam reformationem monafticam, quæ in monafterio & congregatione S. Blafii eo provecta erat, ut Roma etiam confilium caperet, eidem monafteria Nigræ filvæ confociandi, dum illa interim Congregationi Suevicæ accederent, ut fuis indicamus locis. Martinus vero abbas S. Blafii cum fuis moderandæ difciplinæ regulari fedulo incumbebat, adhibita etiam Nicolai de Aquino nuncii apoftolici auctoritate ad mitigandas nimis exafperatas ac illiberales ea in re antecefforis fui in Nuntiatura fanctiones.

San-Blafiani perinde fibi benevolentiam & exiftimationem epifcopi Conftantienfis conciliarunt, Iacobi imprimis, qui etiam aliquando agitabat animo, amplecti Ordinem S. Benedicti, congregationem vero San-Blafianam ampliavit.

Nuncii apoftolici Lucernenfis, fedifque apoftolicæ auctoritate Martinus abbas an. 1612. vifitator, pacificator & reformator monafterii Murbacenfis conftitutus fuit, uti etiam poft fuus fucceffor Blafius II. cuius apud fuos opera cumprimis ufus fuit, per viginti annos Prioris. Eius prima & ultima cura fuit, ut in eius vita perhibet P. Placidus Rauber, abbas poftea Schwarzacenfis, *efficere & habere monachos qui pii primum, deinde docti & fibi & aliis prodeffe poffint.* Neque folum Martinus abbas, miffis omnino artium & difciplinarum magiftris extraneis, ex fuis habebat probe inftitutos omnium fcientiarum profeffores pro fuo, verum etiam pro aliis monafteriis.

Dum porro an. 1617. Marcus Sitticus archiepifcopus Salisburgenfis Benedictinis curam fcholarum publicarum tradidiffet illius urbis, opera etiam & confilio Martini abbatis ufus fuit, datis eam ob rem peculiaribus litteris, ut cap. II. hift. Salisburg. inter alia narratur de ordinato etiam Salisburgi convictu S. Bonifacii pro ftudentibus fratribus, cuius primus regens an. 1618. conftitutus fuit P. Martinus Steinegg monachus S. Blafiii, a quo etiam primas regulas profectui pietatis & ftudiorum accommodatas, litteris mandatas, optimamque vivendi normam acceperunt convictores religiofi.

Poftulatus deinceps fuit P. Martinus Steinegg ab Ulrico abbate Michaelburano in Priorem fui monafterii an, 1621. ac an. 1623. Salis-

SECULUM XVII.

burgi ad S. Petrum, quum ibidem iam magiſtrum novitiorum egiſſet. Paullo poſt vero an. 1625. P. Wernerus Beckart Prior cum P. Iacobo Meyer evocatus fuit, ut monaſterio in Nideraltach diſciplinam San-Blaſianam inferret: cuius fama etiam celebrata fuit ſub Martino abb. apud Romanos pontifices Gregorium XV. & Urbanum VIII. ut ex eorum bullis, confirmatione privilegiorum, communicatione etiam ampliſſimorum Caſſinenſium palam fit, data primum an. 1624. Martino abb. aç deinceps confirmata eius ſucceſſoribus.

Ex quibus proximus Martino Blaſius II. apud Romanam ſedem & apud ſummos pontifices imprimis fuit gratioſus, ſtator diſciplinæ monaſticæ, ut iam vidimus, ſub anteceſſore Prior, deſtinatus proin cum ſuis ſucceſſoribus Præſes inſtituendæ Congregationis Nigraſilvanæ, viſitator item Monaſterii Murbacenſis & Luderenſis ſub Leopoldo Wilhelmo Auſtriaco, eorum monaſteriorum adminiſtratore. Factus autem abbas in difficillima incidit tempora, bello, fame & peſte in ſuos graſſantibus, cumque ipſis profugus in Helvetia fuit; dum interea temporis Sueci an. 1634. monaſterium expilarunt, anno proximo iterum ingruente peſte.

Ipſe vero Blaſius an. 1638. in exilio mortuus, exulem etiam in Helvetia Franciſcum I. ſucceſſorem accepit; qui orto an. 1655. bello Helvetico, vicem ſodalibus Benedictinis Helvetis reddere potuit, ſuſceptis profugis ex monaſteriis San-Gallenſi, Einſidlenſi, Wetingenſi, Rhenaugienſi imprimis, ubi ipſe etiam Franciſcus delituerat, antequam abbas eſſet.

Eo vero in munere, non obſtantibus bellorum turbis, in ipſo exilio cum primis diſciplinæ monaſticæ curam geſſit, digeſtis novis per P. Martinum Steinegg an. 1642. ſtatutis; dumque anno ſequenti reſpirare paululum per Suecos licuiſſet, mox etiam ad inſtauranda ſtudia litterarum animum intendit; initiumque factum linguæ Hebraicæ ad 22. Octobr. eius anni in ephemeridibus ſuis P. Udalricus Schenck annotavit; compluresque tunc erant monachi San-Blaſiani, qui præter alia ſcientiarum genera, quæ domi foriſque in ſcholis publicis & monaſteriis profitebantur, imprimis hiſtoriam patriam, monaſteriique S. Blaſii illuſtrarunt, quorum adhuc ſuperſunt commentaria P. Anſelmi Tritt, Beringeri Kofer, Benedicti Gebelii, Fridolini Burckart, Io. Baptiſtæ Eiſelin, Udalrici Schenck, Gotfridi Arnold, qui in hiſtoria patria omnes elaborarunt ſec. XVII. ſub Franciſco, eiuſque ſucceſſore Ottone, ſub quo ab an.

1664.

1664. usque 1672. quietius degere musæ potuerunt, iterum sub Romano successore turbatæ bellis Gallicis; dum capto an. 1677. Friburgo Blasiani cum rebus suis in Helvetiam secesserunt. SECULUM XVII.

Anno sequenti Carolus Lotharingus, inaudito prorsus exemplo exercitum mediam per asperrimam, accessuque difficillimam Nigram silvam duxit per monasterium S. Blasii & Tottmosium, ubi eius rei etiamnum extat monumentum opere anaglypho pulcherrimo artificiosissimoque ex argento, cuius inscriptio iam in Io. Nicolai de Vogel specimine bibliothecæ Germ. Austriacæ legitur a). Romanus abbas vero iterato cum suis bello altero Gallico an. 1688. exul, quum se an. 1695. domum ægrum deportari curasset, mortuus successorem accepit Augustinum sequentis seculi delicias.

a) P. I. p. 167.

XXV. Postulati certatim ex monasterio S. Blasii ad alia monasteria abbates cum disciplina monastica, etiam bonas litteras transplantare studuerunt. Abbates e S. Blasii ad alia postulati monasteria.

Ex his Tobias Rösch, quum oblatum sibi rectoratum efflorescentis primum academiæ Salisburgensis constanti humilitate an. 1622. recusasset, anno sequenti ad monasterium Schutteranum Prior abiit una cum P. Ambrosio Dietrich professore & Wernero Bekart monachis S. Blasii, quos postea P. Placidus Rauber secutus est magister novitiorum, uti deinceps P. Franciscus Fabri sub Vincentio abbate; Tobias vero electus post mortem Ioannis abb. an. 1624. in antistitem. Mortuus is an. 1638. anno sequenti successorem habuit syncellitam San-Blasianum Benedictum Bebelium, electum a Schutteranis monachis profugis Clingnovii in Helvetia. Mortuo an. 1641. Benedicto, seu ærumnis belli Suecici brevi tempore confecto, Vincentius Hug iterum monachus S. Blasii, qui iam aliquot annis abbas in monasterio Schwarzacensi fuerat, successit, ut iam suo loco memoravimus, imprimisque Blasium Sarwey laudavimus, eiusdem loci abbatem & restauratorem.

Modo etiam mentionem iniecimus P. Placidi Rauber, quo abbate monasterium Schwarzacense, ut habet Gallia christiana b) si non opibus, regulari certe disciplina maxime floruit, ut patet ex litteris supplicibus, quas die 6. May an. 1658. Leopoldo Guilielmo archiduci Austriæ episcopo Argentoratensi, ut in append. Gall. christ. legitur c) obtulit. Cum laude antea Placidus munus professoris Rhetoricæ obiit in academia Salisburgensi, ultimus etiam administrator monasterii Laureacensis in Wirtembergia.

b) T. V. p. 878.

c) p. 506.

SECULUM XVII.

Cellæ monasterii S. Blasii.

XXVI. Dum reliquæ congregationis San-Blasianæ cellæ partim essent, ut libro superiore indicavimus, accisæ, monasterium vero ac præpositura Beroviensis an. 1638. ab ipso milite cæsareo penitus expilata, una cella Wislikovensis in Helvetia nostratibus toties sec. XVII. profugis fuit perfugium & asylum.

Tradidit quidem Ferdinandus II. an. 1629. tum titulo oneroso cum etiam ob florentem apud S. Blasium egregie disciplinam monasticam celeberrimum olim, quod modo nominavimus, monasterium Laureacense in Wirtembergia, quod Fridericus cognomento Anticus de Hohenstaufen, ab Henrico IV. renunciatus dux Sueviæ data ei in coniugem Agnete filia, an. 1102. fundavit cum coniuge sua ac filiis Friderico & Conrado an. 1138. in Romanorum regem electo, castro in colle supra Remisiam vallem in monasterium converso, accitaque ex monasterio Hirsaugiensi colonia monachorum duodecim cum Herberto, seu Huberto primo abbate. Memorat vero Crusius in Annal. Suev. a) ubi historiam familiæ Hohenstauficæ ab ovo repetit, antecessores memorati Friderici Antici in allodio suo Lorch collegiatam ecclesiam sex canonicorum cum præposito constituisse, divino cultui subservientium, pro suorum successorumque defunctorum in Christo piarum precum commendatione sepulturaque; quam tamen sepulturam, post fundationem monasterii, gloriosus rex Romanorum & imperator Conradus fundatoris filius, exhumatis in pago ossibus, transtulit in montem an. 1140. post fundationem monasterii trigesimo octavo. Prosequitur ibi Crusius tum genealogiam Hohenstaufiorum a primo fundatore usque ad ultimum huius stirpis, cum etiam postea (*p.* 442.) singillatim, quo ordine & quot corpora regum & ducum Sueviæ in monasterio Lorch sepulta sunt. Idem vero, lib. XII. c. 35. iter suum, quod Hohenstaufam & Lorcham an. 1588. instituit, postquam iam dudum profanatum fuerat monasterium, describens, *sperabam me*, inquit, *adhuc aliquid picti ibi visurum: ut aquilam Romanam, aut insignia ducum Sueviæ: at hæc olim fuerunt: nunc præter nudos muros & turres, tegulis & lignis carentes, nihil erat visendum. Bone Deus, tantumne splendorem potentissimorum principum ac monarcharum ad tam cadaverosum adspectum recidisse &c.*

a) *P. III. lib. VII. c.* 11.

Accepit, ut diximus, an. 1629. monasterium hoc, ritu catholico restituendum, Blasius II. abbas S. Blasii, annoque sequenti subditi Laureacenses numero septingenti homagium præstiterunt, facta immissione in temporalia monasterii iura die 30. Augusti coram delegatis Ioannis episco-

episcopi Constantiensis, ac Ioannis Eucharii principis & abbatis Campidunensis, Carolo Lud. comite de Sulz & Ulrico de Stozingen, qui a S. C. maiestate commissarii erant constituti. Octavo dein Decembris accessit Blasius abbas, festivis acclamationibus exceptus a subditis.

Primus ab eo administrator constitutus est P. Fridericus Koler, tunc temporis S. Blasii Prior. Successit ei an. 1639. P. Vincentius Haug, & huic an. 1641. ad abbatiam Schutteranam evocato 10. Dec. P. Bernardus Brugel usque ad an. 1644. Exinde ultimus, quem memoravimus, P. Placidus Rauber, postea abbas Schwarzacensis, provinciam istam subiit.

Franciscus I. abbas Blasio succedens an. 1638. an. 1640. a Ferdinando III. regalia monasterii Lorchensis accepit die 23. Febr. homagium vero a subditis an. 1644. 4. Aug. Per pacem tamen Westphalicam an. 1648. Laureacum denuo in manus ducum Wirtembergiæ devenit.

Hirsaugia.

XXVII. Sic igitur filia periit cum matre Hirsaugia, cuius monasterii sec. XVI. ultimum regularem Bucelinus in Germania sacra Ludovicum abbatem obiisse an. 1560. testatur a) & ex Crusio Besoldus an. 1560. b) mense Augusto Henricum Weickersreuterum primum Hirsaviæ Augustanæ confessionis prælatum fuisse factum, quod non satis attenderunt auctores Galliæ christianæ c), dum hunc Henricum IV. veluti legitimum coadiutorem Ludovici Velderer, & post mortem successorem ponunt, veluti omissum a Bucelino, quem cæteroquin secuti testantur, Andream Geist a Wildeck ex Priore Imperialis monasterii Weingartensis, postquam septuaginta fere annis Hirsaugia pastore viduata fuit, electum, rexisse ad an. 1629. quo purissimam animam exhalarit ipso anno, quo a Ferdinando II. imp. imperata est restitutio monasteriorum in Wirtembergia, effectui data, dum a cæsare fuit occupata. At vero tunc non statim possessionem Hirsaugiensis monasterii apprehendit Congregatio Suevica, quam rem unice spectasse, & a suis incunabulis repetiisse dicendus est Bucelinus, dum Andream Geist sistit ad an. 1629. Neutiquam vero ad eum annum referre censendus est, quod addit, eum sancte obiisse, quippe qui primum agente Emerico Stadensi abb. procuratore Congreg. Bursfeldensis electus est in abbatem Hirsaugiensem post mortem Io. Adolphi de Hohenegg, Fuldensis professi, qui an. 1631. 30. Sept. ab episcopo Spirensi nominatus abbas Hirsaugiensis, factus postea princeps & abbas Fuldensis, censebatur ob incompatibilitatem deseruisse abbatiam Hirsaugiensem, mortuus in S. Gallo eodem an. 1635. quo electus est Andreas

a) T. I. P. II. p. 46.
b) Docum. rediv. T. I. p. 386.
c) T. V. p. 774.

Geist

SECULUM XVII. Geiſt inſcio ſuo abbate, & renitente Congreg. Suevica, uti poſtea de congregationibus Benedictinis agendo dicemus, bona quidem fide & animo ab abbate Stadenſi adductus, ac ſi iura congregationis potius firmarentur, quam læderentur; ſecus ac primum res a Congreg. Suevica accipiebatur.

De viro hoc nihil ſiniſtre cogitare ſinit elogium eius apud P. Gerardum Heſs in Prodromo monum. Guelph. a) quod accepit a P. Bucelino in *Ara funebri*, quam poſuit, *piis manibus religioſiſſimæ memoriæ Patrum & Fratrum, quorum*, ait, *ab anno Chriſti* 1612. *quo cœnobium ſum ingreſſus, contubernio atque conſortio adlegi & perfrui indignus merui: qui ab oculis quidem meis abrepti, cordi nihilominus profundiſſime inſculptam nominis ſui ac virtutis tam charam atque iucundam memoriam reliquere.* Ibi igitur loco 29. celebratur *Reverendiſſimus in Chriſto Pater ac dominus Andreas Geiſt a Wildegg abbas Hirſaugienſis ... ex Priore Veldkirchenſi Weingartenſis, inde adminiſtrator Hirſaugienſis, abbas denique primus poſt reſtitutionem ſanctiſſimi eiuſdem monaſterii eſſe meruit A. C.* 1635. 15. *May, conſecratus Novemb. e. a. non ſine ſingulari cœnobii noſtri ornamento, tanto poſt ſimilis olim multoties acceptæ gratiæ gratiam referentis, & vere dignum antiſtitem eidem concedentis: cuius a puero vita talis fuerit, ut a condiſcipulis Sanctulus, ab ipſis demum heterodoxis reſtitutionem monaſteriorum ægerrime ferentibus, etiam vulgari appellatione bonus abbas, a multis aliis vir ſanctus diceretur. Fuit digno nomine ſuo vere ſpiritualis, rigidus ſui corporis tortor, meditationis ſtudio addictiſſimus, diſciplinæ monaſticæ zelator ſtrenuus, verus pauperum pater, ut ſi non ipſiſſima miracula, miraculis tamen proxima de ipſius liberalitate exhauſtiſſimis cœnobii rebus, celebrentur. Tranſiit ad meliorem vitam ſingulare Ordinis ornamentum A. C.* 1637. 28. *Aprilis, Hirſaugiæ ad pedes S. Wilhelmi ſepultus, quum omnia Wirtembergiæ cœnobia multis modis demeruiſſet, nullis ſumptibus pro honore Ordinis peperciſſet, ab ipſis acatholicis haud leviter deploratus.* Unde palam fit, annum 1629. apud eundem Bucelinum b) fallere ex omni parte, quo Andreas apud eundem P. Heſs cum aliis Rottwilam abiiſſe perhibetur c) propter reſtitutionem monaſterii Reichenbacenſis, tunc Prior Weingartenſis, prout adhuc apud eundem vocatur an. 1631. 12. Aug. *P. Andreas Geiſt Prior noſter rediit Hirſaugiam.* Et mox: 18. *Octobris venit huc ex Hirſchau R. P. Andreas Geiſt ibidem adminiſtrator & Prior noſtri Weingartenſis monaſterii*, 19. *Octobr. rediit. Vigeſima quarta Novemb. rediit ex Hirſaugia P. Maurus Baldung &c. Anno* 1632. 10. *Ian. venit huc*

a) p. 474.

b) T. I. P. II. p. 46.

c) p. 462.

huc ex Hirsaugia P. Christophorus Hamerer. Undecima Ian. Hirsaugiam profecti sunt R. P. Andreas Geist Prior noster & administrator Hirsaugiensis cum P. Francisco Tritt. Vigesima prima Ian. redierunt ad nos ex Hirsaugiensi monasterio ab acatholicis Wirtembergicis per vim expulsi P. Hieronymus Rainolt, P. Casparus Frowis, P. Franciscus Tritt. Rebus postea aliquamdiu faventibus Andreas abbas factus, post mortem ex eodem Weingartensi monasterio successorem habuit Wunibaldum, de quo Bucelinus in Germania S. a) *Patrocinio*, inquit, *se tot cœlitum*, qui nempe in florentissimo illo monasterio Deo servientes cœlum commeruerunt, *se solatur, dum Numini placeat, suæ etiam in terris consulere hereditati, & erigere humiliatos, qui sacrosanctam in omnibus operibus eius benedicunt manum & exosculantur.* An. 1648. & ultra dimidium anni sequentis Adelbertus Ebinger, professus quoque Imperialis monasterii Weingartensis, tunc temporis cellarius magnus, nomine abbatis sui Wunibaldi decertavit pro possessione monasterii Hirsaugiensis, ut ex eius relatione suæ expulsionis palam fit. Fuit Wunibaldus Zürcher creatus post mortem Andreæ abbas Hirsaugiensis 5. May 1637. in Blumenegg, quo, posteaquam Wirtembergia pulsus est, secessit. Obiit 18. Octobr. an. 1664.

SECULUM XVII.

a) l. c.

Extat ad calcem tomi secundi Annalium Zwifuldensium P. Arsenii Sulger b) mantissa de sacri corporis Divi Aurelii (qui in manibus S. Ambrosii Mediolani memoratur exspirasse; a Notingo autem episcopo Vercellensi eius corpus in Germaniam Erlafrido patri, comiti de Calwa allatum, locum fundationi monasterii dedit, ut suo loco indicavimus) Zwifuldam adventu &c. quod nimirum sacrum corpus post extinctionem asceterii Hirsaugiensis in hæreticorum primum potestatem, inde vero in manus Eitelii Friderici principis Hechingani devenerit ex sacello comitum de Zimmern, eoque a comite Wilhelmo Wernero de Herrenzimmern, qui illud a duce Wirtembergiæ Ulrico obtinuerit: substitisse autem non diu sacrum pignus in arce Zimmerana, duabus horis Rottwila distante, sede olim avita comitum de Zimmern; sed inde cum filia aut nepte dicti comitis, quæ comiti Zollerano nupsit, Hechingam, regiam principum de Hohenzollern, commigrasse, ex eorumque dono monasterio Zwifuldensi cessisse an. 1690. ut in memorata mantissa res pluribus enarratur.

b) p. 344.

In dubium vocari visa est non solum corporis S. Aurelii translatio in Germaniam, verum etiam eius adventus cum reliquiis S. Dionysii

SECULUM XVII.

Mediolanum, unde ex suo sepulcro, in ecclesia S. Dionysii, translatus fuerit Vercellas, facta donatione Nottingo episcopo Vercellensi ab archiepiscopo Mediolanensi, ut narrat Trithemius. Dubium movit charta an. 1023. quam profert Giulini *Memor. di Milano* a) hoc initio: *Ego Aribertus Ambrosianæ ecclesiæ archiepiscopus ... ecclesiam in qua beatissimorum confessorum Dionysii & Aurelii sacra corpora requiescunt ... ordinare disposui monasterium.* Eo autem tandem res, quod translationem in Germaniam attinet, recidit, quo variæ huiusmodi dubiæ translationes E. g. S. Marci evang. Venetiis ad monasterium Augiæ divitis, S. Dionysii ep. Parisiensis e monasterio S. Dionysii prope Parisios ad monasterium S. Emerami Ratisbonæ, SS. Gervasii & Protasii MM. Mediolano ad vicinam nobis urbem Brisacensem &c. conciliari possunt, ut pars saltem, si non integra corpora, translata fuisse dicantur. Refert quidem laudatus Giulini translationem corporum SS. Dionysii & Aurelii ex ecclesia S. Dionysii Mediolani factam an. 1538. ad ecclesiam Metropolitanam ex chartis MSS. Francisci Castelli, qui præsens fuit tanquam Ordinarius ipsi huic functioni.

a) T. III. p. 177.

Di cui, verba Giulini recito, *ci ha conservata distinta memoria Francesco Castelli ne' suoi preziosi manoscritti, il quale fu presente come Ordinario ch'egli era a tutta la fonzione. Per questi argomenti non mi parve allora di dover dar ascolto all' abbate Tritemio: pure avendo poi osservato, quanto racconta il nostro diligentissimo Bescope in quel pezzo, ch'ei ci ha lasciato della storia ecclesiastica Milanese; ho veduto ch' essendosi egli stesso portato a visitare nel Duomo il corpo di sant' Aurelio, non vi trovò che il capo, ed alcune altre Reliquie; per la qual cosa ei fu di parere, che il restante sia stato veramente donato a Nottingo vescovo di Vercelli, e trasportato in Germania, come il Tritemio racconta &c.*

PP. Congreg. S. Mauri in vita S. Basilii T. III. opp. præmissa c. 32. ad ep. 197. b) respicientes, quam S. Basilius ad S. Ambrosium dedit per clericos missos ab Ambrosio ad S. Dionysii ep. Mediol. corpus reportandum: *Huius urbis episcopus Aurelius*, aiunt, *prout Dionysius moriens rogaverat, illius corpus Mediolanum ad Ambrosium episcopum retulit; ibique post tres annos ipso S. Dionysii anniversario die mortuus, prope eundem a S. Ambrosio sepultus dicitur. Simplicius multo ac verius Usuardus & Ado S. Dionysium in Cappadocia mortuum esse tradunt, eiusque corpus Ambrosio Basilium reddidisse. Utris momentis fides adhibenda sit, ambigere vetat epistola Basilii ad Ambrosium.* S. Ambrosius nimirum ex suo clero miserat in Cappadociam ad S. Basilium, ut sibi corpus S. Dionysii,

b) p. 121.

in

in exilio defuncti ibidem, episcopi Mediolanensis reddi curaret. Factum id non multo post S. Ambrosii electionem a), quam ipsumque S. Ambrosium miris extollit laudibus. Tum ad rem b): *Tuus autem*, pergit, *in beatissimum Dionysium episcopum ardor animi omnem de te erga Dominum amorem, reverentiam in antecessores, & studium fidei testatur. Animi enim erga fideles conservos affectio refertur ad Dominum, cui servierunt; & quisquis eos, qui pro fide decertarunt, honorat, eodem se fidei ardore accendi ostendit, ita ut una eademque actio multiplicis virtutis testimonium habeat.* Deinceps missos a S. Ambrosio clericos laudat, quod omni constantia fidelibus beati corporis custodibus persuasissent, ut ipsis suæ ipsorum vitæ præsidium concederent. *Noveris autem*, pergit, *nunquam futurum fuisse, ut principatus aut hominum potestates vim hominibus illis afferre possent, nisi horum fratrum animi firmitas eos flexisset, ut cederent. Contulit autem plurimum ad optatam rem conficiendam & carissimi ac religiosissimi filii nostri Therasii compresbyteri præsentia, qui laboribus itineris susceptis vehementiorem fidelium illius loci impetum compressit, & quum oratione sua reluctantes flexisset, coram presbyteris, diaconis, multisque aliis Deum timentibus sublatas cum debita reverentia reliquias fratribus servavit, quas vos tanto cum gaudio suscipite, quanto cum mœrore prosequuti sunt illarum custodes. Nemo dubitet, nemo ambigat: hic ille est invictus Athleta. Ossa illa novit Dominus, quæ unacum beata anima dimicarunt … Una arca erat, quæ venerandum illud corpus excepit; nullus prope ipsum iacuit: insigne fuit sepulcrum: martyris honor ei delatus. Christiani, qui ipsum hospitio exceperant, tunc & suis manibus deposuerunt, & nunc extulerunt.*

Seculum XVII.

a) Ep. 197.
b) Ep. 197. n. 2. T. III. p. 288.

XXVIII. Progredimur ad filiam monasterii Hirsaugiensis Reichenbacum, cellam seu prioratum, modo a marchionibus Badensibus, comitatus Eberfteinensis dominis, modo a ducibus Wirtembergiæ, utrimque inter se litigantibus ad hodiernum usque diem, infestatum occupatumque.

Cella monasterii Hirsau.

Higelius Prior ultimus an. 1595. a Friderico duce Wirtembergiæ expulsus, accepto a marchione salvo conductu, a Rudolpho II. imp. mandatum obtinuit, ut Reichenbacenses in integrum restituerentur, paullo post mortuus: superantque ineunte sec. XVII. tres tantum monachi Georgius Hopp, parochus postea in Salstetten, Stephanus Fauler, & Iob Zipfel, qui an. 1603. stipulata certa per aversum pecunia, discesserunt; postquam iam dux Wirtembergicus, ut possessionem sibi

 firmaret,

SECULUM XVII. firmaret, Eberſteinenſium iurium in Reichenbacum partem an. 1602. emerat, monaſteriumque uſque ad edictum Ferdinandi II. an. 1629. retinuit; partem tamen proventuum Reichenbacenſium, ſitam in terris Auſtriacis, quam Andreas ab Auſtria epiſcopus Conſtantienſis vindicaverat, ſub curatore tunc Mathia Eberhard cive Horbenſi, a Iacobo epiſc. Conſtantienſi an 1612. confirmato, etiam Higelii ſucceſſores retinuerunt, confirmante Paulo V. P.: res vero, quas idem Io. Higelius Prior in monaſterio Gengenbacenſi depoſuerat, ineunte ſec. XVII. Io. Georgius epiſc. Conſtantienſis per Abrahamum Mirgel curiæ Conſtantienſis advocatum ad ſolvenda debita, a prædicto Priore exulante contracta, vendi iuſſit, præſentibus Io. Ludovico abbate & Sebaſtiano Griningero Priore Gengenbacenſibus.

Solemnis iuxta edictum Ferdinandeum reſtitutio facta eſt per Carolum Lud. Erneſtum ex comitibus de Sulz & Conradum Hildeprand iurium doctorem ac conſiliarium Imperialem aulicum, accito P. Benedicto Rauch monacho Wiblingenſi, cui tunc Priori monaſterii S. Georgii, tanquam adminiſtratori a cæſare conſtituto, homagium præſtare iuſſi ſunt Reichenbacenſes. Res prout geſta eſt, articulatim enarratur apud ſæpe laudatum P. Gerard. Heſs in Prodromo monum. Guelph. a) ex diario coævo P. Gregorii Knaus, monachi Weingartenſis, ex quo paullo ante retulimus, eius rei cauſa an. 1629. Rottwilam profectum P. Andream Geiſt, Priorem Weingartenſem, cui ſocius erat P. Caſpar Kraus ex Ochſenhauſen &c. Ex parte epiſcopi Conſtantienſis aderat Io. Ant. Tritt ſuffraganeus, a quo eodem adhuc veſpere 4. Aprilis, quo Reichenbacum perventum fuit cum 40. equis plus minus, *quatuor campanæ ſunt benedictæ, amota inſuper ſubſellia more lutherano ſubſtructa, menſa item cœnæ lutheranæ profana.* Quinto Aprilis ab eodem reconciliatum templum, ara ſumma benedicta cum duobus calicibus. Tum compulſatis campanis *Te Deum laudamus* cantatum, & a. D. ſuffraganeo, reliquiſque PP. Benedictinis ſacris operatum fuit, inſpectantibus magno cum ſilentio, attentione ac ſtupore ſubditis. Deinde iuramentum fidelitatis petitum & præſtitum &c. Hæc aliaque P. Gregorius Knaus, qui ſubdit deſcriptionem loci, ac ditionis monaſterii, quod dimidia diæta ab Alberſpacenſi diſtat.

a) p. 462. &c.

Wirtembergenſes milites, faventibus Suecis victoribus, an. 1632. irruentes in monaſterium, monachos effugarunt, atque inter hos P. Albertum Gebhard multis annis Superiorem in Reichenbach, Horbæ an. 1646.

1646. mórtuum, ac sepultum apud PP. Franciscanos, uti Templum Honoris monasterii Wiblingensis nos edocet a), sequentibus adiectis versibus de corpore eius postea incorrupto invento: SECULUM XVII.

a) p. 116.

Expulit Albertum dilecto *Divite Rivo*
Hostis, & indignum credidit esse soli.
Errasti, quia terra timet corrumpere corpus;
Hinc Horbæ intactum mansit, ut ante fuit.

P. Benedictus vero administrator, a Reichenbaco expulsus, quum, Patribus suis conventualibus Horbam præmissis, varias mutasset sedes per Helvetiam, Brisgoiam ac Nigram silvam, an 1635. Wiblingam rediens, mortuo ex peste Ioanne abbate Wiblingensi, eius successor eligitur die 17. Iulii, qui tamen sua adhuc manu ultima Septembris, Horbæ rebus Reichenbacensibus ordinatis, se scripsit Fr. Benedictum administratorem in Reichenbach, curamque eius monasterii non dimisit, datis interim vicibus administratoris P. Alberto, quem modo laudavimus, atque curam œconomiæ P. Iacobo Werz. His, dum an. 1642. a Maximiliano electore Bavariæ exercitum ducente vicarius generalis campestris expeteretur, regulas quasdam in absentia sua servandas scripto reliquit; in causis vero arduis ab Hirsaugiensis vel Weingartensis monasterii abbatibus consilia expectare iubet. Alberto, ut diximus, an. 1646. mortuo, munus Superioris & vices administratoris impositæ sunt P. Ernesto Fabri, qui qualem se gesserit, dum per pacem Westphalicam cedendum fuit, laudatum Templum honoris docet. Coactus is e monasterio cum adiunctis fratribus se in festo Conversionis S. Pauli an. 1649. Horbam recepit, prout rem ipse in litteris ad Benedictum abbatem suum & administratorem Reichenbacensem perscripsit.

In instrumento confirmationis monasteriornm, in Wirtembergia tunc restitutorum a Ferdinando III. an. 1634. factæ congreg. Suevicæ, etiam notatur Murhardtum altera Hirsaugiæ filia, quam tamen in diœcesi Herbipolensi urgendam haud existimarunt Patres conscripti huius congregationis, uti etiam Munchenroth in diœcesi Augustana, quod monasterium cum Schönbuch ceu appertinentia ad monasterium Hirsaugiense alicubi inter restituenda reperi notata.

XXIX. Fuit etiam olim colonia monasterii Hirsaugiensis Gottesaugia, quod an. 1525. bello rustico in cineres redactum, scriptores rerum Badensium tradunt, fuisse an. 1552. a Carolo II. marchione Badensi ad Monasterium Gottesaviense.

SECULUM XVII. suos iterum usus restauratum; Ernestum Fridericum vero maiorem adiecisse amplitudinem ac splendorem, quem mortuum sistit Schœpflinus an. 1604. a) testaturque, novum ibi exstruxisse palatium amœnum & elegans, in quo sæpe versatus fuerit, an. 1689. flammis bellicis absumptum.

a) T. II. hist. Bad. p. 115. 118.

Dum antea commemorasset Schœpflinus monasteria, sub Carolo II. Pforzhemensi seculo addicta circa medium sec. XVI. notat Godesavienses monachos plures ad monasterium Ochsenhusanum transiisse, atque ad Fr. Petri Sueviam eccles. provocat, qui ex P. Romani Hay Horto Crusiano (*f.* 566.) memorat, Gottesaugiam cum pluribus aliis Germaniæ monasteriis ex edicto Ferdinandi II. an. 1630. fuisse restitutum.

Missus est illuc a Congregatione Suevica Ord. S. Benedicti an. 1635. P. Benedictus Eisenschmid monachus Ochsenhusanus, qui nomine dictæ congregationis monasterii possessionem arriperet, atque administrationem tam in spiritualibus quam & in temporalibus capesseret, qui se per multas demum ambages ibidem advenisse testatur in litteris ad abbatem suum Wunibaldum, esseque in loco amœnissimo regale palatium, extra opus perfectum, intus vero imperfectum, domumque se reperisse omnino vacuam. De arrepta ab eo possessione Rudolphus Bocke, cæsareus commissarius bellicus, memorato abbati Wunibaldo instrumentum publicum transmisit cum notario & testibus; dum vero eidem P. Benedicto præsentatio, ut vocant, pro dignitate abbatiali eius monasterii destinaretur a suo abbate, is se vehementer excusat; missa tamen eidem postea est, uti etiam P. Andreæ Geist pro monasterio Hirsaugiensi a præside congregationis Francisco abbate Weingartensi ad officium prioratus illis in monasteriis. Extant vero litteræ abbatis Wunibaldi in Ochsenhusen inscriptæ P. Benedicto Priori Ochsenhusano & administratori in Gottesau *fratri & filio dilecto.* Ultimæ ipsius Benedicti litteræ 17. Sept. an. 1640. scriptæ sunt Durlaci, quibus periculum monasteriis instans significat, nisi ab iis, quorum interest, auxilium præsentaneum præstetur. Addit tamen, monasterium Gottesaviense minus habere, quod conqueratur, quum Badenses in quibusvis casibus mitioris sint consilii, quam Wirtembergici. Rediens post pacem Westphalicam ad suum monasterium P. Benedictus Eisenschmid, Thanhemii an. 1668. defunctus est. De aliis rebus inter congregationem Bursfeldensem & Suevicam circa monasteria Hirsaugiense, Alperspacense & Gottesaugiense actitatis, dicemus infra suo loco.

XXX.

XXX. Monasterium S. Georgii sec. XVII. tres abbates habuit unius familiæ Geisserianæ, uniusque natalis soli ex Ingoldingen (qui Sueviæ vicus ad ipsam ditionem monasterii S. Georgii pertinet) viros incomparabiles, unum veluti per gradus altero præstantiorem. Seculum XVII. Monasterium S. Georgii.

Ex his prior Michael I. an. 1595. abbas, renunciante abbatiæ Blasio Schönlin Villingano, est salutatus, antecessorem vero uno tantum anno supervixit iuxta Ephemerides San-Georgianas, qui Blasium post abdicatam abbatiam an. 1595. Andlavii in Alsatia parochum ad annum usque 1605. sistunt; dum in necrologio Amptenhusano eidem annum 1600. assignatum lego his verbis: *Blasius Schönlin olim noster abbas, deinde parochus in Andlau* 1600. Quod de suscepto munere parochi intellexerim: siquidem is resignando abbatiam mundo valedixisse dicitur, & quidem nemini suo tempore animi corporisque vigore, & rerum gerendarum dexteritate secundus; qua tamen eius successor Michael Geisser inferior haud fuit, quippe qui causam monasterii sui ad S. Georgium, unde religionis causa expulsi sunt sui antecessores, in Imperiali camera Spirensi ita post Blasium est prosecutus, ut biennio post super sententia definitiva conclusum sit, pro qua maturanda & ferenda Maximilianus archidux Austriæ ad episcopum Spirensem, tanquam iudicem cæsareum cameralem an. 1603. promotoriales dedit, iteratas deinde sub eius successore Martino Starck altero regiminis suscepti an. 1607. Melchiori Haug, cui an. 1615. Martinus abbatiam resignavit, archidux Leopoldus alias promotoriales concessit, quibus deinde interventu Iacobi episc. Constantiensis Ferdinandus II. suas adiecit, quæ 10. Martii an. 1627. in pleno cameræ iudicio perlectæ sunt, easdemque eodem adhuc anno mortuo Melchiore, urgente Georgio II. Geisser eius successore, intercedente Wernero episc. Constant. repetiit, iterumque anno sequenti, supplicante cæsari Ioanne episc. Constantiensi. Quin & ipse summus pontifex Urbanus VIII. iudicem cameræ pro expedienda definitiva monuerat. Quæ demum sententia pro monasterio S. Georgii contra ducem Wirtembergiæ, post restitutorium Ferdinandi II. imp. edictum an. 1629. lata per rescriptum cæsareum, quod edimus, Ludovico Friderico duci Wirtembergiæ insinuata fuit.

Negotium monasteriorum in Wirtembergia restituendorum qui acceperunt a Ferdinando II. imp. Ioannes episc. Constantiensis, & Ioannes Eucharius abbas princeps Campidonensis, comes Carol. Lud. Ern. de Sulz & Hippolitus a Stotzingen, simul convenire statuerunt in Villingen,

SECULUM XVII.

lingen, quo etiam abbates, qui monasteriorum restitutionem petierant, venirent, ut apud P. Gerardum Hess sæpe laudatum memoratur a). *Reverendissimus ergo*, inquit, *D. Bartholomæus abbas Ochsenhusanus cum P. Mauro Baldung Weingartense & D. Maximiliano Müller & aliis decima nona Augusti ex Ochsenhausen profectus die vicesima prima, hora 2^da. pomeridiana venit Villingam. Illi & alii præsentes quum intellexissent, reverendissimos & illustrissimos principes commissarios adventare, una cum reverendissimo D. abbate e S. Blasio & reverendissimo D. abbate S. Georgii, & nobili ac generoso Dom. a Stotzingen eis obviam profecti sunt. Una hora & dimidia a civitate Villinga excepti sunt uterque princeps a D. abbate S. Georgii. Proxime Villingam ubi ventum, reverendissimi & illustrissimi principes a clero & magistratu Villingano excepti, sub umbella in templum parochiale sunt deducti, ibique cantatum* Te Deum laudamus. *Vigesima secunda Aug. Villingam venerunt Wirtembergici legati nobilis D. de Helmstetten & D. doctor Ieger, petieruntque in diem sequentem dilationem pro sua declaratione, qua obtenta, domum ad ducem rediere. Sequenti die scriptum ex monasterio S. Georgii a Wirtembergicis, cæsareanos commissarios non fore admittendos, & per consequens restitutionem monasteriorum eventum nullum habituram. Petierunt nihilominus denuo Wirtembergici dilationem usque ad vigesimam septimam Augusti, quam etiam obtinuerunt, ea tamen conditione, ut Wirtembergici sumtus, qui interea temporis fierent, persolverent. Vigesima septima Augusti domini commissarii aliique domini præsentes prælati Villinga cum centum & octoginta equis profecti sunt ad monasterium S. Georgii restituendum, sed portis obseratis a præsidiariis militibus ducis Wirtembergici, admissi non fuerunt. Ita negotium restitutionis dissipatum est: nam reverendissimus & illustrissimus princeps episcopus Constantiensis profectus est in Rosenegg, comes de Sulz ad sua, & alii paulatim domum. Præfectus aulæ comitis de Sulz missus fuit ad imperatorem, negotium omne eidem significaturus.* Fuit demum an. 1630. a cæsareis commissariis Georgius abbas monasterio suo immissus 2. Sept. ac sequenti die homagium a subditis accepit. Sed an. 1632. Wirtembergici, explorata Georgii absentia, eiectis religiosis, monasterium iterum occupaverunt, quod postea an. 1633. a præsidiariis Villinganis, colonello Aeschero, exustum, tandem an. 1634. post prœlium Nordlinganum restitutum fuit, ut apud Bucelinum hæc leguntur sub Georgio abb. qui an. 1640. a Ferdinando III. ad comitia Imperialia Ratisbonam citatus comparuit, & ad propositionem, non attenta protestatione Wittembergica, admissus, insuper secunda

a) Prodrom. monum. Guel. p. 465. &c.

cunda vice, sessionem in senatu principum, ad quem abbates spectant, habuit. SECULUM XVII.

Sed vi pacis Westphalicæ tandem an. 1649. in perpetuum proscriptus, veluti in exilium Villingam concessit, unde oriundi fuerunt proximi eius successores Michael Kederer, qui Georgio successit an. 1655. huic vero Ioannes Franciscus Scherer an. 1661. qui monasterio cum ecclesia a fundamentis extructo, Villingæ firmavit sedem.

Est mihi præ manibus eius epistola, qua an. 1668. Francisco Egoni Furstenbergico episc. Argentoratensi reditum gratulatus, in signum observantiæ breviusculam chronotaxin vitæ & gestorum B. Conradi cardinalis de Urach & B. Eginonis eiusdem stirpis, cuius est & Furstenbergica, ut suo loco ostendimus, obtulit; memoratque habere se porro in documentis monasterii sui alia nonnulla, quibus eiusdem illustrissimæ stirpis Furstenbergicæ origo & successio sparsim contineatur, contra aliquorum auctorum opiniones, qui chronologiam minus accuratam contexuere, quæ colligere ac in lucem forte proferre promittit.

Ni fallor autem, epistola illa autographa manu Georgii eius successoris exarata est. Utrumque laudat in itinere suo Germanico I. Mabillonius, historiæ suæ studiosissimum Ioannem abbatem septuagenarium, imprimis vero Priorem tunc, postea, ut mox videbimus, successorem Georgium III. studiorum suorum fautorem singularem, a quibus omni humanitatis & charitatis officio cum Michaele Germano socio fuit exceptus. *O qui amplexus*, exclamat, *& gaudia quanta fuere! Postridie, dum abitum paramus, dum optimus abbas in procumbentium colla ruit, ille sacculum nummis plenum in manus meas iniecit, multum obtestatus, suo ut de paupere censu tantillum hoc in viatici supplementum acciperemus. Ego vero quasi recepta bruma, protinus manum excutiens, gratiis dictis, quum ille donum urgere perseveraret, & nos, inquam, omnium hominum ignavissimos, si tam liberaliter a vobis excepti, etiam pecuniam hanc, nullius indigi reciperemus. Abbas contra instare ardentius, favente Geissero, sed tandem illi cedere coacti, nos haud sine lacrymis dimiserunt.*

Est, quem Geiserum nominat, tertius ille eiusdem familiæ, quam laudavimus, abbas incomparabilis Georgius III. cui idem Mabillonius in præfat. T. I. Annal. primas se debere profitetur inter eos, a quibus in condendis Annalibus adiutus sit; passimque vocat virum doctum, eruditum, vere pium: amicum sibi optimum, longe gratissimum, & fa-

SECULUM XVII.

miliarem, studiorum suorum fautorem singularem &c. ut iam P. Felix Egger in Idea Ordinis hierarchico-Benedictini a) annotavit, affertque litteras funerales RR. PP. Villinganorum, elogium abbatis sui Georgii complectentes, elogium porro P. Arsenii Sulger in Annal. Zwifuld. catalogum item opusculorum typis vulgatorum: qui etiam apud P. Zielgelbaur extat in hist. lit. O. S. B. b) tum vero, quæ de eodem Theod. Ruinartus in vita Mabillonii habet in comparatione ipsius magni Mabillonii: *Ambo*, inquit, *Mabillonius & Geisserus, ut amore, ita & ingenio pares erant &c.* Notatur quoque in dandis consiliis prudentiæ singularis fuisse, quibus tum præcipue card. Sfondrati in gravissimis negotiis usus fuerit, quum alii viri primarii, principes & magnates, abbates etiam Congregationis Suevicæ, cui se Melchior abbas adiunxerat, eum ad Philippum Wilhelmum comitem Palatinum, restituendorum monasteriorum causa, ablegaverant, electorque non sine admiratione & stupore suspiciens, in hæc verba, teste illustrissimo principe Frobenio, ex Landgraviis Furstenbergicis de Möskirch, præsente prorupit: *Quam magnus & mirabilis Deus in creaturis suis, qui in parvum adeo corpusculum tantam eloquentiam, & doctrinam cum summa humilitate & pietate coniunctam infudit.* Is an. 1690. morte, magno etiam principum luctu, abreptus, *virtutis splendore tota Germania clarus, deque nostra Congregatione* (sunt verba laudati mox Ruinarti) *perinde ac de toto Ordine præclare meritus* successorem habuit Michaelem Glücker Rottwilanum, qui facilitate morum ac lepore seculi nostri XVIII. præbuit se oblectamentum.

a) P. III. Dissert. VI. p. 463.

b) P. III. p. 406.

Alperspacense.

XXXI. In Msc. chronico Wirtembergico Ioanni Luzion memorantur abbates lutherani (quandoque etiam eorum uxores) de monasterio S. Georgii & Alperspacensi in Nigra silva inde a medio seculo XVI. usque ad adolescens XVII. quousque chronicon suum producit, ultimumque Alperspacensem ponit ad an. 1610. M. Alexandrum Walfahrt. In actis Congregationum Bursfeldensis & Suevicæ occurrit Casparus abbas Alperspacensis, qui præsens fuit comitiis Benedictinis omnium Congregationum eiusdem Ordinis per Germaniam indictis ad an. 1631. postea vero sese opposuit transactioni inter abbates Weingartensem, præsidem Congregationis Suevicæ, & abbatem Stadiensem, præsidem Bursfeldensis Congregationis an. 1635. factæ; consuluit vero Alperspacensis Congregationi Suevicæ, ut præcise incorporationis cæsareæ decreto inhæreat. Petierat an. 1630. libello supplici a Ferdinando imperatore restitutionem monasteriorum in Alperspach, Blaubeuren, Hirschau cum filialibus

filialibus Reichenbach, Gottesau & Murhardt; obtinuitque an. 1634. decretum confirmationis tutelæque cæsareæ a Ferdinando III. super dicta monasteria, ex quibus Congregatio Bursfeldensis Arlperspacense, Hirsaugiense & Gottesaviense, sibi antea unita, repetebat, ut suo loco infra videbimus. Notatur in Gallia christiana a) Alphonsus Kleinhans Veltkyrchensis, ex abbate Alperspacensi electus Ochsenhusanus die 23. Febr. an. 1658.

SECULUM XVII.

a) T. V. p. 1065.

Monasterium S. Petri.

XXXII. Monasterium S. Petri in Nigra silva, si primam suam Wihlhemii in Wirtembergia servasset sedem, eadem subiisset cum recensitis modo ducatus Wirtembergici cœnobiis fata, nunc vero floret eluctatum ex cineribus, in quos sec. XVII. non semel fuit redactum. Ad finem sec. XVI. Clemens VIII. P. sub Michaele Stöcklin Binsdorfensi, abbate S. Petri, ad resarcienda maxima damna, quæ fuerat tempore innovatæ religionis perpessum monasterium, eidem univit præposituram Seldensem, olim congregationis Cluniacensis asceterium virginum; monasterium autem S. Udalrici virorum S. Petro iam circa medium sec. XVI. coniunctum fuit, an. 1611. in cineres redactum sub Ioanne VII. abbate, cui an. 1609. Ioannes Iacobus Pfeiffer Rottwillanus libere resignando, abbatiam cessit, quam an. 1601. regendam susceperat post mortem Michaelis, cuius antecessor Gallus Vögelin resignatus item abbas demum an. 1604. mortuus fuit. Ioannes VII. etiam, bonus quidem religiosus, œconomiæ autem imperitus, nec confirmatus, administrationem monasterii cedere debuit an. 1612. cognomini Ioanni Held Villingano, qui quidem confirmatus, antequam tamen benedictionem abbatialem acciperet, defunctus est an. 1614. Ioannes autem, quem memoravimus septimum, quique fuit Nigrasilvanus ex Waldau ditionis S. Petri, mortuus est demum an. 1635. Præpositus in Selden, duobus tantum annis ante Petrum Mynsinger huius nominis quartum, ex Binzdorf oriundum, sub quo monasterium S. Petri Congregationi Suevicæ accessit.

Moriens Petrus an. 1637. successorem habuit Matthæum Welzenmuller difficillimis belli tricennalis temporibus, quo a Suecis & Gallis, cæsareum militem præsidiarium ex monasterio pellentibus, istud in cineres redactum est an. 1644. cumque eodem preciosa supellex vererunt imprimis MSS. codicum, de quibus nobis constat ex testimonio Io. Pistorii, quorum se egregium usum fecisse testatur sub Michaele abbate, quem incunte sec. XVII. devixisse intelleximus. Matthæus vero abbas

SECULUM XVII.

cum ſuis exul monaſterium non paucis annis in ruina relinquere coactus eſt; reſtauratum tamen poſtea ab eo magnam partem fuit.

Sub Matthæi ſucceſſore Placido Röſch Breunlingano menſe Septembri præſente toto conventu aperta, & recluſa eſt tumba ſubterranea familiæ Zaringicæ, fundatorum huius monaſterii S. Petri, in fornicem concamerata, cui olim ante conflagrationem monaſterii memoratam impoſitum erat mauſolæum ſplendidum ac magnificum ex lapide affabre exciſo, longo pedes circiter decem, quinque lato, alto ſuper terram quatuor. Huic ſuperne inſculpta erat imago Bertoldi II. fundatoris, cataphracti. Fuit hæc tumba in medio templi parochialis ſive exterioris ante crucem. Inventa ſunt novem crania cum oſſibus ordinata ſtrue collocatis.

Obiit in Domino Placidus abbas an. 1670. vitæ contemplativæ magis, quam activæ gnarus, monaſterium ſucceſſori Paulo Paſtori Villinga oriundo, ære alieno admodum gravatum relinquens. Acceſſit an. 1678. monaſterii, eccleſiæ, omniumque adiacentium ædificiorum omnimoda conflagratio: cui quidem cauſam præbuit ipſa cohors cæſarea, duce Maximiliano comite de Starenberg, dum vallum ligneum, quo miles Gallus ſe continebat, incenſurus, ignem in vicinum ædificium iniicit, quo vero non ſtrues lignea, ſed ipſum monaſterium conflagravit, ab optimo præſule vero ita reſtauratum, reſque reſtituta, ut a ſuis nomen alterius fundatoris meruerit.

Res ſacra an. 1686. iterum inſtitui cœpta eſt, dum interim monachi hinc inde per monaſteria diſperſi degerent: iamque an. 1680. obierat P. Carolomannus Hanſelmann apud S. Ulricum, ubi extremos vitæ annos degit cum P. Mauro Heſs, Pauli abbatis ad finem ſec. XVII. ſucceſſore, poſtquam, ut ephemerides San-Petrini habent, fundamenta boni religioſi & ſtudioſi in monaſterio S. Galli, devoti ſacerdotis vero & confeſſarii in S. Blaſio, & apud Thaumaturgam in Tottmos poſuit. P. Carolomannus autem Staufa Briſgoiæ oriundus, poſtquam multis annis parochi urbis Briſacenſis & Decani capituli Briſacenſis munere laudatiſſime perfunctus eſſet, monachum poſtea profeſſus ad S. Petrum, 24. annis ibidem Prior vigilantiſſimus fuit, conſtanter recuſata dignitate abbatis, eidem oblata poſt mortem Placidi abbatis, *cuius*, ut habet eius epitaphium ad S. Ulricum, *ſummis beneficiis ſtetit erectum S. Petri monaſterium.*

XXXIII.

Seculum XVII.

Parthenium Sulzburgense.

XXXIII. Agitabatur etiam post Ferdinandi II. imp. edictum restitutionis an. 1629. restitutio cœnobii monialium Sulzburgensis Ord. S. B. in Brisgoia. Oblatum id fuerat Patribus Ord. S. Franc. conventual. an. 1631. ea conditione, ut monasterium suum Lindaviense in Suevia Iesuitis cederent. Indicavit rem primum P. Ebertus Guardianus Lucernæ P. Francisco Chullot monacho San-Blasiano, & mox etiam R. P. Ludovicus a Musis, Provincialis eiusdem Ord. ipsi Blasio abbati S. Blasii, sese concambium hoc detrectare professus in gratitudinem erga Ordinem S. Bened. iusque antiquissimum congregationis S. Blasii, quantum ad visitationem constituendumque Priorem ac confessarium monialium Sulzburgensium attinet; idque urgebat laudatus abbas apud aulam cæsaream, iudiciumque Imperiale aulicum per P. Placidum Rauber Viennæ tum maxime, quando imperator post prœlium Nordlinganum an. 1634. Friderico VI. ablatum marggraviatum superiorem Claudiæ Medicææ Leopoldi V. archid. viduæ tradiderat, apud quam Iesuitæ gratiosi rem studiosius egerunt, missis eo iam an. 1637. emissariis seu exploratoribus; quo comperto Blasius abbas S. Blasii ammano suo in Schönau demandavit, sese nomine sui monasterii opponeret ac protestaretur, siquidem Iesuitæ immissionem tentarent. Iussit etiam anno sequenti Præposito suo in Crozingen, ut per hebdomadam semel saltem missam in ecclesia Sulzburgensi celebraret, quod etiam a Capucinis Neoburgensibus diebus dominicis ac festis fiebat; dum vero Claudia archid. marchioni regionem restituit, res omnis infecta mansit.

Alba dominarum.

XXXIV. Meliorem habuit sortem cœnobium nobilium virginum ad Albam, torrentem Nigræ silvæ septentrionalis, ex quo quidem ad finem sec. XVI. Ernestus Fridericus, marchia superiore potitus cum comite Ebersteinensi abbatissam Paulam de Weitershausen subditasque ei moniales deturbavit, ac cedere nolentes carceri mancipavit; episcopus autem Spirensis causam monasterii apud cameram Imperialem Spiræ egit, obtinuitque mandatum, quo marchioni & comiti Ebersteinensi iniunctum fuit, ut abbatissa & monialibus captivitate liberatis, privilegia & documenta cœnobio restituerent, sed marchio iudicium cameræ declinavit, uti apud Schœpflinum legere est a).

a) *Hist. Bad. T. III. p. 110.*

Promulgato sæpe laudato Ferdinandi II. edicto an. 1629. restitutum est monasterium, fuitque an. 1631. Ioanna Maria de Mandach electa abbatissa, quæ postea etiam particeps fieri petiit protectorii, quod a Ferdinando III. monasteria Wirtembergica obtinuerunt. Petiit porro eadem

Seculum XVII.

dem an. 1635. P. Oswaldum Hammerer conventualem Ochsenhusanum pro confessario, qui tunc temporis parochum in ditione archisterii S. Galli egit, qua vero relicta ad monasterium Albæ dominarum eodem adhuc concessit anno, quo ipso homagium a subditis accepisse abbatissa, uti etiam an. 1643. post eam M. Margaretha de Greith legitur a), adhuc superstes an. 1660. postquam iam an. 1655. Wilhelmus Bado-Badensis marchio, agentibus Schwarzacensi & Schutterano abbatibus, cum consensu Wolckensteinii & Cronfeldæ comitum, pristina iura confirmavit monasterio, hoc præcipue, ut religio Romano-Catholica in monasterio & in omni eius ditione perpetuis temporibus illibata persistat, omni religionis mutatione interdicta, uti habet instrumentum apud Schœpflinum b), qui illud novam monasterii fundationem inscribit.

a) *Vertheidigte Reichs-Immunität* p. 168. 196. 199.

b) T. VII. p. 206.

Alba dominorum.

XXXV. Quam beata alteri a torrente Alba in plaga septentrionali Nigræ silvæ sito monasterio, appellato Alba dominorum Ord. Cisterciensis hæc fuisset sors, siquidem ipso illo post medium sec. XVII. quo laudatus modo Wilhelmus Badensis princeps catholicissimus an. 1652. a Ferdinando III. imp. constitutus est supremus iudicii Imperialis cameræ iudex, renovata tunc intentione litis, obtinuisset perinde monasterium hoc Albense, ac Reichenbacense, de quo diximus supra! Utrumque art. III. pacis Osnabrugensis §. 24. interea monasteria comprehenditur, quæ duci Wirtembergico restitui sunt decreta. Ex Schœpflini autem hist. Badensi discimus c), Wilhelmum marchionem de iuribus suis sollicitum Stuttgardiam tunc misisse legatum, ducis ea de re ut cognosceret animum, qui verba illa in instrumento pacis generatim posita, Badensibus iuribus fraudi non futura ostendit, curaturum se addens, ut quam primum satisfiat Wilhelmo. Marchio his promissis contentus apud internuncios pacis iura sua ulterius non est prosecutus.

c) T. III. p. 117. &c.

Vigore edicti Ferdinandei an. 1629. quo Protestantes ecclesiastica bona, a transactionis Passaviensis temporibus occupata, catholicis restituere iubebantur, etiam Alba dominorum fuit restituta, ubi ab anno circiter 1589. usque 1627. erant Lutherani. Restituit Nicolao abbati an. 1631. Mascham & Ottersviram, annoque sequenti, instituta contra Wirtembergiæ ducem apud consilium aulicum actione, reliqua advocatiæ Albæ dominorum loca, in marchia sita, restitui postulavit. Lis durante bello tricennali protracta, post pacem Westphalicam an. 1654. & 1661. fortius agitata, ad nostra usque tempora inter indecisas refertur,

teste

teste Schœpflino. Ex monasterio vero circa annum 1642. a Suecis expulsi cum abbate religiosi, nunquam deinceps redierunt. Seculum XVII.

XXXVI. Dum anno itidem 1642. virtute Ferdinandei decreti Bernardinus Buchinger abbatialem benedictionem 5. Octobr. consequeretur pro monasterio Mulbrunensi eiusdem Ord. Cisterc. astitit etiam Bernardus Stolz Gebwilanus, abbas Tenenbacensis, in monasterio Schönthal, ubi tunc congregationis capitulum provinciale celebrabatur a Cæsariensi abbate Georgio ex indultu Urbani VIII. ut in Gall. christ. a) notatur, assistentibus abbatibus Christophoro Schönthalensi & Bernardo Tennenbacensi, ubi an. 1629. in annotat. Alsaticis & Brisgoicis P. Bernardi Muggii Ettenheimensis monachi Adamum adhuc abbatem præfuisse lego. In Gall. christ. post Hugonem Burstetter Waldkirchensem, memorati Bernardi successorem, Nicolaus II. Goldlin de Keffenaco Maristellanus monachus, deinde an. 1652. parochus in Dietikon, tum a confessionibus in parthenone Frauenthal, anno 1664. eligitur in abbatem Tennenbacensem, quumque duodecim annis præfuisset, a propriis sodalibus revocatus, Maristellam gubernavit ab an. 1676. ad 1686. Tennenbaci autem successorem habuit Robertum Handtmann Villinganum, hicque Placidum Wilhelmi Burgheimensem.

Tennenbacense monasterium.

a) T. V. p. 1089.

XXXVII. Inter alia parthenia, quæ ad curam monasterii Tennenbacensis pertinent, Gunthersthalense est nobilium virginum, in quo Mariæ Stören de Störenberg an. 1594. succedens Anna de Hagenbach viginti tribus annis bene præfuit usque ad an. 1617. quo Maria Cleophe de Dankenwihl eius vestigiis incedens, post annos sexdecim in fama singularis pietatis defuncta est, exul tempore belli tricennalis an. 1633. in Steckboren apud monasterium Feldbacense eiusdem Ord. Cisterc. ibidem sepulta. Post eam M. Cleophe de Rheinach, postquam octo annis laudabiliter præfuisset, durante eodem bello Friburgi an. 1643. mortua, in propinquo suo monasterio sepulturæ tradita est: monasterium vero aliquot annis antistita caruit, monialibus per monasteria hinc inde dispersis, donec conventu facto M. Salomen eiusdem familiæ de Rheinach abbatissam eligerent, quæ post transactos boni regiminis annos 23. & menses 7. defuncta an. 1668. locum dedit M. Agneti de Greüth, hæcque an. 1694. Friburgi sub bello Gallico defuncta, M. Franciscæ de Grandmont, perinde difficillimis bellorum temporibus expositæ, ad pomœria quippe urbis Friburgensis sito monasterio, paucis a Brisaco leucis, quæ fuerunt loca Brisgoiæ munitissima, urbesque toties ab hostibus obsessæ occupatæque.

Guntersthal.

SECULUM XVII.

Friedenwiler & Neidingen.

XXXVIII. Monasterium in Friedenwiler, vergente iam seculo XVI. Ordini Cisterciensi assertum, tam brevi effloruisse vidimus, ut disciplinæ monasticæ causa virginibus hisce aliæ ex aliis monasteriis se sociarent, aut hinc ad alia monasteria peterentur, & quidem M. Amalia Reinerin an. 1591. postulata abbatissa ad monasterium Mariahof per 40. annos ad annum usque 1631. maximo cum profectu spirituali & temporali præfuit.

Ineunte seculo XVII. notatur abbatissa M. Lucia, quando mox anno seculari 1600. molendinum, præcipuum e rebus monasterii, igne conflagravit. Reverendissimus Ordinis Cisterciensis Generalis, an. 1609. præsens in Friedenwiler, nimium in ieiunando temporavit rigorem, quem hactenus observabant moniales, ob paupertatem alias tenuissime victitantes, sola etiam usæ aqua ad potum; nihil tamen ab exercitiis pietatis ac religionis in choro remiserunt, quantum quidem turbulentissimum seculum XVII. permisit, bellum primum tricennale, quo monasterium ter fuit expilatum, monialesque præsertim ab an. 1633. usque ad finem belli sæpe per asperas silvas errare compulsæ, atque delitescere. Erat tunc abbatissa M. Anna, quæ viginti & uno anno, quibus præfuit, exul fere fuit.

Respiravit paullulum monasterium sub venerabili abbatissa Maria Martha Stegerin, quam sec. XVII. primam Franciscus Petrus in Suevia eccles. ad an. 1653. memorat, moxque ad an. 1678. Bellonam Gallicam, qua Nigra silva tetra hostilis invasionis formidine tota fere obruta fuit, quum iam an. 1677. urbe Friburgensi obsessa, captaque, moniales ex Fridenwiler metu hostis extorres in Helvetiam ac Bavariam usque dispersæ abiissent. An. 1687. monasterium vix periculum omnimodæ conflagrationis evasit, dum ignem iam de locis concepisset ex incendio fabrilis fabricæ, moxque anno sequenti novo bello Gallico emigrandum iterum fuit conventui cum abbatissa M. Anna Ursula Friburgensi, quæ proxime præcedenti electa, iubilæa an. 1720. adhuc præfuit, ut testatur Gallia christ. etiam de M. Antonia Constantiensi electa ad finem sec. XVII. abbatissa in monasterio Neidingensi eiusdem Ordinis Cisterc. ditionisque Furstenbergicæ, ubi mausolæum est illustrissimæ familiæ, cui tamen sec. XVII. nullus illatus esse legitur.

Amaliæ, quam libro superiore primam in Neidingen abbatissam memoravimus, postquam an. 1629. munus deposuisset M. Margaritha Ra erin

canonice

canonice electa præside Thoma Wunn abb. Salemitano annis 26. usque ad an. 1655. præfuit succedente Benedicta Suterin Cellensi, quæ ob bellum Gallicum exul post 20. annos an. 1677. mortua est, & post totidem annos M. Benedicta Baumannin ex Fridenwiler oriunda an. 1699. ipso S. professionis die 22. Aprilis sancte in Domino defuncta. SECULUM XVII.

XXXIX. In Carthusia Friburgensi ad finem sec. XVI. professus fuit venerabilis Matthias Tannerus, quem vero grandævum furor Suecicus in Austriam fugarat, uti in eius elogio legitur apud Bern. Pezium in præfatione T. VIII. Bibl. Ascet. ubi catalogus eius operum texitur, sequiturque ibidem eius liber de vitis primarum sanctarum sororum monasterii sub Tilia, vulgo Underlinden, Ord. S. Dominici Colmariæ in Alsatia siti. In eadem Carthusia Friburgensi Sacrum Ordinem Carthusianum professus est iam grandævus annos natus 70. Iodocus Lorichius S. scripturæ doctor atque in academia Friburg. professor per 30. fere annos, mortuus, antequam difficillima illa sec. XVII. bellicosissimi tempora ingruerent, quæ non potuerunt non Carthusiam Friburgensem, urbi adhærentem, miserrimum in modum concutere. Carthusia Friburgensis.

XL. Eadem fuit ratio monasterii Wilhelmitarum, quod fuerat in ipso suburbio urbis Friburgensis, quodque an. 1656. perhibetur restaurasse Io. Iac. Meyer ex ruinis belli Suecici, quo Io. Udalricus Roth Prior iam ab an. 1597. officium resignavit, an. 1634. exul Clingnovii, ubi eiusdem Ordinis est monasterium Sion, ex quo successorem accepit Matthæum Deck, Io. Iacobus vero an. 1670. Laurentium Schechtelin, mortuum an. 1677. quo capta a milite Gallico urbe Friburgensi, Wilhelmitæ unanimi consilio relicto monasterio in suburbio, recesserunt ad proprium fundum in Oberriedt, ibique novum erexerunt sibi claustrale domicilium sub Priore Benedicto Haefelin. Wilhelmitæ.

XLI. Vinculum, quo plerique Ordines monastici sub regula S. Benedicti medio ævo ad exemplum Cistercienfium & Carthusianorum sese consociabant, traxit etiam monachos nigros, ut vocabantur, qui primigenium institutum, seu nomen Ordinis S. Benedicti conservabant, quemadmodum in libris proximis edisseruimus, prodidimusque studia ea in re non modo summorum pontificum, sed etiam conciliorum Constantiensis imprimis, Basileensis ac Tridentini tunc temporis, quum in Germania nostra præcipua Bursfeldensis congregatio, monasterio illo in manu protestantium extincto, iam deficiebat, cui primum monasterium Alperspacense, ac postea etiam an. 1458. Hirsaugiense & Gottesaviense Congregationes Benedictinæ.

SECULUM XVII.

nomen dederant. Edimus libellum ab abbatibus monasteriorum Hirsaugiensis, Schutterani & Alperspacensis ad venerabile capitulum annale unionis Bursfeldensis datum an. 1533. Bucelinus in catalogo monasteriorum unionis Bursfeldensis, quem h. v. P. II. Germ. sacræ p. 18. inserit, his ad annum. 1571. Gengenbacense addit, & demum ineunte sec. XVII. Ettenheimmunster unitum memorat inter postrema an. 1607.

Pars horum monasteriorum, ut vidimus, in Wirtembergia & marchionatu Durlacensi religioni catholicæ, ac Benedictinæ erepta sec. XVI. restituta an. 1629. edicto Ferdinandeo fuerunt. Ex his primum Alperspacense per electionem abbatem accepit Nicolaum; monasteria vero Hirsaugiense & Gottesaviense administratores, quos iam indigitavimus: illud P. Andream Geist Priorem Weingartensem, hoc P. Benedictum Eisenschmid Priorem Ochsenhusanum. Edimus Raymundi Blauburensis abbatis instrumentum an. 1631. quo testatur 19. Sept. an. 1630. restitutionem monasterii Hirsaugiensis factam iuxta cæsareum executionis decretum, datum Congregationi Suevicæ Benedictinæ, quæ an. 1630. eam restitutionem petierat.

Congregatio hæc ab ineunte sec. XVII. in superiore Suevia maxime effloruit, uti P. Romani Hay Astrum inextinctum prodit a), allato in medium Brevi Apost. Clementis VIII. an. 1603. memorata item eiusdem pontificis bulla an. 1597. qua congregationem Bursfeldensem quasi porrecta tabula sustentavit. temporum iniquitate luctantem nonnunquam. Numerabat monasteria quindecim supra centum Bursfeldensis consociatio, atque ineunte adhuc sec. XVII. capitulorum suorum annalium recessus quaquaversum misit: veluti in scriniis S. Blasii habentur an. 1600. 1602. & 1603. quando celebratum est Coloniæ Agrippinæ in monasterio S. Pantaleonis Capitulum. Ultimus recessus transmissus est ad Martinum abb. S. Blasii a Georgio abbate in Vineis 8. Dec. an. 1615. ut autographæ litteræ produnt.

a) p. 237.

Idem Georgius Weingartensis abb. iam an. 1603. eumdem abbatem S. Blasii peramanter ad congregationem Suevicam invitaverat, conventumque abbatum ad diem 22. Octobris Ochsenhusium indictum, quo conventuri essent omnes abbates Sueviæ, consulturi de nova congregatione stabilienda, eoque misit Martinus abbas P. Georgium Ruefelman, qui prius fuerat, & P. Adamum Waffenschmid, qui tunc erat Prior S. Blasii; sed quid tunc gestum sit, dum acta silent, silentium loquitur.

Plerique

Plerique vero conventus efflorescentis Congregationis Suevicæ in monasterio Weingartensi sub Georgio abbate ab an. 1586. usque 1627. sunt habiti: in quibus de conformitate cum in officio divino, tum in omni œconomiæ genere, de condendis Constitutionibus, corrigendo imprimendoque Breviario cogitare cœperunt, atque auctore præsertim & promotore Hieronymo comite de Portia nuntio apostolico egregie rem præstiterunt, ut P. Gerardus Hess ex scriniis domesticis rerum optime gnarus commemorat in sæpe laudato prodromo monum. Guelph. ubi historiam abbatum Weingartensium prosequitur; affertque Io. Iac. Mirgelii diœcesis Constantiensis suffraganei testimonium de Georgio abbate, eum suæ diœcesis reformatorem appellantis. Unde etiam reformationis causa eo abbate ad varia Nigræ silvæ monasteria monachi Weingartenses sunt evocati: veluti ad monasterium S. Petri iam an. 1609. P. Franciscus Dietrich cum aliis quatuor, iterumque an. 1624. Refert sæpe laudatus P. Hess a) abbatis Petri apud S. Petrum litteras, quibus citius iterum revocatos RR. Patres & Fratres queritur; memorat vero, denuo eos rediisse, monasticamque restituisse disciplinam, dum ipse abbas S. Petri ad Vineas veniens repetiisset colonos: *quo eodem anno*, ut ex adversariis P. Gabr. Bucelini refert b) *eodemque die & ex eadem causa abbas S. Trudperti huc delatus, obtinuit P. Placidum Kessering, Bernardum Han & me* (Gabrielem Bucelinum) *Novitiorum magistrum, ibidem constituendos. Septima die May cum iis, qui ad S. Petrum destinati sunt, discessimus.* Ad S. Petrum autem abierunt PP. Maurus Baldung Prior, Hieronymus Reinold RR. Patrum confessarius, & Dominicus Layman Novitiorum magister futurus. Item ibidem: *Anno 1624. 13. Februarii P. Ioannes Fridericus Ongmus Prior in Schuttern rogatu iam dicti archiducis pro disciplina addiscenda aliquamdiu apud nos commoratus, amplissimis gratiis habitis domum revertitur.* Innuit autem hic Bucelinus Leopoldum archiducem Austriæ episcopum Arginentinensem, qui pro abbatia sua Murbacensi, aliisque suæ diœcesis monasteriis trans Rhenum, cis Rhenum vero ad monasterium Gengenbacense, collegio quidem abbatum Sueviæ, congregationi autem, ut modo diximus, Bursfeldensi addictum, situmque ad Nigræ silvæ fauces, colonos e Vineis postulabat, ut apud eumdem P. Hess c) legere est.

a) p. 346.

b) Ib. p. 363.

c) Ib. p. 342.

Frustra agitabatur unio utriusque Congregationis Bursfeldensis & Suevicæ, oborta postea simultate post edictum Ferdinandi II. an. 1629. & indultum Ferdinandi III. anni sequentis, quod iam indicavimus, virtute

SECULUM XVII. cuius Congregatio Suevica monasteria Nigræ silvæ sæpe memorata vindicabat; Congregatio autem Bursfeldensis etiam repetebat, utpote olim suæ unionis.

Res cumprimis agitabatur an. 1635. post prælium Nordlinganum, aderatque Emericus abbas Stadiensis nomine Congreg. Bursfeldensis, abbatias Alperspacensem, Hirsaugiensem & Gottesaviensem repetens, exhibitis 20. Febr. coram præside Congregationis Suevicæ Francisco abbate Weingartensi patentibus litteris, quod is per epistolam Wunibaldo Ochsenhusano Congregationis eiusdem visitatori significat, uterque vero litteris ius suum in dicta monasteria Stadiensi indicat: quo non obstante Stadiensis in monasterio Hirsaugiensi die 15. May abbatem constituit, præsentibus Nicolao Alperspacensi & Raymundo Blauburensi abbatibus. Elegit quidem P. Andream Geist, qui erat administrator, quem etiam Weingartensis & Ochsenhusanus in animo habuerant, uti Benedictum Eisenschmid pro abbate Gottesaviensi, iam concepta calamo præsentatione ad Ordinarium Spirensem, die 19. Aprilis; Stadiensis vero electionem, nulla habita ratione episcopi Spirensis, fecit die 15. May, ut diximus: postera die Io. Grau consiliarius cæsareus cum Stadiensi colludens, vocato coram se ad privatum colloquium P. Benedicto Eisenschmid aperit, propositum sibi esse, eum publice in ecclesia coram notario & duobus testibus, abbatibus neo-electo Hirsaugiensi & Stadiensi primo ceu Priorem & administratorem, deinde abbatem monasterii Gottesaviensis proclamare, præsentatione ad episcopum relicta Congregationi Bursfeldensi, proposita etiam formula iuramenti, quo huic Congregationi sese obstringeret; quod quidem, acceptata abbatia, P. Andreas Geist deposuit, electionem vero litteris ad suum abbatem, die 13. Iunii datis, excusat. Etsi vero P. Benedictum non constet consensisse in electionem, qui quidem præsens aderat electioni P. Andreæ Geist in Hirschau, iuramentum tamen eum etiam abbati Stadiensi fecisse, prodit epistola Wunibaldi abbatis sui Ochsenhusani, data 1. Iulii, qua contra illud protestatur, asserens, se neque tacite, neque expresse umquam consensisse, neque consensurum umquam, nisi tota Congregatio Suevica cum Bursfeldensi foret unienda. Interim ei administrationem monasterii Gottesaugiensis nomine Congregationis Suevicæ, donec aliud iusserit, deinceps etiam committit: approbat item, quidquid abbates Alperspacensis & Blauburensis tam quod suam P. Benedicti spectet personam, quam etiam quod monasterium Gottesaugiense attineat, cum abbate Stadiensi transacturi sint, sola unione excepta.

Hæc

Hæc vero cum Congregatione Suevica felicius processerat; quod alia Nigræ silvæ monasteria attinet SS. Trudperti, Georgii & Petri, quæ supra meminimus, fuisse unienda ad intentionem Romanæ sedis cum San-Blasiana Congregatione, ad rem prorsus indifferente, perinde etiam dum a nuntio apost. Lucernensi Ludovico Adriæ episcopo an. 1616. urgebatur coniunctio cum Congregatione Helvetica: qua tunc non succedente unione, anno demum 1680. confœderatio inter utramque Congregationem facta est apud S. Gallum, vi cuius ineunte adhuc præsenti seculo XVIII. ut notat sæpe laudatus P. Gerardus Hess an. 1705. a) Sebastianus abbas Weingartensis, præses Congreg. Suevicæ, & Antonius Maioraugiensis apud S. Gallum cum Helveticis, S. Galli, Einsidlensi, & Renoviensi abbatibus iuxta conventa utriusque Congregationis visitationem habituri, convenerunt.

SECULUM XVII.

a) l. c. p. 495. 531.

Mentionem iam iniecimus consilii Romæ agitati, erigendæ peculiaris Congregationis Benedictinæ Nigrasilvanæ ex naufragio residuæ, exceptis monasteriis diœcesis Argentinensis, in qua an. 1624. Leopoldus episc. abbatibus suæ diœcesis prohibuit, imposterum comparere in capitulis Congreg. Bursfeldensis, novamque ex septem monasteriis Ord. S. Bened. suæ diœcesis, ex quibus cis Rhenum sunt Schuttern, Ettenheimmunster, Gengenbach & Schwarzach, instituit Congregationem.

In Suevia distincta fuit postea Congregatio S. Spiritus diœcesis Augustanæ, & an. 1641. archidiœcesis Salisburgensis, iubente Bernardo archiepiscopo; in Bavaria vero & Austria veteres pene antiquatæ Castellensis, & Mellicensis caput iterum erigere cœperunt, ac hæc quidem agentibus potissimum, ut in chron. Mellic. P. Schram legere est b), abbatibus Casparo & Reinero, sub quo in capitulo provinciali, habito an. 1635. constitutiones a Romana sede approbatæ, ac iam an. 1625. typis editæ, communi consensu receptæ tunc sunt, donec de communi totius Germaniæ Congregatione consilium præplacere visum. Bavarica vero meliori consilio post hæc omnia sec. XVII. instituta sub tutela Rom. sedis ab an. 1684. quando primum celebratum fuit capitulum provinciale, insigniter effloruit, ut palam fit ex epist. nuntii apostolici apud Colonienses an. 1693. ad collegium cardinalium scripta, uti legitur apud P. Bernardum Pezium c): ubi id post alia observat circa statum Congreg. Benedictino-Bavaricæ, *quæ*, ait, *multum diversa est a Congregatione Bursfeldensi istarum partium*, *quæ quia non potuit sese eximere a subiectione episcoporum*, *iacet in deplorato statu*, *&* *deficit vehementer dum in dis-*

b) p. 714. 770. &c.

c) Bibl. Ascet. T. VIII. p. 556.

SECULUM XVII. *ciplina regulari & ecclesiastica, tum œconomica, præsertim in principalioribus monasteriis*, quod exemplis comprobat.

Atqui fuit hoc potissimum impedimentum, quod iniectum fuit unioni Congregationum Germaniæ, quam, favente Romana sede, potissimum egit Ioannes Bernardus abbas Fuldensis, præses tunc Congregationis Bursfeldensis, conventu eius rei gratia indicto Ratisbonæ an. 1630. cum quo, ut laudatus P. Schramm notat a) comparuere Antonius abbas Cremifanensis nomine Congregationis Austriacæ; Michael abbas Andecensis & Lucas abbas Prislingensis nomine abbatum in Bavaria. P. Gerardus Hess in prodromo monum. Guelph. an. 1631. b) 12. Ianuarii ex Ochsenhausen abiisse memorat R. P. Augustinum Brendlin cum Reverendissimo D. abbate Ochsenhusano ad comitia hæc Benedictina omnium Congregationum eiusdem Ordinis per Germaniam destinatum: invitatos porro fuisse a directore horum comitiorum Illustrissimo principe Bernardo Fuldensi abbate, ex Helvetica, Suevica, Austriaca, Alsatica, Bursfeldensi, Saxonica, Congregatione qualibet aut duos abbates, aut ad minimum unum abbatem cum adiuncto sibi religioso, qui tractarent de unione Benedictini Ordinis per Germaniam facienda. Addit, Helveticos & Augustanos abbates non comparuisse, interim vero Franciscum Weingartensem, Balthasarem Zwifaltensem & Casparum Alperspacensem Constantiam profectos esse, tractaturos cum episcopalibus de visitatione monasteriorum Congreg. Suevicæ. Die 19. Ianuarii, eodem teste, Ratisbonæ in ædibus D. Ioannis Vogelii civis catholici primus conventus habitus fuit directore Bernardo Fuldensi, cui interfuerunt nomine principis abbatis Campidonensis Io. Georgius a Langeneck, Antonius abbas Garstensis, Bartholomæus Ochsenhusanus visitator Congregationis Suevicæ, Martinus Hennich abbas monasterii S. Mauritii in Toleya Congregationis Bursfeldensis, Fridericus Davensperg archiabbas Haselfeldensis, Andreas ad S. Petrum Salisburgi abbas, P. Matthæus Weiss rector universitatis Salisburgensis, P. David Gregorius Kornerus SS. Th. D. Prior Gottwicensis Congregationis Austriacæ Secretarius, P. Augustinus Molitor monasterii Sconensis SS. Th. Licentiatus, Robertus Blöd e S Gallo Ill. principis confessarius. Addit P. Hessius, in hoc conventu univisse se pleraque monasteria Germaniæ & Congregationes cum Congregatione Bursfeldensi, & Bursfeldensem se mutuo cum illis; ita ut ex pluribus Congregationibus & monasteriis conflata sit una Congregatio Ord. S. Benedicti per Germaniam, alias Bursfeldensis. Duravit iste conventus usque ad diem 25. Ianuarii, in quo Secretarii munere perfunctus est P. Romanus Hay, qui

a) p. 813.

b) p. 449.

qui in Aſtro a) ſuo inextincto rem omnem explicat, remoraſque iniectas ſubindicat apud epiſcopos atque ab illis, qui ipſi in alia omnia ibant. Seculum XVII.

a) p. 239.

Quivis facile animadvertet vel hodiernum Congregationum Benedictinarum ſtatum felicem & florentem, ubi huiuſmodi impedimenta locum non habent, veluti in vicina Helvetica; ne quid de Caſſinenſi Congretione in Italia, aut remotiori adhuc in Hiſpania, de quibus Bucelinus in Benedicto ſuo redivivo videri poteſt, dicam. Propinqua eſt ex adverſo Rheni litore Nigræ ſilvæ oppoſita Lotharingia, ubi tam velociter, tam inſigniter effloruit ineunte ſec. XVII. Congregatio SS. Vitoni & Hydulphi, atque ex ea celeberrima San-Maurenſis auctore venerabili P. Deſiderio de Curia; qualem etiam reformatorem ætati noſtræ adhuc viciniorem P. Iacobum de Veſni & d'Arbuze Congregatio Cluniacenſis, quæ ſe in Nigram ſilvam noſtram proximis adhuc ſeculis protenderat, oſtentat.

XLII. Suſcitavit benignum numen paſſim ſub regula S. Benedicti ſec. XVII. inſignes viros, a Bucelino in Benedicto redivivo celebratos, qui eius obſervantiam reſtituendi ferventiſſimo ferebantur ardore, ne quid de Io. Bouthilierio abbate Trappenſi dicam, inſignibus item pleriſque ſec. XVII. abbatibus matricis Ord. S. Bened. Congregationis Iacobo de Graphiis, Zacharia Petronio, Bernardo Mutio, Io. Bapt. de Brixia, Aloyſio Caraffa. Ad noſtrum nunc inſtitutum attinet, quem pro reformatione Ordinis noſtri miſit ad finem ſec. XVI. S. Pontifex, iam libro præcedente memoratum Petrum Paulum de Benallis abbatem Congr. Caſſinenſis, ſimultate quidem quadam ac temporum iniquitate impeditum, ut tamen in ipſa Germania non defuerint abbates pii & zeloſi, quos pleroſque iam laudavimus, in Congreg. Bursfeldenſi Henricum, Coloniæ ad S. Pantaleonem abbatem, in Auſtria Antonium Cremiſanenſem abbatem, poſtea epiſcopum Viennenſem, Caſparum & Reinerum abbates Mellicenſes, in Bavaria Michaelem Andecenſem, in Suevia Georgium & Franciſcum Weingartenſes, Wunibaldos Ochſenhuſanum & Petershuſanum, in Helvetia Pium San-Gallenſem & Ioachimum Fiſchingenſem, in Nigra ſilva Blaſium San-Blaſianum, cuius auſpiciis diſciplina non ſolum in ſuo monaſterio & congregatione, verum etiam poſtulatis miſſionariis alibi etiam gentium effloruit. Diſciplina Regularis.

Captata ſeculo XVII. fuit occaſio, eos qui Regulam S. Benedicti profitentur, præſertim ſi carnibus veſcantur, inceſſendi tanquam S. Regulæ

SECULUM XVII.

gulæ violatores, ita ut P. Layman hinc eos non admittendos ad recuperata tunc ex manibus protestantium monasteria edixerit: quin imo, satis, quid intendat, manifestans, asserere haud dubitaverit ulterius progressus, posse, nisi sese reformari patiantur, etiam a suis, quæ possident, expelli, ut refert P. Romanus Hay in Astro inextincto a), atque demonstrat, esum carnium in Regula S. Benedicti penitus non interdici, concesso aliarum carnium præterquam quadrupedum esu, quod certe inter monachos discrimen iam suo tempore agnovit S. Epiphanius b) abstinere aliquos a quadrupedibus solum, volatilibus autem & aliis vesci, quo si uterentur sectatores S. Benedicti privilegio, pro delicatulis hodie haberentur: fueruntque circa hoc posteriori, quod agnoscit P. Hay, ævo legitime dispensati Benedictini in Germania nostra ex rationibus, quæ cumprimis in horrida & implacabili Nigra silva nostra locum habent: dummodo cæteroquin serventur dispensationis concessæ conditiones ac limites, maneatque ieiunii regularis lex ac mensura cibi & potus, quam præscribit S. Regula, modusque temperantiæ ac abstinentiæ monachis maxime consentaneus teneatur. Dum equidem S. Pater cap. 39. *de mensura cibi* in abbatis relinquit arbitrio vel potestate, si expediat aliquid augere, remota præ omnibus crapula, ut numquam monacho subripiat indigeries. Ita etiam capite sequenti de mensura potus indulget, „ quodsi aut loci necessitas aut labor aut ardor æstatis amplius poposcerit, in arbitrio Prioris consistat: considerans in omnibus, „ ne subrepat satietas, vel ebrietas." Quæ circa hoc & alia disciplinæ monasticæ iuxta Regulam S. Benedicti capita sec. XVII. sunt constituta, longum foret & supervacaneum hic edisserere, quum extent singularum Congregationum Benedictinarum statuta seu constitutiones.

a) p. 130.

b) *Lib. III. contra hæret. circa finem.*

Cura animarum.

XLIII. Alios etiam præter Laymannum laudatus P. Romanus Hay adducit Iesuitas, qui visi sunt monachos velle e numero operariorum in vinea Domini excludere; perstringit vero tum exemplis, tum argumentis, ex quibus unum sufficere potest illud D. Thomæ, quod iam ante Angelicum hunc Doctorem a nostratibus suo loco vidimus c) huiusmodi adversariis oppositum; a P. Hay vero citatur S. Thomæ (2. 2. *quæst.* 187. *Art.* 1. & *Gratian.* 16. *q.* 1. *c. hinc etiam. Gloss. ibid.*) sententia: *quod aliud convenit monacho ex eo, quod monachus est, & aliud ex eo, quod clericus est deputatus. Ex eo enim quod monachus est, habet officium sua, & aliorum peccata deflendi; ex eo quod clericus est, habet officium docendi & pascendi.*

c) *Lib. VI.*

Exempla

Exempla quod attinet, si alia, quam ipsius S. P. Benedicti, qui in monte Cassino apostolum egisse a S. Gregorio M. in eius vita memoratur, adduxisset P. Hay, constaret, haud minus Benedictinos quam Iesuitas missionarios in vinea Domini elaborasse, in patria præsertim Germania nostra, quæ Ordini S. Benedicti lumen fidei debet, atque culturam etiam soli, imprimis Nigra silva nostra, quam merito coloniam Ord. S. Benedicti dicimus, ut tanto maiori iniuria ex magna sui parte extorres tandem omnino facti sint sec. XVII. atque exesse iussi cum avita religione illi, qui eam plantarunt. At vero vi demum & sanguine seu morte millionis propemodum hominum adstructum convaluit decantatum illud a tempore pacis Westphalicæ axioma: *cuius regio, illius est religio*: quo si res olim a temporibus inde apostolicis stetisset, aut iure standum fuisset, in vanum, ne quid gravius dicam, apostoli, & apostolici quique laborassent viri, uti fieri necesse fuit per modum illum novissimis temporibus paciscendi, pacificandique, abiecta Ecclesiæ auctoritate in negotio religionis, ut quidam cecinit:

Scripserunt pacem, fuit illis sepia sanguis;
Pro calamo gladius: patria charta fuit.

Migrandum hinc colonis fuit illis, qui colonias deduxerunt olim Benedictini tum alibi gentium Germanicarum, cum præsertim ex magna Nigræ silvæ nostræ parte, sine spe patrium repetendi solum, quod excoluerunt, atque apostolicum illum avitum resumendi laborem, quem exantlarunt.

In Indiis etiam, atque novo superiore seculo XVI. reperto orbe opera Benedictinorum prima sparsa religionis christianæ semente subintrarunt sec. XVII. Iesuitæ; non tamen illi sanctissimum deseruerunt opus tum in aliis orbis partibus, cum etiam in Europa, instituta quoque ad finem sec. XVI. congregatione Romæ Benedictinæ missionis Anglicanæ, opera præprimis Constantini Caietani abbatis S. Baronti, congregationis Cassinensis, viri infatigabilis, zeloque religionis clarissimi. Non absterruerunt maiores nostros immanes & truculentæ persecutiones, quas crudelissimas & internecinas sub Elisabetha Regina Henrici VIII. omnium malorum auctore notha, religiosi experti sunt ad initia usque seculi huius XVII. a quo tamen tempore veluti mausolæum poni cœptum est sacro ordini insigni ac immortali opere, quod inscribitur Monasticon Anglicanum, sive pandectæ cœnobiorum Benedictinorum, Cluniacensium, Cisterciensium, Carthusianorum, qui est titulus primi tomi, qui Lon-

SECULUM XVII. dini prodiit an. 1655. Subinde memoravimus Cluniacensem congregationem, quæ hic in Anglia sistitur, se etiam in Nigram silvam haud adeo dissitam protendisse: unde abs re haud est, hic apponere, quæ Ioan. Marshamus in προπυλαίῳ huius monastici Anglicani iusta solvit, velutique parentat monasteriis Anglicanis. *Iam dudum*, inquit, *diem fatalem obierunt monasteria nostra; nec præter semirutos parietes & deploranda rudera supersunt nobis avitæ pietatis indicia. Minus impendiosa nobis cordi est religio, & vetus dictum obtinet* (A. Gell. L. 4. c. 9.)

Religentem esse oportet, religiosum nefas.

Videmus nos heu! videmus augustissima templa, & stupenda dicata Deo monumenta (quibus nihil hodie spoliatius) sub specioso eruendæ superstitionis obtentu, sordidissimo conspurcari vituperio, extremamque manere internecionem. Ad altaria christi stabulati equi, martyrum effossæ reliquiæ (Hieron. ep. 3. p. 32. A. ad Heliodorum). *Sunt quidam zelatores adeo religiose delirantes, ut religiosos veterum Ordines, ἐκ τοῦ φρέατος τῆς ἀβύσσου prognatos aiant. Ita licenter sibi indulget προςπάθεια.* &c. Laudatus Constantinus Caietanus præter congregationem Benedictinam missionis Anglicanæ, quam Romæ instituit, ibidem etiam collegium monachorum Benedictinorum, Gregorianum nuncupatum, trans Tiberim prope ædes S. Benedicti, patrocinante Gregorio XV. erexit, atque cum congregatione de propaganda fide an. 1632. univit. Qua de re laudatus abbas & marchio Caietanus anno sequenti certiorem reddere voluit P. Bucelinum, atque pro evulgatione commodiore tam sanctæ intentionis summopere in martyrologio seu menologio hoc ipsum inserere exoravit, uti is in Benedicto suo redivivo ad an. 1633. notavit a), inseruitque instrumentum conventionum collegii Gregoriani (quod omnibus omnium nationum Benedictinis apertum est) cum congregatione de propaganda fide.

a) p. 235.

Studia litterarum.

XLIV. Idem Constantinus Caietanus collegii Gregoriani præses (cuius P. Gerardus Hess litteras describit b) an. 1615. ad abbates Congreg. Suevicæ pro subsidio ad erigendum Romæ pro studentibus Ord. S. Bened. collegium) classicum cecinisse visus est sec. XVII. concertationi illi, quæ ultra dimidium adhuc præsens sec. XVIII. divexavit de auctore librorum de *Imitatione Christi*, dum inter alia eius opera editi sunt *libri IV. de imitatione Christi Ioanni Gersen Ord. S. B. vindicati ad Paulum V. Romæ 1616. cum apologetica responsione adversus Rosweidum S. I. ibid. 1618.* Quum post medium sec. XVII. non obstante edicto Parlamenti Parisiensis controversia illa recruduisset, insignem in Galliis hyperaspistem accepit Io. Mabillonium.

b) p. 367.

Idem

Idem contra Io. Buthilierium abbatem Trappensem Cisterciensem studiorum monasticorum defensionem in se suscepit. Nicolius, qui P. Quesnellum an. 1692. de coorta hac controversia certiorem facit a), eamdem conciliationis conditionem proponit, quam modo de ministerio ecclesiastico monachorum tractantes, in medium attulimus. Operæ pretium est, eius hic describere verba: *Ce feroit de changer un peu la signification d'un mot, & d'avouer de la part des Bénédictins, qu'ils ne sont plus ni Bénédictins, ni solitaires, selon la signification précise de ce mot, telle qu'elle étoit dans l'esprit de S. Bénôit, mais qu'ils sont de bons ecclesiastiques, & de vrais clercs par la permission, approbation & commandement même de l'Eglise &c.* Sed plus præstitit Mabillonius; neque solum convenire studia litterarum ostendit statui monastico, verum etiam aureo de studiis monasticis opere optimam studiorum viam ac methodum demonstravit; quam quidem Congregatio S. Mauri hactenus tenuit, immortaliter de orbe litterario, ecclesiaque catholica sec. XVII. mereri auspicata, quo non mediocrem partem Ordo Benedictinus habuit in conservando atque etiam vindicando ab interitu, perversoque cultu bonarum artium ac litterarum tam humaniorum, quam sacratiorum decore: ut quemadmodum anterioribus seculis antiquorum scriptorum opera in suis scriniis servarunt, ac veluti enutrierunt arte scriptoria, atque ad posteros transmiserunt; ita posterioribus his, quibus laborem illum describendi veteres codices supervacaneum reddidit divina typographiæ ars, dum alii sibi suffeni sua tantum depereunt, suos solummodo partus in pomœrio constituunt, atque adeo scientiarum progressum sistunt; dumque hinc inde divagantes, solidum supellectilis librariæ ac constantem usum facere nequeunt, asseclæ e contra monastici iuxta Regulam S. Benedicti instituti talem in suis claustris apparatus bibliothecarii usum facere potuerunt, ut ad ludos litterarios, quos proximis seculis plerumque alii ipsis surripuerunt, apud se bene ac egregie edocti, atque experti, multo paratiores essent, qui in arenam descenderent publicis in scholis, atque etiam frequentibus in academiis.

SECULUM XVII.

a) T. VIII. opp. P. II. p. 214.

Talem sibi post initia sec. XVII. spartam concreditam acceperunt Benedictini a Marco Sittico archiepiscopo Salisburgensi, ac Præposito ecclesiæ cathedralis Constantiensis, cui cognominem supra laudavimus episcopum Constantiensem. Usus is primum fuit ad hanc rem consilio & opera Ioachimi abbatis Ottoburani, datis etiam ad Martinum abbatem S. Blasii litteris, cuius indoles archipræsuli, quum prius Constantiæ moraretur, perspecta iam esse potuit, neque ignota duorum Casparorum

SECULUM XVII.

Martini antecessorum contentio in instruendis litterarum studiis, adornandaque selecta & copiosa bibliotheca, cuius ope Blasiani syncellitæ eum fecerant profectum, ut ex suis ineunte sec. XVII. Martinus abbas scholas egregie informare posset tam humaniores, quam altiores & sacratiores, a prima iuventutis institutione, cui more avito primus iterum a Martino abbate præfectus legitur P. Exuperantius Bueler iuvenum togatorum præceptor, qui more antiquo in claustro cum monachis etiam in communi mensa degebant, atque diebus festivis in choro aderant, cæteris diebus officio saltem summo, habitatione tamen separati. Inter præcipuos nostrates celebratur P. Gregorius Fladerer, qui postquam apud S. Blasium iuvenibus monachis philosophiam tradidisset methodo quidem scholastica, postea tamen in professione theologiæ præsertim moralis a suis ceu oraculum habitus fuit, cuius sententias tam in scholis, quam in consiliis capitularibus maximum pondus habuisse, quæ adhuc scripta ab eo supersunt declarant.

Successit autem in cathedra theologica P. Tobiæ Rösch abbati post Schutterano, qui ut iam notavimus ex hist. Universit. Salisburg. a) constanti humilitate recusavit oblatum sibi primum rectoratum Salisburgensem, dum an. 1622. solemnis Universitatis inauguratio facta est sub archiepiscopo Lodronio, successore Marci Sittici, qui gymnasium tantum instituerat. Aderat etiam Tobias Rösch cum P. Romano Hay Priore Ochsenhusano, nomine suorum abbatum, quando an. 1619. in conventu abbatum Augustæ Vindelicorum primum gymnasii præses & assistentes ex singulis provinciis electi sunt, & quidem ex provincia Suevica Martinus abbas S. Blasii, unicus tunc adhuc ex abbatibus Nigrasilvanis in confœderatione illa abbatum an. 1618. pro constituendo studio Salisburgensi inita b). Primitias etiam thesium philosophicarum præside P. Alberto Keuslin Ottoburano capitulo archidiœcef. dedicavit cum aliis R. F. Franciscus Chulotus, postea abbas S. Blasii c), ex duobus illis, quos Martinus abbas in exordio statim studii academici cum duobus ex suis professoribus Salisburgum miserat, ut palam fit ex litteris Gregorii abb. Ottobur. ad P. Ieremiam, quem ad abbates in Sueviam, Nigram silvam & Helvetiam miserat pro ineunda confœderatione d). *Ecce*, inquit, *novus exspectatissimus nuncius*, *adesse quatuor e S. Blasio*, *duos presbyteros & duos iuniores*, *quorum priores duo docendi & nobis adiungendi*, *posteriores discendi causa Salisburgum diriguntur.* Iam meminimus P. Martini Steineck San-Blasiani primi convictus Salisburgensis Regentis, a quo etiam religiosi fratres convictores primas regulas e), & optimam vivendi normam acceperunt,

a) p. 42.

b) l. c. p. 31. 32.

c) p. 33.

d) p. 29.

e) p. 27.

ceperunt, monasticam vero deinceps cœnobia Michaelburanum in Bavaria, & S. Petri Salisburgi. Meminimus etiam iam Placidi Rauber an. 1624. Salisburgi rhetorices professoris, qua in disciplina insignem illum fuisse scripta, quæ supersunt, produnt, impressa etiam eiusdem in Gallia christ. epistola ad episc. Argent. a) quum esset in monasterio Schwarzacensi abbas. Abeunte Placido Salisburgum, eum secutus est P. Fridericus Koler poeseos professor an. 1626. quo etiam Blasius abbas S, Blasii assistens provinciæ Suevicæ in Universitate Salisburg. fuit renunciatus; an. 1631. P. Anastasius Scheitter professor ethices, ac deinceps mathematicæ & philosophiæ, tunc quidem temporis, quum ob bellum Suecicum tota commovetur ac susque deque vertitur Germania, ac Salisburgi etiam contra hostem armatur studiosa academica iuventus; nihil tamen funesti accidit, quin etiam tunc asylo fuit Salisburgum.

a) Append. T. V. p. 506.

Reddita postea pace, prospere adeo rem egit academia Salisburgensis, ut an. 1672. consilium caperet, urgeretque apud abbates Suevicos de suscipiendo studio Rottwilano a PP. Iesuitis deserto; eaque occasione confœderatis abbatibus ex Nigra silva adscripti primum sunt Romanus S. Trudperti, Paulus S. Petri, Georgius S. Georgii, quum hactenus unum S. Blasii monasterium eidem fœderi esset sociatum, Ottone abbate an. 1669. Assistente. Georgius vero Geisser San-Georgianus celebratissimus abbas studii Rottwilani præses fuit factus e Nigra silva an. 1691. quum iam labasceret, sustentatum adhuc aliquamdiu potissimum a Zwifaltensibus; qui tamen postea consultius existimarunt, vicinum e propria penu an. 1686. instituere gymnasium Ehinganum, ut in Annal. Zwifalt. legere est b); alia vero apud P. Schramm in chron. Mellic c) item in Bucelini Benedicto redivivo d) & P. Ziegelbaur hist. litter. Ord. S. B. de egregiis conatibus sec. XVII. ac indefesso studio & labore in erigendis scholis foris & intus claustra e): ipsis etiam monialibus iterum alicubi latio sermone eruditis f), ut quod legunt, & orant in choro, etiam intelligant.

b) p. 324.
c) p. 815.
d) p. 229. &c.
e) P. I. 120. &c.
f) P. II. p. 569.

XLV. Gymnasium Rottwilanum tandem circa finem sec. XVII. a Benedictinis relictum, postliminio Iesuitæ occupaverunt: ex quibus fuerunt hoc seculo, qui veluti monopolium quoddam suo Ordini vindicabant, tunc potissimum in nostris plagis, quando a Ferdinando II. an. 1629. restitutio bonorum ecclesiasticorum, atque inter hæc monasterio-

Possessiones temporales.

SECULUM XVII. rum, quæ in Wirtembergia potiſſimum in Nigram ſilvam excurrunt, eſt decreta; atque ad noſtrum nunc faciunt inſtitutum.

a) p. 462. Apud P. Heſs in prodromo monument. Guelph. a) ex diario coævo P. Gregorii Knaus monachi Weingartenſis notatur an. 1629. 7. Martii, Franciſcum abb. Weingart. cum P. Mauro Baldung & D. Nicolao Deuring profectum eſſe in Ochſenhauſen, ubi actum fuit de reſtitutione monaſteriorum in Wirtembergia ſitorum. Quæ de monaſteriis Nigraſilvanis ſpeciatim deinceps proſequitur auctor, ſupra indicavimus ſuis locis. Sæpe laudatus vero P. Heſs, quæ moræ & obſtacula iniecta ſint tunc a Ieſuitis etiam, qui in partes ſuas epiſcopos Ordinarios traxerunt, b) p. 438. exponit b), legationem item eius rei cauſa Romam, ad quam primum deſtinatus fuerat P. Franciſcus Chullot monachus, poſtea abbas S. Blaſii, quam a ſe amolitus eſt ſpartam, accepit vero P. Placidus Spieſs Prior Ochſenhuſanus & P. Maurus Weingartenſis, inſtructi variis litteris, quarum aliæ erant ad patronos veros commendatitiæ, aliæ ad amicos falſos querulæ. Ratisbonæ etiam inſtructi litteris cæſareis abierunt ad principem Savellium, imperatoris in aula pontificia legatum, in rei gerendæ gratiam ponderoſiſſime ſcriptis, quas ibidem deſcribit; litteras item abbatum ſecum tulerunt ad Mutium Vitelleſcum Ieſuitarum Generalem, apud quem etiam coram querelas depoſuerunt contra Ieſuitas Germanos, P. Paulum Laymann imprimis & perſonatum Eugenium Lavanda, qui variis ſcriptis Ordines, quibus monaſteria recuperanda competebant, eorumque cauſam laceſſebant. His ſe P. Ioannes Cruſius iunxit poſtea contra Caſparum Scioppium, qui contra Ieſuitas cauſam monachorum & monaſteriorum acriter propugnabat, & tam ſtrenue hyperaſpiſte etiam P. Romano Hay, ut opus, quod ſub fictitio nomine Eugenii Lavandæ prodiit 10. menſis Sept. an. 1640. ab Univerſitate Viennenſi tamquam libellus infamis proſcriptus & damnatus ſit, ſub irremiſſibili pœna triginta Imperialium & confiſcationis librorum, ſi quis hoc ſchediaſma vel imprimere, vel venale exponere aut retinere præſumeret.

Proſtat P. Romani Hay Ord. S. Bened. Imperialis monaſterii Ochſenhuſani in Suevia presbyteri theologi *Aſtrum inextinctum, ſive ius agendi antiquorum religioſorum Ordinum pro recipiendis ſuis monaſteriis (quæ nonnulli perperam extincta fuiſſe dicunt) & bonis eccleſiaſticis per S. C. M. edictum generale, vel ius belli &c. reſtituendis, e ſacris canonibus, eorumque interpretibus clare demonſtratum.* Opuſculum hoc,

ut

ut ipſemet P. Romanus ad finem præfationis ad lectorem edit. an. 1636. fatetur, iuſſu præcipuorum Ordinis noſtri per Germaniam DD. abbatum an. 1631. exaratum, in aliorum poſtea manus devenit, ſeque inſcio primum & invito citra nomen auctoris & debitam approbationem in lucem prodiit an. 1634. quam tamen editionem pro ſua non ſe agnoſcere palam profitetur in hac præfatione, ubi mox in adverſa pagina, quid potiſſimum contra adverſarium ſuum agendum ſibi fuerit, exponit. Contendebatur nempe ex opponente parte, *Imperatorem hoc rerum ſtatu ſub gravi obligatione in conſcientia teneri, ut ex monaſteriis tam virorum quam fœminarum recuperatis academias, gymnaſia ac ſcholas, collegia item ac domicilia quam plurima Societatis Ieſu in quibusvis Germaniæ partibus fundet ac dotet.* Poſtquam Romanus Hay toto ſuo opere rem monaſteriorum contra hanc feralem aſſertionem egiſſet, addit ad calcem etiam inſtrumenta, epiſtolas ac reſcripta, quæ ad rem pertinent, cæſarea imprimis ad abbates Weingartenſem & Ochſenhuſanum, qui nomine congregationis Suevicæ cauſam Benedictinorum, Cæſareenſem item, qui Ciſtercienſium rem agebat. Sequitur poſtea apographum epiſtolæ Ferdinandi II. ad Dominos executionis commiſſarios propter occupata monaſteria Ordinum SS. Benedicti & Auguſtini a), in quo monaſteria, inter alia Nigraſilvana, reſtituenda recenſentur; deinde quod etiam congregationem Burſfeldenſem attinet, quam ſupra vidimus ſibi illa monaſteria etiam Nigræ ſilvæ, quæ antea ad illam pertinebant, repetiiſſe; cuius congregationis commiſſarius abbas Haſſefeldenſis pluſculum aliquid indulſiſſe viſus eſt, perinde ac Cæſareenſis, quod ceſſionem nonnullorum monaſteriorum attinet; at contra hoc aſſertum litteris ille ſe patentibus defendit, quæ afferuntur b), ac poſtea etiam inſtrumentum publicum, quo ab inſimulata monaſteriorum ceſſione abbas Haſſefeldenſis defenditur c). Quæ vero omnia poſtea fruſtranea reddidit Inſtrum. pacis Weſtphal. Art. V. §. 2. *Non audiantur propterea quicumque reclamantes ſive eccleſiaſtici ſive ſeculares.*

a) *l. c. p.* 397.

b) *p.* 406.

c) *p.* 419.

Tempore vero tranſactionis ſeu pacificationis rem monaſteriorum ſtudioſe egit P. Adamus Adami ex monacho Brunwilerano præfectus monaſterio Murrhatenſi, quæ fuerat cella Hirſaugienſis: legatus poſtea miſſus ad pacis Weſtphalicæ congreſſum, non obſtante controverſia, quam ei dux Wirtembergenſis eo in munere movit, dum ipſe ad ſe monaſterium illud, cuius præſul erat Adamus, aliaque ducatus ſui, quorum etiam cauſam ille egit, attinere contenderet, iuribus ſuis rebuſque detrimentum timens, ſi antiſtitibus, monaſteriorumque in ſuo ducatu ſitorum

rum

SECULUM XVII.

rum administratoribus suffragium & locus inter paciscentes concederetur, ipsorumque deputati ad publicas de Imperii salute consultationes admitterentur. Viam sibi tamen Adamus Adami nomine Corbeiensis Ord. S. B. & aliorum principum atque prælatorum Imperii, quorum legatus erat, aperiens, id saltem egit, ut ingenti studio conscriberet acta pacis Westphalicæ a Io. Godefredo de Meyern edita cum ipsius auctoris vita an. 1736. Separatim idem anno sequenti edidit eiusdem Adami relationem historicam de pacificatione Osnabrugo-monasteriensi, ubi capp. XXI. §. 23. XXV. §. 10. XXXII. §. 10. quæ de monasteriis Wirtembergiæ, quæ duci cesserunt, sunt inter paciscentes acta, attingit, nosque supra de pace Westphalica agentes & passim etiam suis locis attigimus.

LIBER

LIBER XIII.

Nigra Silva seculo XVIII. Ordinis S. Benedicti XIII.

Accomodatum est huic a Christo nato seculo XVIII. quod Horatius Lib. I. Od. 3. canit.

Expertus vacuum Dedalus aera
Pennis non homini datis :
Perrupit acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum est.
Cœlum ipsum petimus stultitia : neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iovem ponere fulmina.

Inquies hominum genus pertæsum veluti ac indignatum terram aera pervolat : irreligiosum superos acherontaque ceu loco (abiecto supremi numinis metu, cultuque) movet. Præsens seculum recte in duas dividitur partes, duasque habet epochas, quarum prima ad medium usque seculi ingentes in statu Europæ politico tulit rerum conversiones : altera iam, in qua versamur, talibus turget in religione, statuque ecclesiastico, qui dilapsus quibusdam in regionibus, status in statu, vel si mavis, status cum statu esse desinit, merumque exterius amittit imperium & auctoritatem, qua hactenus in orbe catholico gavisa est ecclesia, faventibus etiam christianis principibus, variisque insuper cumulantibus res & personas ecclesiasticas privilegiis & immunitatibus. SECULUM XVIII. Præsentis seculi Status.

Remissas ecclesiæ prærogativas, accisamque legitimam ecclesiasticam a protestantibus potestatem Henr. Dodwellus etiam ex heterodoxis in Anglia singulari libro *De vitando schismate ad exteros protestantes* notavit apud suos, & condoluit, loco potius, professor academiæ Oxoniensis, cedens, quam sacramento fidem falleret.

II. Cum sæpe anteactis temporibus in conventibus ecclesiasticis de emendatione calendarii ageretur : an. 1414. in conc. Constantiensi consilio Card. Petri de Aliaco mathematici etiam insignis res ad eam formulam præparata fuit, ut termini paschales ad æquinoctium vernum revocarentur. Anno item 1436. Card. de Cusa theologus & mathematicus eum modum facillimum fore proposuit in concilio Basileensi, ut omissa una sep- Calendarium novum initio huius seculi etiam a protestantibus susceptum.

SECULUM XVIII.

timana aureus numerus in lunarem commutaretur, ut tempore concilii Nicæni fuerit. Rem deinceps subinde resumserunt Romani pontifices: quibus refragarii protestantes, quod nosse omnino in historia interest, ad initium usque seculi XVIII. retinuerunt calendarium vetus, quod dicitur, ad distinctionem novi ab anno usque 1582. inducti: cui nempe tunc mense Octobri decem dies pro norma celebrandi paschatis, ne cum iudaico coincideret, sunt adempti auctoritate Gregorii XIII. quam illi detrectarunt, cum Rudolphus II. Imp. tunc rem Augustæ & an. 1613. Mathias Imp. Ratisbonæ ad comitia deferret. Frustra etiam res Statibus an. 1664. 1676. fuit proposita. Dum vero in sacris & civilibus negotiis confusio augeretur, quod in aliis provinciis calendarium Gregorianum in aliis Iulianum obtineret, atque lapsu seculi iam etiam undecimi diei discrimen accederet, circa finem sec. XVII. serio & studiose elaboratum est ab Erhardo Weigelio imprimis insigni mathematico & professore academiæ Ienensis, qui cum in diversis protestantium aulis, cum etiam in comitiis Ratisbonensibus anni 1698. modum emendationis obtulit, auditisque aliorum etiam mathematicorum rationibus, decretum est a corpore evangelicorum, ut undecim dies post decimum octavum mensis Februarii ex anno seculari 1700. eiicerentur, celebratioque paschatis exactius secundum calculum astronomicum deinceps, veluti a Patribus Nicænis id negotii Alexandrino patriarchæ fuerat datum, instituere tur; de succedentibus vero temporibus mathematici inter se conferant imposterum, uti in theatro Europæo ad annum 1700. legere est a).

a) *T. XV. p. 691. &c.*

Necdum sic prospectum satis fuerat in futurum, iuxta cyclum Dionysianum calendarii Iuliani: dumque ad annum 1744. pascha ordinaretur a protestantibus (iuxta ac conclusum an. 1723. fuerat) diversitas illo anno in celebrando paschate ingentium dissidiorum fuit causa, quibus ut obviaret Borussorum rex in Silesia sua pascha iuxta calculum & normam catholicorum celebrari iussit: annoque 1776. egit in comitiis Imperii, ut deinceps in commodum mutui commercii, atque ad præscindenda dissidia in regionibus potissimum mixtæ religionis, norma catholicorum communibus votis adoptaretur; cum alias duobus adhuc huius seculi annis 1778. & 1779. foret diversitas iuxta normam, quæ in conferentia protestantium die 30. Ianuarii an. 1723. fuerat constituta. Quæ hanc in rem ex comitiis iudiciisque imperii, ipsoque ab imperatore pro celebrando paschate an. 1778. emanarunt, in actis Vinariensibus historico-ecclesiasticis nostri ævi leguntur b). Ac primum quidem conclu-

b) *T. II. p. 486. &c.*

conclusum corporis Evangelicorum d. 16. Aug. 1775. tum vero postea comitiorum Ratisbonensium a) consultum ad cæsarem ea in re anno sequenti d. 29. Ianuarii datum, ipsiusque imperatoris decretum ratificatorium eiusdem anni ac rescriptum ad Status imperii cum litteris patentibus ac decretis ad iudicium imperiale aulicum & cameræ Wezlariensis b). Sequuntur litteræ corporis Evangelicorum ad reges Magnæ Britanniæ, Sueciæ, & Daniæ in eadem causa, quibus cum significassent, nihil sibi potius esse & antiquius, quam ut tot & tanta incommoda, quæ ex ista festorum discrepantia, ad negotiationem & commercia redundant, reiicerentur, atque evitarentur, turbisque omnibus & discordiis, quarum uberior proventus ex eadem, iis præsertim in locis succrescere solet, quorum incolæ diversis sacris utuntur, fomenta subtraherentur, contra ea omnes christianæ fidei & doctrinæ asseclæ in sempiternam unitatem mutuumque consensum hac in re adducerentur, deinceps senatus consultum uno ore animoque prolatum declaratur, *cum parte imperii Romano-Catholica eo convenire, ut salvis undique iuribus superioritatis territorialis tam in politicis quam ecclesiasticis, reservatoque specialiter liberrimo iuris liturgici exercitio, quam primum calendarium, uti vocant, novum emendati sacrique Romani imperii calendarii nomine insignitum, & typis exscriptum fuerit, dies Christo ad vitam redeunti sacer seu paschatis festum, ut & cæteri dies festi inde pendentes, simul & coniunctim imposterum celebrentur cum Romano-Catholicis.* Adduntur demum litteræ, quibus ea res etiam confœderatis Belgii Statibus, vicinisque Nigræ Silvæ Helvetiæ cantonibus protestanticis a corpore Evangelicorum nota fit. Sunt vero ex Helvetis Glaronenses, Appenzellenses, & Rhæti, qui in instrumentis publicis hodieque vetus calendarium cum novo assignant.

SECULUM XVIII.

a) *T. III. p.* 599. *&c.*

b) *p.* 612.

III. Famosissimum fuit seculi huius XVIII. initium, quo augusta Habspurgo-Austriaca familia hæreditate post homines natos maxima, monarchia Hispanica, cui sol nunquam occidere dicitur per orbem terraqueum, fuit destituta, morte Caroli II. ex stirpe Habsburgica ultimi Hispaniarum regis, cuius parens Philippus IV. iam an. 1665. mortuus, testamento, veluti rem præsagiens, caverat in casum mortis Caroli filii sine liberis, qui semper ægrotus, & iam morti proximus urgebatur, ut Iosephum Ferdinandum Bavariæ principem facto testamento sibi successorem denunciaret, invitis Leopoldo imp. & Ludovico XIV. Gallorum rege. Id tamen præseferebat primum Caroli testamentum anni 1698. Cum vero morte sublatus esset an. 1699. Iof. Ferd. Bavariæ princeps

Bellum ob successionem Hispanicam.

SECULUM XVIII.

cui destinata erat hæreditas, id primum transactum est potissimum in aula Anglica, ut Carolo Austriaco quidem Hispania cum America & Belgii provinciis obtingeret, Delphino vero utraque Sicilia, unacum Italiæ portubus, ea tamen conditione, ne Carolus archidux vivo adhuc Carolo II. rege in Hispaniam veniret: quæ ipsa conditio Habsburgicæ genti fraudi fuisse visa est, ut veluti supplantata postea fuerit posteriori Caroli II. regis ante mortem testamento, quo Philippum ducem Andegavensem successorem designavit, ea tamen conditione, ne Hispania unquam cum Gallia coniungeretur.

Non poterat non res hæc perturbare Europam, statimque percrebescebant bella etiam in nostris plagis. Quæ primum in Italia perstrepuere arma, mox etiam patriam nostram exagitarunt, dum elector Bavariæ, fœdere cum Gallis facto, occupata Ulma, aliisque Sueviæ civitatibus, id maxime agebat, ut suum cum Gallico coniungeret exercitum, quod vero omni nisu impedire satagebat Ludovicus Badensis dux exercitus Austriaci & sociatorum imperii ad Rhenum, quem atque etiam interiectam Bavarum inter & Gallum Nigram Silvam vallis & aggeribus muniit, Rhenumque transituro apud Huningam occurrit Villarsio; copias nihilominus ad Nigram Silvam, quæ Bavaros a transitu prohiberent, dimisit. Fridlingæ primum an. 1702. consertum est prœlium haud procul urbe Basilea ad confinia Nigræ Silvæ. Ludovicus cedere compulsus, apud Stauffam Brisgoiæ oppidum copias collegit, partemque Nigræ Silvæ imposuit, ut Gallorum cum Bavaris impediretur coniunctio; cui tamen sequenti anno 1703. capto etiam haud magna vi adhibita Brisaco, locus datus est, perruptis ab exercitu Villarsii aggeribus, ut haud magno negotio per vallem Kinzinganam atque abrupta Nigræ Silvæ montana mense Maio Villarsius, occupatis Hausenæ & Hornbergæ munimentis, atque pulsis ubique militum stationibus, Villingam usque perveniret. Neque cohibere potuit Ludovicus Badensis, quo minus eo etiam Tallardi exercitus mense eodem penetraret ex altera Nigræ Silvæ plaga per vallem abbatiæ S. Petri, iterumque mense Iulio apud Hornberg & monasterium S. Georgii in Nigra Silva; frustra quidem tentata Villinga, dum, obsidione postea relicta, in Sueviam contendit, captus dein cum duodecim millibus Gallorum in prœlio apud Hochstadium ducatus Neoburgici oppidum ad Danubium, ubi Galli cum Bavaris maxima accepta clade trans Rhenum fugati sunt per eandem viam, dum ex Tuttlingen Villarsius fugientibus Gallis Bavarisque occurrit per Hornberg & S. Georgium, eosque comitatur Rhenum transituros.

Neque

Neque iam unquam Gallos eo bello libido incessit, easdem tentandi per abrupta silvarum montiumque Nigræ Silvæ vias, dum iterum proximis annis Rhenum transeunt, atque etiam an. 1713. Friburgum capiunt, veluti pacis lytrum, quæ anno sequenti Rastadii principem inter Eugenium Sabaudiæ & Villarsium pacta nomine imperatoris & regis Galliarum, eodem anno Badenæ Helvetiæ in Argovia oppido communibus Imperii Germanici votis est suscepta. Seculum XVIII.

IV. Recruduit vero mox sequenti anno 1715. bellum Turcicum, quod a fine præteriti seculi interstitium habuit, iam vero redintegratum feliciſſime gestum est ab incomparabili Sabaudiæ principe Eugenio, paucisque annis, interveniente licet an. 1717. bello Hispanico, ita confectum est, an. 1718. inita pace, ut victricibus Austriæ armis, quibus etiam circulorum imperii copiæ atque ex nostris plagis inter belliduces heros Alexander Wirtembergius inter alios aderant, bello occupatæ provinciæ manerent cum Belgrado, quod ad internecionem deletis Turcis die 18. Octobris an. 1717. cæsareis cesserat, postremo tamen infelici Turcico bello an. 1739. a Turcis obsessum, per pacis conditionem æquatis solo munimentis, cum Serviæ regno ac Walachiæ parte iisdem relictum est. Bella Turcica.

V. Ultimum hoc bellum Turcicum proxime successit bello, quod rex Galliarum Carolo VI. imp. indixit ob regnum Poloniæ post mortem Friderici Augusti electoris Saxoniæ Friderico Augusto filio delatum neglecto Stanislao Leszinski Socero. Theatrum belli fuit tum in Italia, ubi fœderatis adfuit Gallis Hispaniæ & Sardiniæ regum miles, cum in nostris plagis, ubi sociatæ ad Rhenum exercitui cæsareo sunt principum & circulorum imperii copiæ. Galli traiecto Rheno an. 1734. munimentum Kehl & urbem Philippopolim expugnarunt, sagacitate vero & prudentia Eugenii principis Sabaudiæ factum est, ne ulterius in patriam nostram penetrarent. Primum tum in terris nostris comparuerunt Russi auxiliares, qui visi sunt pacem nobis attulisse, Viennæ eodem anno 1735. initam, quo Russi adventarunt mense Octobri, dum iam Eugenius princeps Viennam (ubi anno sequenti insuperabilis heros morti succubuit) rediisset, relicto exercitus cæsarei ducatu Alexandro Wirtembergico. Bellum ob successionem Polonicam a. 1733.

VI. Fuit inter pacis articulos Sanctio etiam pragmatica, qua M. Theresia primogenita Caroli VI. imp. filia hæres omnium regnorum & provinciarum Austriacarum est decreta, siquidem Carolus sine hærede masculo decederet, quod iam an. 1722. a Statibus regni Hungarici, Sanctio pragmatica successionis Austriacæ.

SECULUM XVIII.

& deinceps a Statibus aliarum etiam provinciarum eſt ratihabitum. Iam an. 1713. res concepta fuerat, dum mortuo Leopoldo filio Ioſephi I. nato an. 1700. Carolus VI. prole maſcula cariturus timebatur; nomen autem & auctoramentum Sanctionis pragmaticæ accepit anno 1720. M. Thereſia primogenita Caroli iam trimula. Data quavis occaſione Carolus VI. Sanctionem hanc acceptari curavit veluti an. 1725. tabulis pacis cum rege Hiſpaniæ initæ, iterumque (poſtquam anno ſequenti eadem roborata fuiſſet a Ruſſiæ imperatrice, accedente eodem adhuc anno Boruſſiæ rege) an. 1731. dum tractatui inter cæſarem, Britannum & Batavos Hiſpanus etiam acceſſiſſet cum conditione eiuſdem Sanctionis tuendæ. Inſtrumentum legitur Gallice ad annum 1720. apud P. Barre a): & poſtea ad annum 1731. ea narrantur, quæ in hac cauſa imperator ad comitia Imperii Ratisbonæ detulerat, ut Statuum Imperii etiam acceſſionem impetraret, intercedentibus quidem, ſed incaſſum electore Bavaro imprimis, Palatino item & Saxone, qui tamen an. 1733. eam etiam acceptavit: eventuſque docuit in Carolo VII. imp. Ferdinandum de Furſtenberg principalem commiſſarium apud comitia Ratisbonæ haud fefelliſſe, dum ea de re Statibus Imperii an. 1731. ob oculos poſuit, domum Auſtriacam hactenus ſe propugnaculum chriſtianitatis præbuiſſe, eſſeque ad tutelam libertatis Europæ, & ſpecialiter charæ patriæ, coronam Imperii eſſe filiam ſine dote, quam præſtare domus hæc tot regnis cumulata præprimis poſſit &c.

a) *Hiſt. général d'Allemagne T. X. p. 763.*

Bavarica bella.

VII. Quam provide etiam ac ſollicite proſpectum videri poterat ſucceſſioni hæreditariorum regnorum & provinciarum Auſtriacarum in M. Thereſia, ea tamen vix non deiectam ſe videre debuit primis poſt mortem Caroli patris rerum aſpectibus, quem an. 1740. die 20. Octobr. defunctum iam eo anno ad æternitatem præceſſerant Clemens XII. P. & Fridericus Wilhelmus Boruſſiæ rex, ſecuta autem poſt octo dies eſt Anna Ruſſiæ imperatrix, a qua fideli fœderata quævis ſperare poterat M. Thereſia; ex adverſa vero parte mox ſeſe prodiderunt proci hæreditatis paternæ potentiſſimi reges Hiſpaniæ, Poloniæ, Boruſſiæ, ac imprimis Bavariæ elector, a rege Galliarum ſuſtentatus. Ex his primus ad finem iam anni præteriti movit Fridericus Boruſſiæ rex, Sileſiam ſibi vindicans.

Medio anno 1741. Carolus elector Bavariæ Auſtriam aggreſſus ſocium mox exercitum Gallicum accepit, per plagas noſtras eo properantem. Nec difficulter tunc Vienna ipſa in deditionem veniſſet, niſi conſilium initum fuiſſet, e Lincio ſuperioris Auſtriæ urbe recta concedere

Bohe-

Bohemiam, eiusque metropolim Pragam expugnare, qua subito concubia nocte occupata elector Bohemiæ rex proclamatus fuit, atque sequenti an. 1742. etiam imperator, Francofordiæ electus & coronatus. Secuta eodem adhuc anno pax cum rege Borussiæ, cui rex Poloniæ mox accessit, rerum ingentem conversionem afferre potuisset, si firma fuisset. Gallos ex Bohemia, relicta ob inediam Praga, an. 1743. domum properantes insecutus est exercitus Austriacus maxima militum Hungaricorum copia, primumque in vicina Brisgoia apud Brisacum & Rheinwiler transitum in Alsatiam iam mense Octobri tentasse visus est. Transitum vero postea apud Oppenheim factum inopina regis Borussiæ invasio Bohemiæ frustravit, atque revocari exercitum coegit. Novo porro foedere sese cum Carolo VII. Cæsare reges Galliarum & Hispaniarum an. 1744. obstrinxerunt, non prius deponere arma, quam satis rebus cæsareis foret provisum.

Nostras etiam tunc exercitus Gallicus terras nullo occupavit negotio, milite destitutas præter urbes munitas, quæ fuerunt expugnatæ, atque ab omnibus ubique homagium Bavaro præstari fuit imperatum. Attamen Rhætiæ alpes a Brigantinis obsessæ Gallis inaccessæ permanserunt, ad quarum fauces post mortem Caroli VII. anno proximo 1745. Maximilianus elector filius pacem in oppido Faucensi peculiarem (generali Aquisgrani anno demum 1748. seculari pacis Westphalicæ, composita) iniit, Gallis etiam Suevia, atque anteriore Austriæ provincia postea eodem adhuc excedentibus anno. Proximis porro annis 1746. & sequenti minister Gallicus de la Noue nomine regis sui iterato Ulmæ declaravit etiam scripto, copias Gallicas in mandatis habere, Rhenum haud transire, nec solum ditiones circuli Suevici, sed Brisgoiam etiam cæterasque anteriores Austriæ terras neutralitatis pacto ultro complecti.

Anno 1745. in autumno Sueviam gloriosa transivit M. Theresia marito Francisco, in cæsarem electo, occurrens congratulatum, atque coronationis solemnis pompæ adfutura Francofordiæ, ubi antecessor Carolus VII. interstitium quoddam, ut ita dicam, tenuit imperii sui, ad extremum fere vitæ extorris patrio solo, mortuus ineunte an. 1745. dum vix ad regiam Monachium rediens, salutatus esset a suis. Maximilianus filius pacem, quam initio regiminis restituit, constanter, dum vixit, retinuit. Nec bellum, quod post eius mortem, qua an. 1777. sine hærede improlis defunctus est, diuturnum fuit aut grave, velitationibus in Bohemia confectum inter exercitum cæsareum & Borussicum cum copiis Saxonicis, præsentibus quidem imperatore & rege, sed altero

SECULUM XVIII.

tero mox anno ad pacem conspirantibus, quæ fuit interventu Russiæ imperatricis Catharinæ & Ludovici XVI. Galliarum regis Teschæ in superiore Silesia an. 1779. feliciter ita confecta, ut rex properaret, in gratiam diei natalis M. Theresiæ regiæ apostolicæ maiestatis copias tam celeriter revocare, quam præpropere post mortem electoris copiæ cæsareæ magnam Bavariæ occuparunt partem, eo ipso temporis articulo, quo de transfigendis rebus tractabatur cum electore Palatino Carolo Theodoro: qui quidem christiano principe digno pacis studio, suæ & subditorum saluti optime consuluit ipse etiam improlis stirpis Wittelsbachicæ ramus, nec tamen obfuit, quo minus princeps Bipontinus Carolus Augustus hæres ex asse nihil intentatum relinqueret.

Bellum Borussicum.

VIII. Subito ac apud vulgus insperato, anno 1756. a Nigra Silva quidem remotius exarsit in Germania nostra bellum regem inter Borussiæ & Austriam; cui tamen etiam implicatum fuit imperium Germanicum, dum ex primoribus illius membris elector Saxoniæ repente in suis terris exercitu Borussico velut inundatus, facilique negotio exercitus ipse Saxonicus captus, atque cum Saxonia in deditionem fuit redactus, mox etiam Bohemia, ipsa tunc trepidante Vienna. Res hæc totam propemodum Europam commovit, imperium præsertim Germanicum, cuius optimates ac circuli peculiarem exercitum regi opposuerunt. Unde commotus rex Borussiæ non semel irruptionem in Franconicum circulum fecit, tentaturus porro in Suevicum, Nigræ etiam Silvæ nostræ terrorem incussit: Sueviaque idcirco in suo conventu de deponendis armis egit, aliique imperii optimates extricare se bello contendebant, neutrales dimisso exercitu, annuente etiam imperatore an. 1763. quo vero ipso pax fuit adhuc restituta.

Austria cum Gallia felici fœdere iuncta.

IX. Inaudito exemplo auxiliares ex fœdere Russicæ copiæ, dum medio bello, Elisabetha mortua, Petrus III. imperium Russicum capesseret, ab Austriacis ad Borussos conversis armis defecerunt. Vicissim vero iam an. 1756. re item a seculis inaudita, inter aulam cæsaream & Gallicam arcta coaluit amicitia, terris nostris imprimis salutaris, ubi in bellis Gallicis primæ fiebant irruptiones, præsertim postquam Gallicæ monarchiæ Alsatia ad adversum Rheni litus adiecta est, magisque pervia reddita est Nigra Silva. Ansam dedit fœderi, Galliæ inter & Britanniæ reges bellum, dum uterque sibi ab aliis hostibus cavet, fœderibusque conciliare allaborat, dumque Britannia paulatim ab amicitia Austriæ deflectit, legatus Galliæ occasionem hanc captare iubetur Viennæ apud aulam cæsaream, ubi tunc opportune admodum Kaunizius prius legatus apud regem Galliæ res status moderabatur,

batur, remque dexterrime unacum legato Staremberg egit, uterque pro meritis principis axiomate ornatus, nec unquam ſatis laudandus tum aliis innumeris titulis, tum hac præprimis re, ad quam Europa ſtupuit, dum repente aliam veluti in formam mira metamorphoſi ſe tranſmutatam an. 1756. conſpexit. Viſum aliquibus eſt, ſed immerito, ob hoc ſubornatum execrabilem illum Damienum, qui auſus eſt, violentas optimo regi Galliarum Ludovico XV. inferre manus, ut tamen divina providentia præſentaneum vitæ periculum averteret, perinde etiam in ſimilibus parricidii caſibus noſtra ætate adverſus Portugalliæ & Poloniæ reges, ad quæ diabolica facinora, ut alia ſimilia ſilentio obvolvam, orbis non multis vergentis huius ſeculi XVIII. annis exhorruit, quando pauci fuerunt regii throni, qui non ſint ſanguine tincti.

Seculum XVIII.

X. Inter hæc vero cæſarea regia familia feliciſſime degit, incomparabiliſque M. Thereſia, apoſtolicæ maieſtatis titulo aucta, auguſtam prolem ad thronos regios evectam poſtquam vidit, veluti teſtamento (pietate avita inde a Rudolpho I. R. R. a) qui coronam Imperii, ut alibi commemoravimus, devotioni inſigni erga ſanctiſſimum altaris Sacramentum in acceptis retulit) perpetuam adorationem huius admirabilis Sacramenti ubique gentium per hæreditarias Auſtriæ provincias inſtituit, in anteriore Auſtria incredibili cultus ardore ſuſceptam. Devotionis huius præcipuæ eximium ſane ſpecimen præbuit Auguſtus M. Thereſiæ filius Ioſephus II. imp. dum an. 1777. ex Gallia redux Friburgi Briſgoiæ adventat die 19. Iulii, opportuneque tunc mox altera, quæ erat Dominica dies, ſtatio huius divini cultus erat in inſigni urbis baſilica, ad quam cæſar concurrit, præſente innumerabili populi multitudine, comitantibus rei forenſis & militaris primoribus, ut tamen ſupplicationi minimi inſtar militis, ſtans primum erectus nudo in pavimento, ad ſacratiorem vero liturgiæ partem genibus nuda in humo provolutus adeſſet, me tunc operante rei divinæ, perinde ac ante ſeptennium archicapellani munere in anteriori functus Auſtria, dum M. Antonia Ioſephi ſoror ad thorum Ludovici XVI. tunc Delphini, iam regis Galliarum, per eandem properaret viam.

Teſtamentum Habſpurgici cultus euchariſtici.

a) *Faſt. Rudolph. c. III. §. X. p. 31.*

XI. Quo quidem tempore caritas annonæ ab hominum memoria inaudita ingruit, anno ſequenti 1771. tanta, ut paſſim ob victus penuriam nuncii de vita periclitantibus advenirent. Cauſa huius caritatis non tam defectus frugum fuit, quam timor quidam Panicus, ſeu, ut ita dicam, panicus: dum quævis regio, imo quævis civium communitas, atque etiam privatus quiſque ſibi timet, defuturum ſucceſſu temporis

Annonæ caritas.

SECULUM XVIII.

panem, vetita ubique frumenti exportatione. Causa vero potissima frumentarii fuerunt, quos vocant Dardanarios, seu frumenti flagellatores, qui annonam corradunt, reservantque, ut quam carissime vendant, experti tamen passim maledictionem Prov. XI. 26. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis; benedictio autem super caput vendentium.*

Vulgus tunc Nigrasilvanum utcunque sese melius sustentare videbatur, modico, aut etiam sine pane vivere suetus, nutritus pomis terrestribus (Erdäpfel) quæ singulari quadam divina providentia, adolescente seculo XVIII. in has terras advehi, colique cœperunt.

Iosephi II. transitus per vicinam Helvetiam, urbesque silvestres.

XII. Iterato iam annis proximis Imperator Nigram etiam Silvam nostram obiit, an. 1777. per Helvetiam redux ex Gallia, deinde anno 1780. ex Belgio, instituto itinere per urbes silvestres.

Urbes hæ partim cis partim trans Rhenum ad litus Helveticum sitæ, commodum ex hoc situ retulerunt ineunte hoc seculo, dum haud invita utraque Austriacorum & Gallorum belliggerantium parte, iniecto Helvetico præsidio suæ & Helvetiæ securitati consuleretur ex pacto cum Austria, qua tota non solum vallis Frickiensis, sed etiam latus lacus podamici ad urbem Constantiam comprehendebatur, perinde ac in ultimo ad finem sec. XVII. bello Gallico, ut in theatro Europæo a) pluribus in tomis consequenter exponitur articulatim in historia Helvetica.

a) *P. XV. & seqq.*

Exortum fuit in hac republica an. 1712. bellum catholicos inter & protestantes cantones ob rebelles abbati S. Galli comitatus Toggenburgici subditos protestantes, quorum patrocinium Turicenses & Bernates imprimis susceperant, resque agitata etiam in comitiis Imperii fuit ob nexum feudalem principis S. Galli cum Imperio. Fuit porro connexa Constantiensis episcopi causa ob dynastias Keiserstuhl & Clingnau ad litus Rheni hic Nigræ Silvæ oppositum e regione silvestris oppidi Waldshut. Bernates & Turicenses utrumque occuparunt oppidum Keiserstuhl & Clingnau an. 1712. quo quidem, sed frustra, de pace agebatur; Bernates vero & Turicenses ob exemtionem ab Imperio, pace Westphalica obtentam, id consecuti sunt, ne causa sua pacis Badensis articulis conventis, quod princeps S. Galli petebat, insereretur.

Eo usque tamen urbes silvestres Helvetico præsidio tutæ erant; bello autem postea Bavarico post mortem Caroli VI. quam anterioris Austriæ provincia ab exercitu Gallico nullo quidem occupabatur negotio anno 1744. urbes silvestres in fidem Caroli VII. imp. electoris Bavariæ fuerunt

runt

runt receptæ præstito homagio: castrum etiam munitissimum Rheinfeldense post paucorum dierum obsidionem expugnatum ac dirutum fuit. SECULUM XVIII.

Anno sequenti, postquam iam recessissent Galli, regimen vero Austriacum, Friburgi ob irruptiones Gallicas minus tutum, Waldishutum concessisset, rebelles rustici Hauensteinenses eo audaciæ processerunt, ut armati ineunte mense Novembri undique concurrentes oppidum, captivos suos liberaturi socios, cingerent, & ad deditionem peterent, atque adhibitis machinis bellicis expugnare velle viderentur; ab iniecto tandem, ex vicinis tum Austriacis cum etiam ad circulum Suevicum pertinentibus locis, milite provinciali fugati, dissipatique, ac demum ad officium revocati, hactenus quiete degunt, communique iam patriæ fruuntur securitate ex felici Austriæ cum Gallia, utinam nullo unquam fato dirumpendo, foedere.

XIII. Facit hoc, ut iam æquanimiter ferat patria inestimabile damnum, quod ultimo cum Gallis gesto bello an. 1744. pertulit, eversis funditus munitionibus, quibus Nigra Silva, iam etiam suapte natura munita, invicta esse poterat. Ex quibus præcipua urbs Friburgum Brisgoiæ Nigræ Silvæ veluti corona imposita, ad finem seculi præteriti pace Ryswicensi cæsari a Gallo reddita, ineunte hoc seculo XVIII. statim impeti, coorto bello, est visa an. 1702. quando primum Galli, traiecto Rheno ad nos diverterunt. Sed, urgente tunc coniunctione cum Bavaro, intacta est relicta: frustra etiam proditione eam a. 1708. tentavit, corrupto milite, Villarsius; a quo tamen ipso expugnata est, postquam an. 1713. superato mense demum Septembri Rheno, aggeres Friburgo ad Nigram Silvam deductos, quos Vaubonius non, ut oportuit, est tuitus, disrupit, medioque iam eodem mense urbem aggressus, tandem strenue admodum ab Harschio defensam, medio mense Novembri obtinuit, postquam iterato Harschius extremum Eugenio Sabaudiæ principi, urbi frustra occurrere gestienti, denunciasset periculum, in quo versabatur, a supplicibus vero civibus ad deditionem flecti nequiverat: dumque urbe relicta, in munitas arces se confert, civitas ab interitu servata est ab urbis Syndico Fr. Ferdinando Meyer, qui vexillo albo protenso, hosti, iam ad ultimatam impressionem parato, deditionem denunciavit. Urbem paucis post diebus arces ob periculum eidem imminens secutæ sunt, hosti traditæ die 17. Novemb. ultro confesso Villarsio, talem se nunquam expertum fuisse defensionem. Musæ tunc etiam expulsæ, Constantiam concessere, eo migrantibus professoribus plerisque academiæ, ipsoque rectore magnifico Io. Sig. Stapf, cuius postea filius Io. Friburgum Brisgoiæ.

SECULUM XVIII.

Georg. Sigismundus Stapf a senatu academico, medios inter tormentorum strepitus, in sacristia templi parochialis academici pridie festi OO. SS. eodem rectoris munere est ornatus an. 1744. ut refert Ios. Riegger in Amœnit. liter. Friburg. Fasc. I. p. 31. dum durissima obsidione, præsente ipso Galliarum rege, die 17. Sept. premi cœpit Friburgum. Eius mœnia a Gallis instaurata fuerant, paceque Badensi an. 1715. restituta urbs, iterum iam notato anno 1744. a Gallis expugnata; arces perinde tres una supra aliam in tergo montis Burghalden munitissimæ hosti Gallo cessere, qui omnia munimenta funditus diruit: urbemque cum provincia, pace Austriam inter & Bavariam an. 1745. inopinato pacta, die 30. Aprilis eiusdem anni deseruit, atque colonis reliquit fundum mœniorum.

Villinga, Rottwila.

XIV. Una tunc Villinga mœnia sua integra servavit, quæ suo commodo milite destituta, die 10. Sept. an. 1744. a Gallico duce Belle Isle est occupata, dum nunquam eo usque in manus hostium venisset, sæpius infestata iam præterito seculo XVII. atque etiam iterato ineunte hoc sec. XVIII. primum a Villarsio an. 1702. mense Maio, quo ipso mense anno sequenti Bavarus urbem, facto assultu, in suam potestatem redigere iam paraverat, sed ab exercitu cæsareo imminente apud Schœnberg revocatus est a consilio. Anno dein 1704. mense Iulio maximum impetum a duce Tallard sustinuit, unius fere hebdomadæ arctissima obsidione, strenue a B. de Wilsdorf defensa. Inde dilapsus Tallardius in Sueviam, ad coniunctionem cum Bavaro festinans, die 13. mensis Augusti in decretoria ad Höchstadium pugna captus fuit, exercituque Gallico & Bavaro dilapso, patria hoste fuit liberata. At vero an. 1713. iterum perruptis aggeribus una aggressione Vaubonium Austriacum ducem, Rottwilam usque per vallem S. Petri, ac S. Georgii dilapsum, fugarunt Galli. Vaubonius ad tutelam Sueviæ hosti præoccupaturus loca, apud Rottwilam consedit (ab ineunte hoc seculo turbis intestinis concussam), munitis castris, mœniis etiam Villingæ, & aggeribus Nigræ Silvæ, quam perrupturus esse videbatur hostis; qui tamen ad Rhenum regressus, atque in Brisgoia obsidioni Friburgensi intentus, Sueviam reliquit intactam.

Alia ad Nicrum potissimum oppida incendiis correpta.

XV. Ea quatenus est Nigræ Silvæ contermina, sequentibus annis in plerisque oppidis maxima ex incendiis ad Nicrum potissimum damna pertulit. Veluti an. 1721. die 11. Sept. oppidum Sulz conflagravit combustis 73. ædibus, a. 1724. Hechinga 30. Octobr. decem desideratis.

Anno

Anno mox sequenti 13. Ian. Horbæ ad Nicrum in comitatu Hohenbergico una nocte 250. domus flammis cessere, me ipso tunc adhuc puero quinque annorum, graviterque ægrotante cunis iniecto, atque extra urbem delato, flammas illas, quas etiamnum phantasia menti suggerit, dirissimas concubia nocte eminus prospiciente. Anno 1726. oppidum Reitlingen paucis ab oppido Horb distans leucis, vix aliquot exceptis ædibus, totum in cineres fuit redactum; veluti etiam anno 1728. Hala Sueviæ, quarta tantum servata urbis regione, anno 1735. vero iterum ad Nicrum Rothenburgum civitas tota igne consumta est die 8. Martii. Ad eundem Nicrum Esslingæ ædes quatuordecim mense Decembri anno 1742. eodemque mense anni sequentis ædes 130. Schorndorffii in valle Ramsia ducatus Wirtembergici flammæ devorarunt.

SECULUM XVIII.

XVI. Felix seculo hoc XVIII. Wirtembergia tres tantum hactenus, sed nulli secundos, numerat duces; primum Wilhelmi Ludovici filium Eberhardum Ludovicum, qui an. 1693. accepta minorennis venia ætatis, de Imperio Germanico & patria toga & sago optime meritus, ex Ioanna Elisabetha Friderici Magni marchionis Durlacensis filia unicum item habuit filium, ante patrem mortuum: quare Eberhardus an. 1733. fatis functus, successorem habuit ex Wilhelmi Lud. fratre Friderico Carolo nepotem insignem heroem Carolum Alexandrum magni Eugenii Sabaudici achatem: quam etiam ob rem tribus, qui superstites sunt, filiis Eugenii nomen indidit.

Wirtembergiæ duces.

Ex quibus primogenitus Carolus Eugenius natus an. 1728. mortuo patre an. 1737. novennis Carolo Rudolpho ex stirpe Wirtembergica Neostadiensi administrationem ducatus reliquit usque ad an. 1744. quo ipse, accepta ætatis venia regimen accepit, atque etiamnum feliciter tenet; feliciterque degunt eius fratres Eugenius Ludovicus, pietate in superos insignis, & Fridericus Eugenius, qui ex undecim prolibus octo numerat principes masculos, qua sobole caret Ludovicus frater natu maior.

Inter tres vero fœminas principes primogenita Sophia Dorothea Augusta, nunc veto Maria Feodorowna nupta magno Russiæ principi hæreditario an. 1776. mox sequenti an. 1777. masculam prolem enixa est die 23. Decembr. principem Alexandrum. Elisabetha vero eius filia altera destinata est sponsa Francisco Iosephi II. Imp. nepoti ex fratre Leopoldo magno Hetruriæ duce.

Seculum XVIII.

Marchiones Badenses.

XVII. Agitantur inter duces Wirtembergenses & marchiones Badenses de monasteriis Nigræ Silvæ Albæ Dominorum & Reichenbacensi (quorum illud fuit Cisterciensis ordinis ac regulæ S. Benedicti, hoc inter cellas monasterii Hirsaugiensis) controversiæ, & adhuc sub iudice lis est.

a) T. IV. p. 401.

Ex Dan. Schœpflini Historia Zaringo-Badensi a) discimus, controversiam illam, longo iam tempore Austriacos inter Archiduces, Principesque Badenses de Susenbergæ, Rœtelæ & Badevillæ Nigrasilvanis dynastiis, in quas supremum dominium petiere Austriaci, ventilatam, an. 1741. finitam esse mutua pactione, qua M. Theresia Austriaca, accepta pecuniarum vi, omnibus suis renuntians iuribus, dynastias illas unacum Schopfhemio oppido pro liberis Imperii Rom. allodiis agnovit: eademque transactione Austriaca pars vici Crenzach Nigræ Silvæ meridiem versus & occidentem prope Basileam cum omni supremo dominio ad Marchiones Badenses transmissa est, servato Austriacis innoxio transitu & iure, recipiendi hanc partem, si quando Badensis domus masculi, feminæve defecerint.

Digressio ad thermas Badenwileranas.

Sæpius hoc Tomo secundo Historiæ huius mentionem iniecimus dynastiæ ac castri Badenweiler, studiose inprimis ac diligenter antiqua scrutati monumenta, an forte quidquam reperire liceret, nos manu deducens ad vestigia quædam illorum ruderum thermarum Romanarum, quæ diligentiam oculatissimi alias his in rebus Schœpflini effugerant, casu fortuito anno primum 1784. detectæ. Mireris, nequidem in instrumentis emptionum & venditionum, vicissitudinumque tam frequenter hoc castrum dynastiamque Badenvillanam lacessentium, aut in recensu iurium & utilitatum ullam adspergi mentionem de balneis hodieque salubribus: Romanarum vero thermarum nec vestigium a rusticis arantibus exsulcatum ante fuisse, eo difficilius captu videatur, cum fertilis gleba ruderibus pretiosis iniecta vix cubitum excedat altitudine.

Dum ecce deteguntur ea occasione, qua Carolus Fridericus Marchio post tot iam felicissimi regiminis auspicatissimos annos, proficiente ætate, Carolum Wilhelmum patruum imitaturus, qui adolescente hoc seculo de sua quiete ac otio sollicitus silvam immensam excidit, sedemque inibi posteris *Carlsruh* dicendam fixit; paria sibi in regione Badenvillana Tusculana quærit, forsan eadem locorum ridente facie, qua Romani thermarum autores, eo illectus. Hi, Gallia Cæsaris armis in provinciam redacta, extructoque trans Rhenum in Alsatia magnifico, hodiedum Romanam elegantiam loquente Ottmarshemiano Martis fano, quod postea

facris

ſacris chriſtianis dedicatum eſt: recta & e regione huius templi ad littus noſtrum Allemannicum, tum Marcomannicum, perrexere. Loci ſalubritas, atque amœnitas, repertæ inſuper profluentes aquæ calidæ perſuaſerunt, ut utroque Rheni littore potiti ad pedem altiſſimi montis Blavi conſederent, ubi opus ſuo nomine dignum, in ſuis nunc ruderibus adhuc mirandum, nobis tandem reliquerunt.

Equidem non eius ſunt molis thermæ, cuiuſmodi nobis Ammianus aliquando in Gallia Præfectus provinciæ Romanæ deſcribit a), *lavacra in modum provinciarum exſtructa*; verum nec minimum cedant iis, quæ paſſim hodieque in Germania noſtra deteguntur, illuſtratæ iam a viris doctis, in Helvetia quidem a I. Breitingero & aliis, in Alſatia & ultra ad Moſellam a Schœpflino in Alſat. illuſtrata, in Franconia a Hanſelmanno, in Francia Orientali a Caſ. Hæfelin, ad Nicrum in Suevia quoque a Chr. Frid. Sattlero & aliis.

a) L. XVI. c. 6.

Ipſas has, quas præ oculis habemus, thermas illuſtrandas comiſit Sereniſſimus Marchio doctiſſimo aulæ ſuæ diacono Aug. Gottl. Preuſchen, cuius in meſſem falcem immittere nec libet, nec licet; cum locum nos per aliquot horas tantum, altero iam abhinc anno, ac fugitivo velut oculo ſuperficietenus luſtraverimus: illo per otium non ſolum cuncta perſcrutari iuſſo, verum etiam oculis, manibuſque examinante quævis antiquitatis reperta cimelia, illico ut reperiuntur, ad aulam tranſportanda. Ut vero, quod res eſt, quam viſu præſens ediſcebam, fatear, per horulas illas ſic extra me ſum raptus, ut copia tantum non mentem oppreſſerit. Humaniſſime deductus a D. Groſs dynaſtiæ Præfecto, id ipſo aditu in ſtuporem egit, quod cum amplam ſatis portam ingreſſi ſimus A, altumque ſex ſeptemve pedes canalem ſubterraneum concameratum ſine omni prorſus cæmento ex lapidibus conice inciſis, ad ipſas thermas, quas canalis ille ambit, nullum deprehenderimus in muro illas circumdante aditum vel portam principem, quæ tam magnificas decere videatur ædes, nullumque propyleum. Area B. quidem ad orientem & occidentem, uti & veſtibulum C. peramplum eſt; areaque ad occidentem imprimis ſpatioſa, palæſtriæ, exercitiis variis gymnaſticis, ac deambulationi, ad quæ etiam veteres balineæ ac thermæ inſtructæ erant, accommodata videtur. Anguſtius eſt atrium D. bipartitum ad meridiem, ædes inter & murum exteriorem apertum E. ad orientem & occidentem, ut fores videri poſſint, licet anguſtis ædibus haud reſpondentes. Nullus vero hic ad quatuor balnea F. aditus patet, quæ profunda ſunt ſex pedes, habentque tres gradus, latos pedem & ſemiſſem; ut, qui in bal-

A. B. C. D. E. F.

SECULUM XVIII. balneo ſint, poſſint pro lubito corpus immittere aquis aut ſedendo in gradibus, aut ſtando, aut etiam per medium natando; quem in uſum forte duo ſpatioſiora balnea ſunt comparata, ut queant natatoria dici. Ex ſingulis his quatuor balneis aditus patet ad proximas cameras & hypocauſta.

Neque vero ego mihi ſumſerim, uſum definire, atque præciſius determinare rationem omnium ac ſingularum tam variarum camerarum ſeu receptaculorum, in balneis his Badenvillanis multo ordinatius quam in quibuſvis aliis, quorum ectypa æri inciſa habemus, apte ad ſymmetriam, & concinne ad ornatum & elegantiam inter ſe diſpoſitorum. Id extra dubium poſitum eſſe videtur, præter balnea (quæ ut hic loci conſtituerentur, ſalutares aquæ ex declivo montis ſcaturientes tepidæ, aliquando calidiores, narrante traditione nec repugnante ratione, occaſionem præbuerunt) fuiſſe hic ſudatoria etiam laconica a Laconibus ſic dicta auctoribus, ut etiam ſine aquarum ſubſidio ſicco calore ſudor e corpore humano eliceretur, quibus tamen ſua quoque, ut balneis aliis, tepidaria erant ac frigidaria, quo paullatim ſenſimque corpus diſſudans e ſudatorio, ubi vehementior calor ſudorem expreſſerat, in tepidarium, ubi calor lenior ac temperatior, atque ex tepidario concedens in frigidarium, refrigeſceret, aut viciſſim refrigeratum per gradus incaleſceret. Id quod de balneis ita explicat Vitruvius a): *Ahenea ſupra hypocauſtum tria ſunt componenda, unum caldarium, alterum tepidarium, tertium frigidarium; & ita collocanda, ut ex tepidario in caldarium, quantum aqua calidæ exierit, influat. De frigidario in tepidarium ad eundem modum, teſtudineſque alveorum ex communi hypocauſto calefiant.*

a) *Lib. V. c.* 10.

Infra & ſupra e mediorum duorum regione balneorum maiorum videntur minora balnea eſſe, ad unius alteriuſve perſonæ privatum fortaſſis uſum cum labris, lit. G ſignata. Inter hæc maiores duo foruli ad ſeptentrionem deducunt ad duo laconica H, quorum indicium præbent pilæ paſſim minori vel maiori numero ex ruinis reſiduæ. Tam in medio retro maiora balnea, quam ad latera verſus orientem & occidentem pilis his, ordine diſpoſitis, pavimentum inſiſtebat, infra quod calorem ex immiſſo concipiebant igne. Deſiderantur autem & hic tubi illi, quales etiam in Lupodunenſi balneo Hæfelinus b), in Bipontinis & Vogeſianis quoque Schœpflinus c) quæſivit; qui vero ſingulariter conſpicui ſunt in thermis Romanis, primum an. 1780. in agro Turicenſi apud Neſtenbach detectis, uti hic Tab. III. num. 1. exhibemus.

b) *Acta Acad. Palat. T. III.* p. 220.
c) *Alſat. Illuſtr. T. I.* p. 539. 540.

In

In thermis Badenvillanis duo laconica ad latus versus orientem & occidentem habent fornacem I. ad excitandum in hypocausto ignem: non idem obtingit in laconicis mediis infra maiora balnea septentrionem versus, ubi in medio inter duo receptacula late aperta, K. quatuor alia concluduntur, quæ sunt qui putent, esse receptacula lignorum aut carbonum, lit. K. L. & M. media furnos N. ad calefaciendam in ahenis aquam, forte pro medio laconico eius generis, quale in balneo Lupodunensi describit laudatus Hæfelinus a): *quod non*, ait, *ignea vi*, *at benignis aquæ calidæ vel tepidæ vaporibus sudorem eliciebat*; cuiusmodi laconica hodie frequentantur in thermis Blomberianis in Lotharingia, iussu regio ad veterem Romanum balneorum ritum ac formam constructis. Iidem canales, quorum exitus seu eluvies ad utrumque latus comparet in muro extimo ad septentrionem, lit. N. accommodati perinde esse possunt ad emittendas aquas tam ex his laconicis, quam ex mediis duobus balneis. Sicut exteriora duo balnea maiora suos canales O. habent, in maiorem canalem A.*, qui totum, ut diximus, ambit thermarum ædificium.

I.
K.
K. L. M. N.
a) p. 226.
N.
O.
A.

Commemoranda adhuc supersunt Eleothesium, seu locus pro unguentis oleisque odoriferis, rotundis duabus cameris lit P. ad hoc apte dispositis, ac apodyterium, seu spoliatorium, depositoriumque vestium, cui (nisi foruli 2. muro iam conclusi ad hunc primo etiam accomodati fuerint usum) assignando restant duo cubilia R. sat ampla meridiem versus ad latus orientalis & occidentalis vestibuli, in cuius medio ad orientem quidem S. vestigium tantum basis repositæ columnæ seu statuæ, ad occidentem vero T. ipsa superest basis, quinque alta pedes, his inscripta litteris:

P.
R.
S.
T.

DIANÆ ABNOP.

Dianæ cultum in Nigræ Silvæ plaga etiam orientali produnt monumenta a Sattlero in historia Wurtembergiæ b) memorata, aræ votivæ in Wildperg & Marpach, ubi etiam iam Gruterus, Rothenburgi item & Wimpinæ ad Nicrum inscript. ant. T. I. p. 39. & T. II. p. 111. Dianæ factas inscriptiones habet, damusque c) hic ectypon Statuæ Dianæ cum turri in capite, quales Montfauconius complures in Antiq. explic. T. I. p. 157. &c. Ægyptiacas affert. In memoratis inscriptionibus promiscue legitur Diana & Deana prout habet inscriptio aræ *Deanæ Abnobæ*, quam exhibuimus T. I. p. 7. nec dubium est, respondere hanc Badenvillanæ. Palam vero hinc fit, quousque sese montis Abnobæ iugum protenderit,

b) *T. I. p.* 199. 206.
c) *Tab. III. num.* 2.

SECULUM XVIII.

de quo l c. Taciti teſtimonium attulimus de ortu Danubii in montis Abnobæ iugo. Quodſi præter certam ſtationem fragmentorum quorumdam inſcript. Dianæ etiam compareret Abnobæ nomen: inde conjici poſſet, an non Romanis totum illud iugum montium Nigræ Silvæ ab eius porta Pforzheim, uſque ad terminum in Crenzach prope Baſileam nomine Abnobæ montis venerit: dum iam illud exploratum nobis ſit, iugum eius ab ortu Danubii protendi per Mühlbach, ubi reperta fuit ara illa Dianæ Abnobæ poſita verſus montem Caſtelberg, in quo Romanorum ſtativa notavimus T. I. p. 9. eſtque æmulus montis Blavi, cuius ſub clivo Badenvillanæ thermæ ſunt poſitæ; indeque protrahitur illa montium catena uſque ad Crenzach Nigræ Silvæ, ut meminimus modo, terminum a porta eius Pforzheim a ſolis ortu ad occaſum uſque.

Nec iucundius harum rerum ſtudioſis poteſt eſſe ſpectaculum, quam in vertice quodam altiſſimorum montium noſtrorum (Caſtelberg, Veldberg, Blavi ac Vogeſi noſtri cis-Rhenani Bölcken, ſiti ex adverſo Vogeſi trans-Rhenani) concurſum horumce cum Iura ſimul monte Romanis æque celebratorum montium oculis conſpicere. Dum hic, Iuraſſus nempe, haud procul a Confluentia Arolæ in Rhenum exſurgens, e regione urbium Silveſtrium Waldshut, Lauffenburg &c. ad meridiem in occaſum vergendo, Vogeſo velut occurrit in alpibus Lotharingiæ: Vogeſus vero ad ſeptentrionem tendens noſtros reſpicit Abnobæ montes: Danubius porro veluti indignatus fontem ſuum *in molli & clementer edito montis Abnobæ iugo*, ut cum Tacito loquar, recedit orientem verſus: mons autem Abnoba ad Rhenum ſeſe inflectens, eundem hunc fluvium uſque ad terminum ſuum in Crenzach prope conſectatur, ceu immemor veterum florente Romano Imperio perpetuorum conflictuum ad utrumque Rheni littus habitorum maxime a Iulio Cæſare (ne quid dicam de multis ſeculis anteriore emigratione Volcarum, Tectoſagum e Celto-Gallia in conterminam Nigræ Silvæ noſtræ plagam, teſte Livio) a) qui ante Chriſtum natum Arioviſtum Rhenum apud Rauracos & Sequanos tranſgreſſum Gallia ad ſuperiorem Alſatiam expulit, faſceſque Romani Imperii in hanc noſtram tranſtulit regionem, quiete poſthac a Romanis poſeſſam uſque ad medium fere ſeculi poſt Chriſtum natum tertii, quo demum inaudiri nomen Alemanorum Marcomannis emigrantibus ſuccedentium, atque anno 234. in primam, unde advenerant, Galliam effugatis Romanis Alexandro Severo imperante irrumpentium. Paullo poſt quidem regreſſi, ſæpius etiam repulſi ſunt, certatim accurrentibus in has regiones imperatoribus primum ethnicis, dein chriſtianis etiam pleriſ-

a) *Lib. VI. de bell. Gall. c. 24.*

plerisque Iuliano quoque apostata, usque dum Romanum imperium seculo V. ineunte occideret.

Ad hanc usque epocham, ultrane thermæ Badenvillanæ perstiterint, quove tempore præcise ortum habuerint? nedum constat. Venustas litterarum saltem in memoratæ Dianæ Abnobæ inscriptione occurrens ætatem auream florentissimumque reipublicæ ac imperii Romani sub proximis Iulio Cæsari Augustis statum produnt. Eiusdem elegantiæ sunt litteræ DIA in fragmento inscriptionis, forte statuæ, ad introitum vestibuli orientalis positæ. De altera, tabula III. n. 3. æri incisa, quæ una oculos meos subiit, inscriptione aliquid indubie asserere non lubet. Calamo tantum adumbratam accepi, estque plane singularis, lamellæ argenteæ insculpta; eamque misi ad inscriptionum Romanarum Editorem recentissimum, ex abbate Congreg. Cassinensis Ord. S. B. episcopum Cirenensem; Petrum Lud. Galletti, meum quondam Romæ his in rebus hodegum, qui suis in responsoriis, ex parte adductis a) censuit esse monumentum hoc veterum Gnosticorum & Basilidianorum, quorum famosissimum est ABRAXAS hodieque in gemmis superstes; de quibus etiam S. Irenæus b): *utuntur autem*, ait *& hi magia, & imaginibus & incantationibus, & invocationibus & reliqua universa periergia: nomina quoque quædam affingentes quasi angelorum, annuntiantes, hos quidem esse in primo cælo, hos autem in secundo: & deinceps nituntur trecentorum sexaginta quinque ementitorum cælorum & nomina principia, & angelos & virtutes exponere. Quemadmodum & mundus nomen esse, in quo dicunt descendisse & ascendisse salvatorem, esse Caulacau.*

b) *Lib. I. contra hæc c.* 24.

Verum de tabula manum. De meo nil addo, avidissime expectans, quid in medium proferat Cl. Reuschenius, quem hic audio in alia omnia abire. Unus vero is est, qui nobis monumenta Badenvillana suppeditare singula potest sub auspiciis Serenissimi Caroli Friderici, in cuius tempora

a) Veggo, che questa laminetta non contiene altro, che un invocazione prima al Dio degli exerciti espressa in quelle lettere: *Ia Ia Ia Ia Sabaoth*, che in ebraico suonano: *Dio Dio Dio Dio degli exerciti*; dipoi ad alcune scioche Deità de Gnostici, & Basilidiani Blamathan Albaacra Emesilam (ego lego Ellesilam) perche conservino sanno e salvo un tal Luciolo Mercurio. Tutta la legenda è un composto di lettere e parole greche e latine. La prima riga dee contenere qualche numero mysterioso. Nelle gemme speso s'incontrano simili invocazioni, ma generiche & senza persona individuata; per questo ha qualche pregio la laminetta sudetta avendo un nome determinato. Su questo genere di documenti non si puo dare un interpretazione, o per meglio dire una legenda esatta in tutti le parti; come si fa per esempio di un iscrizione greca sebbene sia abbreviata, poiche negli amuleti e nelle tessere de Gnostici vi sono cosi arbitrarie espresse in numeri secondo le loro superstizioni chi essano la quinta essenza di tutti gli errori.

SECULUM XVIII.

ea incidisse ac manus, felix faustumque est: quippe quo non facile alius eas præstare expensas ac operas quis aut potuisset aut voluisset, utroque iam Badensi Principatu auctus, qui maiori adhuc huius seculi parte fuit dissociatus.

Heros Ludovicus Wilhelmus, de quo iam sæpius fuit iniecta mentio Bernardinæ lineæ, quam Schœpflinus T. III. Hist. Bad. prosequitur, eam marchiæ Badensis partem, quæ catholicæ religioni est addicta, iam an. 1677. moderari cæperat, Turcarum malleus, Deo protegente a coniuratione an. 1689. in eius vitam per Turcas factam, nostro adhuc seculo relictus, patriæ ac cumprimis Nigræ Silvæ tutor ac servator virtute bellica singularique providentia, qua patriam vallo & aggeribus cinxit a Rheno in Nigræ Silvæ circuitu Heilbrunnam usque ad Nicrum, fuitque, dum vixit Ludovicus, invictum, mortem autem oppetiit an. 1707. succedente Ludovico Georgio filio necdum quinquenni sub tutela matris ex illustrissimo Ascaniorum, Saxoniæ ducum lineæ Lauenburgicæ, sanguine natæ. Ludovico Georgio an. 1761. Augustus Georgius successit frater ex eadem matre natus,

Uterque sine prole fuit defunctus, unde Badenses terræ rediere omnes ad unam Ernestinam stirpem Durlacensem, quæ prius Pforzheimensis fuit dicta ab oppido Pforzheim, ubi ad an. 1565. consederat, ibique Car. Wilhelmus amplissimas an. 1716. construxit ædes orphanis, pauperibus, & hominibus infirmis alendis: facinorosis, prodigis, dementibus coërcendis: pueris atque puellis erudiendis, ut describit Schœpflinus T. IV. Hist. Bad. a) quo lineam Ernestinam persequitur: memoratque, eundem marchionem b) an. 1735. coemisse a Friderico de Bærenfels vicum Crenzach prope Basileam, limitem Nigræ Silvæ meridionalem, cui oppositus est borealis apud Pforzhemium ceu porta Nigræ Silvæ, ut iam notavimus, dicta, perinde ac Crenzachium limitem lingua vernacula designat ad eum Rheni tractum, quo supra inter urbes Silvestres est Waldshutum Nigræ Silvæ veluti custodia ex nomine.

a) *Lib. VI. p.* 373.
b) *p.* 383.

Carolus Wilhelmus vitam produxit usque ad an. 1738. quo ei Carolus Fridericus ex Friderico filio nepos successit optimus princeps, qui se hodieque patrem patriæ demonstrat, iam etiam prole beatus ex Carolo Ludovico filio hærede & Amalia Friderica Hassio-Darmstadiensi, uxoris magni principis Russiæ defunctæ sorore, quæ uno partu duas an. 1776. enixa est filias, singulari familiæ voto, cui integro hoc sec. XVIII. nullum germen obtigit fœmineum. Gemellis his sospitibus postquam annis

annis 1779. 1781. & 1782. tres aliæ femellæ principes successive accessissent eadem sospit alis mater serenissima an. 1784. masculo etiam primogenito Carolo Friderico visa esset beata; is vero ætatem non tulit an. 1785. denatus. Superi tamen iterum hæredem principem proximo anno 1786. veluti in defuncti vicem reddiderunt Carolum Ludovicum Fridericum spem futuri seculi. SECULUM XVIII.

XVIII. Superest illustrissima Furstenbergica gens, cui, dum ipso nomine a castro oppidoque Furstenberg Barensis pagi in Nigra Silva ad nostrum singulariter attinet institutum historiæ Nigræ Silvæ, ab ineunte præterea seculo præsente id etiam paulatim accessit, ut reliqui rami ad hanc unam coalescerent stirpem in Iosepho I. Wilhelmo Ernesto, qui an. 1704. Prospero Ferdinando lineæ Stühlingensis in Alpegovia nostra successit, cui Heiligenbergica accessit an. 1716. post mortem Antonii Egonis, qui Augusto II. rege Poloniæ administrator Saxoniæ, qualis fuerit & quantus, vel ex una eius ad regem epistola an. 1708. a) a Fr. C. Moser edita, palam fit. Accessit an. 1744. Möskyrchensis principatus post mortem Caroli Friderici filii Frobenii Ferdinandi, qui summis in Imperio Germanico perfunctus officiis, iudex cameræ Imperialis Wezlariæ, principalis item commissarius seu protolegatus cæsareus apud comitia Imperii Ratisbonæ fratrem amisit Carolum Egonem an. 1702. in prœlio Fridlingensi, cui per monasterium S. Blasii delato ad sepulturam in monasterium Neidingense dolentes parentavimus: quemque eadem fortitudine secutus est a. 1704. Prosper Ferdinandus, qui a. 1702. in obsidione Landaviensi occubuit parens Iosephi I. de quo agimus, commissarii etiam principalis cæsaris ad comitia Imperii Ratisbonæ, pacisque inter Austriam & Bavariam an. 1745. cum Rudolpho comite de Coloredo ad Fauces Rhætiæ arbitri: quique Iosepho Wenceslao principi benignissimo, hodieque superstiti reliquit hæredi post mortem an. 1762. imperii terras uni regendas, postquam vivus duas in subsidium constituisset lineas, alteram Landgrafiatus in Weitrach in Ludovico Augusto Egone fratre an. 1755. alteram principalem ditionum Bohemicarum in Carolo Egone filio an. 1759. principali nomine cæsaris commissario in visitatione cameræ Imperialis Wezlariæ an. 1767. deinde an. 1771. supremo regni Bohemiæ Burggravio: cuius iam filius hæres Philippus Maria Iosephus nupsit an. 1779. Iosephæ Mariæ Benedictæ filiæ Iosephi II. Wenceslai principis, ut diximus, ac domini ditionum Imperialium: huiusque filius hæres Ios. M. Benedictus an. 1778. Mariæ Antoniæ unicæ Iosephi Wilhelmi principis de Hohenzollern Hechingen filiæ, nuptus

Principes Furstenbergici.

a) *Diplomat. und histori. sche Belustig. T. IV. p. 63.*

SECULUM XVIII.

hactenus improlis: dum interim Car. Ioachimus germanus frater in ſpem exoptatiſſimam futuri adoleſcit ſeculi, præſenti hoc ad finem vergente, an. 1771. natus, princeps iuventutis vividiſſimæ, exſpectationis quam maximæ.

Nobiles & Dynaſtæ.

XIX. Inferiorem nobilitatem paſſim a ſeculo XV. in ſocietates conveniſſe, ſuo loco notavimus, indigitavimuſque ordines equeſtres, qui in Nigram Silvam excurrunt in Suevia & Briſgoia. Hic agmen ſeu præſidium nunc temporis ducit Ill. Franc. Antonius L. B. de Baden, quam ex nobilibus miniſterialibus marchionum de Baden familiam iam ad ſeculum XII. a) atque alias celebravimus. Sunt vero præ manibus chartæ Ioannis comitis de Habsburg, Nigra-Silvanæ lineæ de Laufenburg, an. 1329. & Conradi comitis de Friburg an. 1336. quorum prior *Luti de Baden* feuda confirmat generatim, hic ſpeciatim, nomine etiam Friderici filii, *Heinzelin Dietrichcs von Baden Sun* in feudum confert advocatiam monaſterii Benfeldenſis in Liela cuius vici iam ad ſeculum X. b) meminimus occurritque in charta an. 952. apud P. Herrgott c). An. 1430. inter Priorem & Conventum Carthuſiæ Baſileenſis proprietarios huius villæ poſt Benfeldenſes, nec non Adelbertum & Nicolaum de Baden advocatos, tractatum legitur; quorum prior iam an. 1413. cum marchione de Baden in concilio Conſtantienſi præſens fuit. Vergente ſec. XV. in chartis notabilis eſt Rudolphus de Baden S. R. I. princeps ac Prior magnus ord. Melitenſis, commendator in Heitersheim, Friburg, & Nüwenburg. Conſociationi nobilium anno 1545. Friburgi Hieronymus de Baden adfuit; Ioannes Fridericus vero de Baden an. 1661. equeſtris ordinis director extitit.

a) *T. I. p.* 360. *&c.*

b) *T. I. p.* 149.

c) *Eod. Geneal. diplom. Habsb. chart.* 131. *p.* 76.

In frequenti ſtatuum Briſgaïcorum conventu Friburgi an. 1741. præſidium equeſtris ordinis tenuit Ferd. Hartmannus de Sickingen, cui poſt Hanibalem Maximilianum comitem de Schauenburg (familiæ huic duplex in confiniis Nigræ Silvæ Schœpflinus d) deſignat caſtrum in Rauracis & Ortenavia, quod ſec. XII. Utha Calvenſis extruxit, de qua verba fecimus in fundatione monaſterii OO. SS. in Nigra Silva) ſucceſſit Ferdinandus Sebaſt. de Sickingen memorati Ferd. Hartmanni filius. Sunt qui gentilitii caſtri Sickingen rudera in Briſgoia ſtatuunt; alii in Argovia Helvetiæ haud procul ab Habsburgo. Sunt præterea aliæ huius ampliſſimæ familiæ arces Landſtuel, Habſtul, Ebernburg, Hohenburg & Drachenfels, quas ineunte ſec. XVI. unus poſſedit heros ille, de quo in hiſtoria eius ſeculi egimus, Franciſcus de Sickingen, quæque deinceps diverſis ramis huius illuſtris proſapiæ nomen dederunt. Ac nos quidem Hohenburgica nunc

d) *Alſat. illuſtr. T. II. p.* 693.

attinet,

attinet in historia Nigræ Silvæ versantes dum per Fridericum de Sickingen Hohenburg ex connubio Annæ Snewlin de Landeck an. 1568. dynastiæ in Nigra Silva ad hanc Sickingen-Hohenburgensem familiam, ut suo loco indicavimus, sunt devolutæ: seculum autem nostrum illustravit imprimis quem nominavimus, Ferdinandus Hartmannus de Sickingen, cuius soror M. Theresia, nupta an. 1699. Franc. Marquardo de Roth, duos filios habuit episcopos Constantienses Fr. Conradum S. R. E. Cardinalem, & Maximilianum, qui in episcopatu successerunt avunculo suo Casimiro de Sickingen. Frater eius Ferdinandus Hartmannus Præsidentis apud statum equestrem munus accepit an. 1699. tenuitque ad annum 1725. quo S. C. M. Vices-Gerens regiminis Ant. Austr. selectus fuit. In magno illo statuum conventu an. 1741. cuius mentionem fecimus, assessorum munere fungebantur I. Fridericus B. de Kagenegg, & Franc. L. B. de Wittenbach. Post F. Ios. Antonium Schnewlin Bernlapp B. de Bollsweil assessorum munere nunc funguntur Fr. Ioseph. com. de Duran, & Venerandus Sebastianus L. B. de Wittenbach, filius *Francisci*, qui ipse etiam fuerat assessor, frater Ferdinandi Sebastiani. Consenuit hic consiliarius regiminis anterioris Austriæ, parens Io. Francisci de Wittenbach S. C. M. consiliarii intimi, ac iudicii provincialis Brisgoiæ nunc Præsidis, ad quem in Nigra Silva spectat oppidum Elzach, quod post emortuam an. 1498 in Ioanne Wernero Stirpem de Schwarzenberg familiis illustribus de Rechberg, de Hohenberg, Ehingen, & Reischach in feudum contigerat. Eadem illustris familia integro sec. XVI. partem vallis Buchenbach possedit; partem alteram familia sæpe memorata de Snewlin. Eam hodie inter se partiuntur familiæ de Manikor, Altstätten & Wittenbach. Nobilis hæc familia ineunte hoc seculo in duos abiit ramos per Ferdinandum Sebastianum regiminis Austr. Ant. consiliarium & Franciscum assessorem ordinis equestris duos Hieronymi filios, qui an. 1712. in feudum accepit ab Iosepho I. Imp. superiorem vallis Buchenbachinæ partem, prout a castro Wisneck, hodieque ditionis B. de Sickingen, distinguitur in inferiorem, & superiorem. Iam memoravimus in magno statuum conventu an. 1741. ordinis equestris assessorem cum Francisco de Wittenbach Io. Fridericum de Kageneck, quam inter vetustas urbis Argentoratensis illustres familiam equestrem celebrat Dan. Schœpflinus (in Alsat. illustr.) a) quippe ex qua in curia Argentor. magistratus a quinque seculis primarii, in ecclesiis collegiatis Præpositi, in principum & dynastarum aulis vasalli longa serie compareant. Circa finem sec. XV. Mauritius de Kageneck in pugna Dornacensi an. 1499. vexillum Argentoratense gestans contra Helvetios, Nigram Silvam quoque infestantes, fortiter

a) T. II. p. 707. &c.

SECULUM XVIII.

fortiter occubuit. Duarum is linearum parens evasit, antiquæ Alsaticæ Brisgoica accedente, cui nuper comitis axioma accessit, quo laudatus Io. Fridericus auctus a Iosepho II. Imp. fuit, parens Henrici regiminis Anter. Austr. consiliarii & Friderici ex consiliario Imperiali aulico cæsareus legatus apud Suecicam, Danicam, Anglicanam & nunc Hispanicam aulam. Illustris familia hæc passim etiam occurrit in Falckensteinii antiquitatibus Nordgaviensibus. Wessenbergica item, quam sæpe a nobis Nigræ Silvæ incolam memoratam Schœpflinus etiam inter Alsaticas a) celebrat, ministerialem præprimis comitum de Pfirt cognominem B. de Pfirt, quæ hodieque dominium in Nigram Silvam protendit; præ cæteris vero illustris familia de Schœnau, castro in media Alsatia sito ad Rhenum. *Gens inde appellata*, sunt sæpe laudati Schœpflini verba, *possessiones ultra Rhenum in Ortenavia & Brisgoia acquisivit*, hodie in quatuor lineas dispertita sex ramos in Nigram Silvam extensos, cognomine ducto a Zell, Schwerstæt, Oeschen, & Wehr, quo nomine antiqua nobilis familia iam sec. XII. fuit, ex qua Adelgotzo munus advocatiæ in monasterium S. Blasii ab episcopo Basileensi exercendum fuit commissum. An. 1272. castrum Wehr in bello Heinricum inter episc. Basileensem & Rudolphum comitem de Habsburg, sequenti anno sub ipsa obsidione urbis Basileensis in regem Romanorum electum, captum ac dirutum, iam an. 1365. Rudolphus Hürus de Schœnau ab Ottone Marchione de Hachberg redemtum, an. 1415. Albertus de Schœnau ac deinceps alii eiusdem nobilis familiæ in pignus primum, postea in feudum acceperunt, hodieque & Francisci Antonii consiliarii cameræ Austr. Anter. & silvarum præfecti in Waldshut filius, connubio iunctus filiæ Ios. Sebastiani de Zweyern, Marquardi Magni filii, in Alpsen, antiquissimo, (de quo iam in historia Nigræ Silvæ sec. IX.) Alpegoviæ vico dynastæ, qui hodie superstes est, regiminis anterioris Austriæ consiliarius, & satrapa antea in Rothenburg comitatus Hohenbergici, nunc Nellenburgici in Stockach. Est hæc nobilis ex Helvetia oriunda familia de qua T. I. perinde ac Baronum de Roll, quæ familia iam ab ineunte seculo præterito cum castro Bernau, suas ditiones partim in comitatu Badensi Argoviæ partim in Frickovia ad Rhenum e regione Nigræ Silvæ atque in Nigræ Silvæ pago Alpegoviæ bona tenet, Leopoldo Iosepho an. 1757. succedente patri Carolo Hartmanno regiminis Anter. Austr. consiliario.

a) T. II. p. 696.

Unus quem sciam superest tot Falckenstainiorum quaquaversum per Nigram Silvam familiarum surculus Antonius de Falckenstein, filiæ unicæ hæredis Hanibalis comitis de Schauenburg, quem supra memoravimus

vimus ordinis equestris in Brisgoia præsidem, maritus, Ruperti, qui an. 1741. conventui statuum adfuit, filius, ex illis haud dubie civibus Friburgensibus, ad quos castrum Falckenstain, altam super rupem, supra vallem dictam Falckenstaig olim exstructum, cum vicinis terris pertinuit, quas ditiones post nobiles Snewlin de Landeck nunc tenent familiæ equestres de Sickingen, Pfurt, Wittenbach & Neuen, postquam superiore seculo Carolus B. de Neuen iam Ortenaviæ satrapa ex connubio quædam familiæ Pheretanæ bona ibi terrarum fuerat adeptus.

Post illustrem Schwarzenbergicam familiam, ad quam castrum Weyger attinebat cum villa Bucholz, bona hæc variis modis inter diversas nobiles familias successu temporis fuerunt partita. Equestrem villam Bucholz tandem Iac. Christoph. Helbling de Hirzfeld, parochus in Friburg, ibidemque SS. Th. Professor, ac consiliarius Cæs. accepit in feudum, ac post mortem eius sororius Franciscus Ant. Beyer, consul Friburgi & consiliarius Cæs. perinde ac Ios. Antonius eius filius. Parens memorati I. Ch. Helbling, Io. Casparus Helbling de Hirzfeld, medicinæ Friburgi per triginta annos Professor, stipes etiam fuit per Elisabetham Car. Ignatii de Pflumern, patricii Biberac. nobilis familiæ de Kleinbroth, Io. Leonardo a Leopoldo Imp. ordini equestri adscripto, cuius nepos Ios. Eusebius de Kleinbrodt in Winterbach sæpe memorato conventui statuum Brisgoicorum an. 1741. adfuit.

Intererat quoque huic conventui I. Fr. Sebastianus B. de Beroldingen, illustri ab ineunte sec. XII. in Helvetia familia. Ex ea bello imprimis sese clarum in Italia & Alemannia præstitit Andreas sec. XV. vergente & ineunte XVI. quo eius filius Iosue etiam in Nigra Silva nostra an. 1529. Waldishuti in conciliando fœdere catholicorum statuum cum Ferdinando I. Imp. cuius ex Peregrino filio nepos a Ferdinando II. an. 1631. liberæ Germaniæ nobilitati Baronum est adscriptus; eius filius porro Wolfgangus an. 1652. ordini equestri Brisgoiæ consociatus: quæ ipsa prosapia ineunte hoc sec. XVIII. primum illustribus in Suevia equitibus Cantonis ad Nicrum, Nigram Silvam & Ortenaviam, deinceps etiam in Hegau, Algau & ad Lacum Bodamicum adnumerata, ubi a. 1743. Ios. Antonius, Caspari Conradi principis Abbatis in Murbach ex fratre nepos, director electus fuit. Ex illustri familia, ordini equestri ad Nicrum in Nigra Silva adscripta Baronum ab Aw seu Ow (ex qua sec. XVI. XVII. & XVIII. hoc, ut mox videbimus, supremi capitanei ordinis fuerunt) Christophorus, Marchionis Hachbergensis Satrapa, a. 1577. supra memoratum equestrem Brisgoiæ in Nigra Silva septentrionali vicum Bucholz a Ferdinando archiduce

SECULUM XVIII.

emit. Eidem ordini equeſtri Nigra-Silvano illuſtris familia de Brandenſtein adſcripta eſt, ad quam pertinent regiminis Anter. Auſtr. conſiliarii Marquardus, hodieque Thaddæus nuptus Thaddæi de Veteri Summerau præſidis regim. Anter. Auſtr. filiæ adoptivæ, cuius frater conſiliarius eiuſdem regiminis ac iudicii etiam provincialis, nunc primum Viennam ab Imperatore evocatus, renunciatus eſt conſiliarius Aulicus; illuſtriſſimus vero comes de Biſſingen, dynaſta in Schramberg, Satrapa in Rottenburg comitatus Hohenbergici. Notatur illuſtris hæc familia in recenſu equeſtris huius ordinis Nigra-Silvani ab an. 1488. uſque 1785. quem hic ſubnectimus a) ordine alphabetico, mecum communicatum ab

a) Von Alba genannt Sulzbach. v. St. Andre. v. Angeloch. v. Anweil. v. Appelbronn. v. Arzt. Graf v. Atems. v. Brandek. Bombaſt v. Hohenheimb. v. Bühl. Böcklin v. Ultinger Thal. Brekalöw. Bech zu Pfullingen. v. Berg genannt Meiſter. v. Bechmſtein. v. Biſswang. Brandenburger zu Rieth. v. Braitenbach. v. Bubenhofen. Branz. v. Bernerdin. v. Biſſingen. v. Beroldingen. v. Barille. v. Berga. v. Bubinghauſen. v. Cloſſen. Graf v. Candel. Canofzky v. Langendorf. v. Corray zu den Säbeln. v. Clengel. v. Degenaw. v. Dettingen. v. Dmalſtein. v. Drauſchwiz. v. Dürrmenz. v. Ehingen. v. Emershoffen. v. Eyſenberg. v. Enzberg. v. Eyb auf Rumlingen und Hohenwarth. v. Eck. v. Fürſt. v. Fridingen. v. Franenberg. v. Frankenſtein. v. Fraukenberg. v. Freyberg. Fauler v. Randekh. Fezer v. Ockenhauſen. v. Forſtner. v. Franck. v. Gültlingen. v. Ghthoffen. v. Glenzen v. Graffeneckh. Gut v. Sulz. v. Gemmingen. Grempp v. Frewdenſtein. Geiſt v. Wildeckh. Grämblich v. Iungingen. v. Gaysberg. Gienger v. Grünbühl. v. Grünthal. v. Halfingen. Herter v. Gärtringen. v. Hellſtein. v. Habſperg. Herter v. Herteneckh. Holzing zu Heringsberg. Hagermann. Humpis v. Waldrams. v. Helmſtätt. v. Hartungshauſſen. Hollermann v. Holderſtein. Honeck v. Hornberg. v. Hohenfeld. v. Holz. Hipp v. Römigheim. v. Hönſtett. Heybel v. Tieffenau. v Hartig. v. Hoff. v. Herling. Itelſchelm v. Bergen. v. Ilingen genannt Yſſingen. Iſſinger zu Graneckh. Ianowiz. Iäger v. Gärtringen. Im Hoff. v. Kaltenthal. Kappenler. v. Karpffen. Klim. v. Kindtſpach. v. Kechler. Keller v. Schleitheimb. v. Kniestedt. v. Klingenberg. v. Liechtenſtein. v. Lynſtetten Lämble zu Bünigheimb. v. Landenberg, und zwar die von hohen Landenberg, und die von der breiten Landenberg. Landſchaden. Leutrumb v. Ertingen. v. Lutterdach. Lieſch zu Hornaw. Lehr v. Lehrenſtatt. v. Landſee. v. Lüzelburg. Megenzer v. Fehldorf. Meyer v. Droſſingen. Mangmeiſter. v. Münchingen. Minſsinger v. Freundeckh. Merz v Staffelfeld. Moſsbach v. Freudenthal. Möck v. Balgheim. v. Neuneck. v. Nippenburg. v. Nuffra. Nix genannt Enzberger. v. Neuhauſſen. v. Neippenberg zu Freudenthal. Notthafft v. Hohenberg. v. Odyk. v. Oſtheim. v. Ow. Pfuſer v. Nordſtetten. Plez v. Rottenſtein. v. Pürkh. Remp v. Pfullingen. v. Rüxingen. v. Roſenfeld. v. Reiſchach. v. Ramſtein. v. Reckenbach. v. Remchingen. v. Rietberg. v. Roſenberg. Rauh v. Winenden. v. Rieppur. Riſs v. Sulzbach. v. Rammingen. v. Rottenhahn. v. Roſt. v. Raſsler. v. Sachſenheimb. Schenk v. Winterſtetten. von Stein. v. Suntheimb. v. Sindlingen. v. Sumhingen. Schwelcher zu Oberbohingen. Schüz v. Eytinger Thal. Schöner zu Schwan. v. Stozingen. v. Stamheim. Scheer zu Schwarzenberg. Stehelin v. Sockburg zu Beyren. Spett v. Sulzburg. v. Steinhoffen. Spengler v. Nekkerburg. v. Schwarzach. Spiegel v. Girgendorf. v. Sachſendorf. Sigelmann v. Delſperg. Schiffer v. Freylingen zu Dachsberg. v. Starſchedel. v. Stockheimb. Sprether v. Kreidenſtein. v. Spaner. Sehertel v. Burtenbach. v. Stuben. Streit v. Immendingen. v. Syrgenſtein. v. Schönfeld. v. Sperberseck. Specht v. Bubenheim. Schleicher v. Stötten. Schilling v. Cantſtadt. v. Staufenberg. v. Sternenfels. Truchſeſs v. Höffingen. Truchſeſs v. Waldekh. v. Thierberg. v. Thalheimb. Thumb v. Neuburg. v. Themar. v. Türckh. v. Tübingen. Teufel v. Birkenſee. v. Teſſin. v. Vhrbach. Volln. v. Wildenaw. v. Venningen. v. Ulm. Volland v. Vollandseck. v. Wähingen. v. Wyttingen. v. Winterbach. v. Wernau. v. Wallſtein. Widmann v. Müringen. v. Weſterſtetten. Wendler v. Pregenroth. Wo-

bedezgi.

Ill. D. Eberhardo B. de Kniestedt, Ser. Ducis Wirtembergici consiliario intimo, ac cameræ præside, qui in præsentiarum ordinis supremus capitaneus est: quorum primum Georgium ab Ehingen an. 1488. constitutum supra (p. 230.) memoravimus, eique proximus in catalogo mecum communicato substituitur ad an. 1532. Ioannes ab Ehingen. Sequitur an. 1535. Comes de Zollern, Satrapa in Rottenburg, an. 1562. Gallus Schüz de Valle Eitingana, an. 1568. Georgius ab Ow, an. 1591. Georgius ab Ehingen, an. 1596. Ioannes de Neuneck senior, an. 1606. Ioan. Conradus Dapifer, Truchsess ab Höfingen, an. 1609. Albrecht Tumb de Neuburg, an. 1614. Conradus de Werdnau, an. 1620. Philippus Christophorus de Münchingen, an. 1631. Io. Henricus de Stockheim, an. 1645. Georgius Stephanus de Closen, an. 1650. Io. Fridericus ab Ow, an. 1670. Io. Eberhardus de Stockheim, an. 1676. Eitel Fridericus de Gemmingen, an. 1682. Iac. Fridericus de Buwinckhausen, an. 1686. Io. Georgius de Werdnau, an. 1696. Georg Fridericus de Schertel zu Mauren, an. 1703. Adam Heinricus Keller de Schleitheim, an. 1732. Ernestus Ludovicus de Leutrum, an. 1734. Ios. Clemens ab Ow, an. 1746. Ernestus Fridericus de Leutrum, an. 1760. Io. Dietricus de Gemmingen, an. 1778. Eberhardus de Kniestedt iam memoratus: cui in rebus ordinis moderandis adiuncti sunt delecti equites Philippus Christoph. B. de Leutrum Ser. Marchionis de Baden consiliarius int. Ludovicus Georgius B. de Freiberg Ser. principis Schwarzenbergici consil. int. ac vices-gerens apud Cæsar. iudicium aulicum Rottwilense: Io. Iosephus B. Rassler de Gammerschwang. In districtu autem Ortenaviensi directorium gerit Franc. Ludovicus B. Waldner de Freundstein, eques S. Ioannis, commendator in Wietesheim: delecti vero consiliarii Io. Andreas Franc. Egon de Gail, S. R. I. P. & episcopi Argentoratensis nobilis consiliarius, Christ. Ludovicus B. de Wurmser de Wentenheim, Franc. Carolus B. Bock de Bläsheim, Io. Conradus B. de Schauenburg; quibus adiuncti sunt Leopoldus B. de Neuenstein in Rhodeck, Christ. Samson B. de Rathsamhausen in Ehenweyer. — SECULUM XVIII.

XX. Status hierarchicus Nigræ Silvæ, si unquam alias, seculo hoc XVIII. inde ab eius exordio singulariter enituit, metropoliticam sedem tenente Lothario Francisco de Schönborn: qua ex illustri familia tunc Imperium Romano-Germanicum insigne decus ac fulcrum habuit Fridericum Carolum S. R. I. vice-cancellarium, quem Lotharius ex fratre — Sedes metropolitica Moguntina.

bedezgi. Wizleben zu Freudenthal. v. Willung. v. Westernach. v. Wallbronn. v. Wiederhold. v. Wellenstein. v. Zillenhart. zu Oettlingen. Zorn. Zott v. Pernegk. v. Zweifel.

SECULUM XVIII.

nepotem sibi an. 1708. coadiutorem in episcopatu Bambergensi accivit. De Hugone Damiano de Schönborn Nigræ Silvæ nostræ præcipuo hierarcha, qui an. 1715. factus cardinalis S. R. E. anno mox sequenti coadiutor episcopatus Spirensis, postea etiam Constantiensis, utramque sedem egregie ornavit, paulo post suo loco dicemus.

Lotharius elector Moguntinus an. 1701. celebri associationis conventui circulorum electoralis Rhenani, Francici, Bavarici, Suevici, a) & superioris Rheni in gravissimo tunc successionis Hispanicæ negotio præfuit, eodemque anno iura Imperii regalia ad thronum Leopoldi I. b) Imp. solemni ritu accepit in feudum, data iurata fide, quam strenue deinceps præstitit Imperatori contra Burbonicam Galliæ domum c), quæ monarchia Hispanica aucta, visa est ad universalem Europæ monarchiam aspirare.

a) *Vid. Theat. Europ. P. XVI. p. 28. &c.*
b) *Ib. p. 58.*
c) *Ib. p. 703.*

Idem an. 1707. quo receptis regalibus fidei sacramentum Iosepho I. Imp. præstitit, in fidem religionis catholicæ recepit Elisabetham Christinam Brunswico-Luneburgensem, Caroli tunc III. dicti Hispaniæ regis, postea sexti Rom. Imperatoris sponsam, Bambergæ inter solemnia missarum, post symbolum edita fidei professione (cuius formula legitur in Theatro Europ. d) in manus electoris celebrantis, atque ex eius manu recepta sacra Eucharistiæ communione ad finem missæ. Ipsum Carolum an. 1711. post mortem Iosephi fratris in conventu Ratisbonensi die 12. Octobr. designatum cæsarem, die 22. Dec. inunxit.

d) *XVIII. p. 129. &c.*

An. 1720. Io. Phil. Franciscum ex fratre nepotem consecravit episcopum Herbipolensem in cathedrali ecclesia, defunctus an. 1729. postquam iam an. 1710. coadiutorem accepisset Franc. Ludovicum comitem Palatinum Rheni de Neuburg, fratrem principis Electoris Palatini & Eleonoræ Magdal. Augustæ, uxoris Leopoldi I. imperatoris. Fr. Ludovico an. 1732. (quo ineunte in gratiam successionis Austriacæ sanctionem pragmaticam in comitiis Imperii stabilierat) defuncto, Philippus Carolus de Elz, huicque an. 1743. Io. Frider. Carolus ex comitibus de Ostein successit, qui Francisco I. imp. coronam Imperii an. 1745. imposuit.

Francisco imp. Francoforti præsente Io. Friderici successor Emericus Iosephus de Breidbach Iosephum, Francisci & M. Theresiæ filium, in Romanorum regem electum coronavit an. 1764. Emericus in Electorem Moguntinum an. 1763. electus, statim gravissimo correptus morbo, iam tunc moriturus videbatur, superstes tamen usque ad an. 1774. Frider. Car. Iosephum de Erthal successorem habuit eodem adhuc anno, quo

eidem

eidem in gratam memoriam familiaris & suavissimi affectus, quem mihi proximis annis Viennæ apud aulam cæsaream legatus persæpe indulsit, dedicare licuit libros *de cantu & musica sacra a prima ecclesiæ ætate usque ad præsens tempus*, haud extremum curæ suæ pastoralis momentum, depravato tantopere musicæ ecclesiasticæ statu in sacerrimis ecclesiæ catholicæ adytis.

Proxime elapsis annis ausu temerario Io. Laurentius Isenbiel, redux ex academia Göttingensi, in Moguntina academia linguæ Græcæ professor lacessere aggressus est vaticinium Isaiæ VII. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*, quod ipse evangelista Math. I. 22. 23. in Christo adimpletum asseruit, traditione Patrum conspirante, regula in catholico orbe inconcussa ad legitimam S. Scripturæ interpretationem, etiam in concilio Tridentino firmata sec. XVI. quo demum ex cœtu protestantium fuerunt, qui novam interpretationem commenti sunt de puella, quæ tempore regis Achaz pepererit Emanuelem communi fœminarum more; ut tamen concederent, sensu quodam sublimiori Christum portendi. Quos nonnulli ex catholicis secuti, in verbis Isaiæ typum tamen virginis deiparæ agnoverunt; ab hoc ipso vero etiam aberrans Isenbiel, alienam a communi in catholica ecclesia S. Scripturæ interpretandi regula mentem ipso libelli, quem edidit, titulo manifestavit, sermone vernaculo inscripti: *Neuer Versuch vom Emanuel*, passim ab academiis Germaniæ, a Sorbona in Gallia, atque plerisque episcopis etiam Nigræ Silvæ hierarchis, ipsaque Romana sede damnatus, ab Ordinario vero suo archiepiscopo Moguntino refragarius custodiæ addictus, restitutus dein, dum an. 1779. palinodiam cecinit, canonicus iam Amœnoburgi. Certatim etiam in novum Isenbielii commentum calamum strinxere theologi catholici, inter primos autem, qui nunc nos propius attinent, Hermannus Goldenhagius Moguntinus in Diario religionis, & in dissert. inaugurali Friburgi Brisg. Fr. Christophorus Zwergerus, episcopi Constantiensis consiliarius ecclesiasticus; ubi tamen in consilio ecclesiastico Constantiæ supersedendum fuerat iudicatum a damnatione libri in nostris plagis vix noti, ne prohibendo curiosorum, ut fieri solet, hominum orexis moveretur.

XXI. Qui nunc diœcesi Constantiensi præest Maximilianus Christoph. eiusdem est illustris familiæ de Rodt, quæ sedem hanc seu paterno seu materno stemmate maxima huius seculi parte tenuit, inde ab anno 1689. quo electum libro superiori meminimus Marquardum Rudolphum a Rodt, qui defunctus an. 1704. successorem nactus est Ioan. Franc. Schenck Constantiensis.

SECULUM XVIII.

de Staufenberg, sub quo sanguinolentæ illæ in vicina Helvetia inter catholicos & protestantes cantones lites & contentiones efferbuerunt (quarum iam supra fecimus mentionem) ditionibus episcopi Constantiensis in Helvetia funestæ, frustra se tunc primoribus etiam Imperii Germanici interponentibus, collegio quoque Electorali Francoforti an. 1711. pro electione cæsaris congregato, datis litteris, quæ in theatro Europæo a) leguntur, uti & alia deinceps, quæ in eadem causa in comitiis Ratisbonensibus sunt tractata an. 1712. quo tandem pax Helvetica conclusa tranquillitatem saltem publicam restituit, qua fruitus Ioannes Franciscus ad annum usque 1740. episcopatum sex supra triginta annos laudatissime tenuit, e regione Nigræ Silvæ nostræ in festo SS. Trinitatis, cum secundis nuptiis adesset serenissimi principis Frobenii de Furstenberg Möskyrch & M. Thereliæ de Sulz, post lectum magna devotione sacrum, apoplexia tactus, subitoque mortuus.

a) P. XIX. p. 779.

Ab an. 1714. coadiutor episcopatus Augustani Ioannes Franciscus, ipse coadiutori Hugoni Damiano de Schönborn S. R. E. cardinali & episcopo Spirensi morte sua an. 1740. sedem cessit, hic vero an. 1743. Casimiro Antonio de Sickingen.

Casimiro ex sorore nepos Fr. Conradus de Rodt an. 1750. in locum avunculi unanimi eligentium calculo fuit suffectus, an. 1756. in S. R. E. cardinalium collegium assumtus tit. S. Mariæ de populo, quæ ecclesia PP. eremitarum Augustinianorum Romæ ad portam sita est, qua Germani intrant. Auctus præterea variis dignitatibus, ab omni tamen fastu alienus testamento etiam cavit, ne funus inutili pompa deferretur, concionatorem funebrem obtestatus, ne, ut fieri plerumque solet, *mutuatis, quæsitis, vanis & emendicatis laudibus inutiliter deprædicet defunctum; sed potius auditores de mortis certitudine energice admoneat, de vanitate, caducitate bonorum huius mundi pathetice edoceat, & hortetur serio, ut cum Dominus venerit, & pulsaverit ianuam, inveniat vigilantes: fructus ex eiusmodi concione emergens maius animæ meæ solamen afferet, quam si vanis laudum enarrationibus auditorum patientia fatigaretur.* Morti, ad quam iugi sese præparaverat, obarmaveratque meditatione, succumbens an. 1775. germanum fratrem Maximilianum Christophorum, unicum ac ultimum illustris familiæ Rodtianæ surculum, ex asse hæredem & in episcopatu successorem dignissimum habet.

Sub hoc tandem an. 1780. fraus M. Monicæ Mutschlerin Duningæ ad Nigram Silvam ditionis Rottwilanæ fuit detecta, qua iam ab an. 1773. orbem

orbem etiam litteratum deluferat, quafi ab omni prorfus cibo, potuque cuiufque generis abftineret. Monitus tandem eft magiftratus Rottwilanus a Georg. Staravafnig medicinæ doctore & profeffore in academia Friburgenfi, ut denuo atque diligentius, quam antea factum fuerat, cuftodiretur, obfervareturque Monica. Ieiunium ea tenuit per 72. horas; tum inediæ longioris impatiens lac coagulatum fumfit, exhaufitque fimul vitra duodecim aquæ plena.

Impium quam maxime fuit, quod SS. euchariftia fola, qua identidem reficiebatur, nutriri fe præfeferret, fimulans, cibos reliquos evomere, folam euchariftiam retinere. Animadverfum item fuit a medicis, falfo eam dictitaffe, vegetiorem fe effici, roborari ac vires recuperare validiores, quotiefcumque divino pabulo refecta effet. Nec quifquam peritorum medicorum rem miraculo detulit, nec etiam fagaces theologi, quibus Benedicti XIV. regulæ in hanc rem perfpectæ funt, expofitæ lib. IV. *De fervorum Dei beatificatione & beatificatorum canonizatione* P. I. ubi etiam differtatio acad. Inftit. Bononienfis de longis ieiuniis adiecta legitur. Sic item cum nuper de beatificatione B. Elifabethæ Reuthenfis, vulgo bonæ dictæ, ageretur me præfente, quod de folo cultu ab immemorabili tempore res effet, nihil actum eft de eius per quatuordecim annos inedia, prout in eius lapide fepulcrali legebatur, eam non indiguiffe illis annis nec cibo, nec potu, nec fomno; quam rem etiam venerabilis Kygelius abbas canon. regul. in Waldfee, Elifabethæ confeffarius in eius vita atteftatur.

De B. Nicolao de Flue Helveto cantonis Subfilvaniæ eiufdem feculi XV. teftatur Trithemius in chro. Hirfaug. ad an. 1480. fe multorum verifica relatione cognoviffe, annis viginti beatum virum nihil omnino manducaffe, præter morfellos tres panis, quos, epifcopo Conftantienfis ecclefiæ fub virtute fanctæ obedientiæ mandante, cum difficultate maxima, ne videretur inobediens, vix potuit deglutire. Taceo alia diuturnioris inediæ exempla, quæ idem Trithemius ad an. 1551. narrat, imprimis de virgine Auguftana.

Qua in diœcefi nuper defuncta eft Anna Maria Zettlerin, quam decem annis ab omni cibo & potu abftinuiffe narrat Io. Georg. Höfsle medicinæ doctor & profeffor Auguftæ, epifcopique Auguft. confiliarius aulicus, & quomodo id naturali modo acciderit, declarat fingulari libello an. 1780. edito. Add. Recueil de pieces pour fervir de fupplement a l'hiftoire de pratiques fuperftitieufes par le P. Pierre le Brun T. IV. ubi

SECULUM XVIII.

ubi etiam citatur Schurigii chylologia historico-medica, in qua innumera propemodum eiusmodi exempla memorantur, qualia etiam habet Delrio Disquisit. magic. lib. II.

Spirensis.

XXII. Redimus velut e diverticulo ad hierarchiam hierarchasque Nigræ Silvæ, ex quibus iam meminimus Hugonis Damiani de Schönborn cardinalis propter potiorem veluti principalitatem, ut phrasi S. Irenæi utar, quam hoc seculo tenuit in Nigra Silva Constantiensis simul & Spirensis episcopus, utrobique scilicet prius coadiutor, & quidem Spiræ adlectus iam an. 1716. ab Henrico Hartardo de Rolling, qui an. 1711. Io. Hugoni de Orsbeeck suffectus fuit contra votum aulæ cæsareæ, quæ Franciscum Lotharingum tunc episcopum Spirensem fieri exoptaverat, qui videretur maiori sese auctoritate interpositurus controversiis religionis causa ferventibus Spiræ, ubi ineunte hoc seculo decimo octavo Calvinistis etiam cum Lutheranis locus fuit datus, spe forte recuperandi iudicii cameræ, quod fuerat Wezlariam translatum, in visitatione autem cameræ an. 1709. de eo Wezlaria iterum amovendo actum fuerat, sed frustra, firmata etiam residentia episcopali Bruchsaliæ, ubi seminarium episcopale constitutum fuit, remque omnem solertissime provexit sæpe laudatus cardinalis de Schönborn, successorem etiam purpura an. 1761. ornatum nactus Fr. Christophorum de Hutten.

Huic an. 1770. mortuo suffectus est Aug. Phil. Carolus comes de Limburg-Styrum, sub quo modica quædam scintilla in flammam erumpere videri poterat Badenæ in marchionatu eius nominis in Nigram Silvam nostram excurrente. An. 1780. nempe theses e philosophia practica publicæ disputationi exposuit Martinus Wierlin diœcesis Spirensis presbyter, quæ ab episcopo Spirensi ad trutinam revocatæ, & atro carbone notatæ subsellia etiam theologica exercuerunt, atque in partes distraxerunt, Argentoratensi & Heidelbergensi facultate theologica, ab episcopo Spirensi consulta puritati doctrinæ evangelicæ adversa decernente, quæ de amore proprio actionum humanarum principio, atque contemtu rerum temporalium contemnendo thesi potissimum prima & quarta statuebantur, secus ac visum Salisburgensibus, Viennensibus, Pragensibus, Fuldensibus, & Friburgensibus philosophis ac theologis consultis a Marchione Badensi, cuius a sacris quidem catholicis alieni moderationem erga catholicos in tota hac causa egregie dilaudant theologi Salisburgenses; de viris vero clarissimis theologis catholicis secum diffidentibus bene sperant, & pro eximia illorum sapientia, ipsoque tanto religionis catholicæ studio plane confidunt, fore, *ut gnari, quod humanum sit errare, at in omnium sapientum oculis gloriosum, errorem agnitum retractare, summi*

pastoris

paſtoris Romani pontificis, amicam huius controverſiæ compoſitionem dudum optantis, atque urgentis vocem audiant, nec cenſuræ, hactenus communiter, quod ſcimus, a doctis improbatæ, intempeſtiva propugnatione catholicorum ſubditorum erga ſereniſſimum Marchionem, cuius optime de illis meriti gratia nunc maxime indigent, diffidentiam augeant, vel principis indulgentiſſimi patientiam fatigent; illud etiam caventes, ne hac doctrina iam in pluribus catholicis ditionibus recepta, & publice approbata, altioris forſitan poteſtatis diſplicentiam, & quæ inde conſequi poſſunt, debeant experiri.

XXIII. Quivis intelligit, quid hæc ſibi velint, quove collineent, pertineantque, litus noſtrum ciſrhenanum ſpectando, dum utrumque levis de ſe, niſi non æqua pervertatur mente, & de nomine lis, commovit, atque inter ſe commiſit, nec adhucdum deferbuit Friburgenſes inter & Argentoratenſes theologos, qui iam extra teli iactum pro lubitu agunt. Fruſtra ſtatus Imperii Germanici finiente ſeculo præterito, & ineunte hoc currente allaborarunt pro reſtituenda ſibi hac urbe, quæ ſemper clavis ac porta Imperii fuerat exiſtimata. Fruſtra ſibi ſtatus Imperii proteſtantes in fœderatis Anglis præſidium habere exiſtimarunt religionis cauſa, quæ ſub dominio Gallico in melius fuerat converſa, ſacraque catholica revocata & aucta, novis excitatis eccleſiis, collegiis clericorum inſtauratis, ac reſtitutis religioſis domibus, ipſaque cathedrali eccleſia iam Franciſco Egoni de Furſtenberg. Guilielmo Egoni fratris in epiſcopatu ſucceſſori an. 1701. Armandus Gaſto Rohanius de Soubiſe coadiutor eſt datus, qui an. 1704. anteceſſori ſuo parentavit. Nihil hic non egit, ut iura ſibi ſingula ac res imperii Romani vindicaret, quæ cardinali Furſtenbergico art. 44. pacis Riſwiccenſis fuerant condicta bona feudalia, allodialia, beneficia, honores & prærogativæ, quæ competunt principibus ac membris S. R. I. Tum vero iterum in tractatu Badenſis pacis art. 12. S. C. Maieſtas & Imperium promiſerunt, *omnes conditiones* & clauſulas pacis Riſwicenſis, quæ ad iſtas reſtitutiones ex eadem pace faciendas, nominatim ad dominum cardinalem Rohan, ratione epiſcopatus Argentinenſis ſpectant, impletum iri.

Argentoratenſis.

Eſt hic ipſe magnus ille Armandus de Rohan, qui a Clemente XI. an. 1712. a) proclamatus cardinalis, trium pontificum electioni annis ſcilicet 1721. 1724. 1730. Romæ adfuit, ac interim in ſua cathedrali baſilica Ludovicum XV. cum principe Maria Leſzinska, filia Stanislai I. Poloniæ regis, die 15. Auguſti an. 1725. matrimonio rite coniunxit: quam in rem, quæ verba fecit, digna prorſus cenſentur auctoribus Gall.

a) Gall. chriſt. T. V. p. 822.

SECULUM XVIII.

Gall. christ. quæ legantur in historia Alsatiæ pag. 360. 361. Legi etiam meretur epistolium, quod idem rex, dum an. 1744. Friburgum Brisgoiæ obsessurus Argentorati diverteret, ad principem Rohanium scripserat, apud Grandidier (*Essai sur les Cathedrale de Strasbourg p.* 181.) qui mox mortem Card. Armandi Gastonii de Rohan ep. Argent. celebrat ad an. 1749. Armandi Augusti vero eius successoris, nati an. 1717. præmaturum obitum ad an. 1756. Augusto natu longe maior suffectus est Ludovicus Constant. princeps de Rohan-Guimene, cui mox an. 1759. datus est coadiutor Ludovicus Renard. Eduard. eiusdem principalis familiæ, in qua perinde cardinalitia dignitas ac episcopatus Argentoratensis perennat, quem nepoti coadiutori præteritis annis legato extraordinario Galliarum regis apud aulam cæsaream an. 1779. defunctus reliquit, postquam insigne auspicium fieri curasset historiæ episcopatus Argentoratensis, edendæ opera & studio sæpe laudati D. Grandidier, qui duo iam in lucem protulit volumina, non unius eiusdemque quidem meriti, exæquandi tamen solertia clarissimi auctoris in prosecutione operis, quod avidissime exspectatur absolvendum ab eo, qui illud tam egregie iuvenili adhuc cœpit ætate.

Causa Febroniana.

XXIV. Dum primum an. 1763. in lucem prodit *Iustini Febronii Icti de statu ecclesiæ & legitima potestate Romani pontificis liber singularis, ad reuniendos dissidentes in religione christiana compositus*; dumque ineunte mox anno sequenti Clemens XIII. datis ad omnes archiepiscopos & episcopos Germaniæ encyclicis gravissimis nihil non ad depressionem subpressionemque operis ageret, inter primos fuere hierarchæ Nigræ Silvæ nostræ, qui, præeunte archiepiscopo Moguntino, votis pontificis obsecundarent, quidam etiam, vix fama percepta proditi operis. Videri poterat Argentorati, quæ urbs est ditionis Gallicæ, ubi multis theologorum saltem arrisit liber hic singularis, ad palatum in plerisque plerorumque doctorum Gallicanorum compositus, patronos nacturum Febronium, dum contra ibi acerbum admodum adversarium Franc. Georgium Dietterich Iur. can. in catholica Argentoratensi academia doct. ac professorem publ. & ordin. accepit *Iustinus Febronius abbreviatus & emendatus*, quod est postremum inter tot, quæ ad libri sui singularis defensionem edidit opera Febronius. Neque vero omnes illos primatus pontificii, prout contendit canonista Argentoratensis prima inter dissertationes tres, negat Febronius effectus; etsi primatum pontificum ordinis potius & consociationis, quam iurisdictionis esse velit, non satis perspiciens, quid inde sequatur, dum cum catholicis doctoribus etiam ipse tenet, & admittit, pontificem esse centrum unitatis, seu ut

SS.

SS. PP. rem expresserunt, ad unitatem conservandam unum præcipuum esse constitutum; ut adeo minus consequenter in ea sententia putet Febronius, quod primatus possit a sede Romana avelli. SECULUM XVIII.

Neque tamen ideo inficiatur, primatum esse divinitus institutum, etsi arctioribus limitibus constringat, quam a medio circiter ævo identidem fuerat, præsertim per pseudo-decretales, ampliatus, priorum septem seculorum ecclesiæ revocaturus disciplinam, restituturusque auctoritatem episcoporum, quam identidem a Papa accisam clamat, qui sibi arrogaverit, quod collegio episcoporum competit.

Attamen huic quoque collegio iniquus est cum Ed. Richerio asserens, potestatem clavium universitati ecclesiæ a Christo datam fuisse, qui capitalis & plane ridiculus est error, probe attenta distinctione inter ecclesiam docentem & discentem, quam etiam protestantes admittunt, quibus sua doctrina propius accedere voluit.

Neque vero hic sibi constat, quippe quilibet catholicus non potest non agnoscere, statum ecclesiæ a statu politico ex sua institutione distinctum eumque inæqualem, atque etiam in suo regimine seu hierarchia independentem & infallibilem, ecclesia in concilio generali congregata: hancque infallibilitatem in Febronio abbreviato etiam ecclesiæ, dispersæ concessit, prius in dubium revocatam, utrimque impingens (ut aliis irenicis contigit) apud eos, quos conciliare constituit; scopo sibi proposito, Protestantes revocandi ad gremium ecclesiæ quos tamen perinde adversarios est nactus, quam Catholicos doctores, exceptis pseudo-politicis, qui cum catholici videri velint, systema ecclesiæ protestanticæ adoptant a mente Febronii alienum quidem, ut tamen plus quam pomœria catholica ferant, obviam processerit, bono fine, sed consilio, ut docuit eventus, inconsulto. *Existimabam sane*, ut ad me 28. Febr. an. 1779. perscripsit, *paci & unitati ecclesiæ omnia danda esse, quæ salva religione possent, atque sub his solum auspiciis Febronius per quindecim annos dimicaverat. Nunc cum aliis, maxime Superioribus, aliter visum sit, arma ille sua ad sacratos Pii VI. pedes non invitus proiecit.*

XXV. Palam hinc etiam fit, retractationem Febronii, ubique iam notam, non fuisse extortam invito, sed spontanee & ex animo esse factam. Paucis ante hebdomadis eodem mense & anno, quo mox citatam ad me epistolam dedit, encyclica ad clerum & populum archidiœceseos Trevirensis retractationem a se factam confirmat, editos a se libros, qui huc pertinent tomis quinque, damnat, eorumque lectionem inter- Retractatio.

Qqq 2 dictam

SECULUM XVIII.

dictam ipse denunciat, nec solum errorum suorum, sed etiam quomodo eo devenerit, confessionem publicam edit. *Novitatis*, inquit, *cupidine ad inficetas & sinistras quasdam assertiones statuendas, ac propugnandas descendimus. Romanæ sedis quasdam prærogativas & iura, quæ ei vel ab ecclesia legitime attributa, vel ex ipsa sacræ hierarchiæ indole atque institutione profluunt, publicisque sanctionibus firmata sunt, in controversiam reducere, minuere, & obterere, de nonnullis eius præsulibus etiam sanctitate conspicuis, parum reverenter loqui, alios indecenter probris proscindere, nec non quosdam usus curiæ, quos æquior animus facile excusaret, taxare præsumpsimus.* Anno sequenti 1780. secunda Aprilis sequens iterum publicum sinceræ revocationis, in dubium vocatæ, testimonium protulit: *Cum ex pluribus foliis publicis, quæ ad manus meas delata sunt, ac præsertim ex Florentinis hoc anno sub numero IX. impressis compererim, adniti quosdam, ut publice persuadeant, quod retractatio operis Febroniani, qualem I. Novemb. 1778. ad SS. D. Pium VI. transmisi, extorta fuerit ab invito, idcirco hic palam declaro, quod prædicta retractatio, quam mediante serenissimo Domino electore D. D. meo clementissimo feci, penitus sponte, ac libere a me facta fuerit, quodque statuerim, eandem in opere quodam, quod conscribere iam cœpi, quodque cum Dei gratia me absoluturum spero, per sacros canones, & ecclesiæ disciplinam ampliare, ac confirmare. I. N. ab Hontheim.* Indigitat hic commentarium in suam retractationem, cui ut maiori otio impendere se posset Hontheimius, vicarius in pontificalibus generalis suffraganeus Argentorati eius vices supplevit.

Interest, præcipua huius commentarii capita percurrere. Ubi illud imprimis animadvertendum, Hontheimium haud raro suis declarationibus sententias & momenta addere, quæ cum positionibus, quas iuxta retractationis formulam singillatim præmittit, non semper conveniunt. Cuius rei genuinam causam aperit in litteris ad me datis: *Forte*, inquit, *mitius de eius consilio* (librum suum singularem indigitat, quem sub nomine Febronii edidit, tantorum motuum causam) *iudicatum esset, si vel Roma penitius nosset, quæ in Germania & vicinis provinciis de religione aguntur, vel omnes in Germania sacri præsules ex delectu virorum eruditorum assumerentur.* Inter vicinas Germaniæ provincias Galliam imprimis innuit, cuius se placitis delectari, ubique, etiam in libro singulari, prodidit, idem expertus, quod & aliis apud nos accidit, qui opiniones Gallorum, quas vocant Ultromontanas, non satis concoquunt; dumque easdem nimium ad vivum resecant, eo delabuntur, a quo sibi sagax ac religiosa Gallia hierarchica christiana, quem clerum

Gallicanum

Gallicanum vocant, atque cum eo iam etiam Hontheimius ſtudioſe cavet in ſuo hoc commentario.

In eo cum ad poſitiones priores contra Richerianum ſyſtema eccleſiæ recte & ſolide explicaſſet, quomodo apoſtolis & eorum ſucceſſoribus poteſtas clavium (quæ claves ſymbola poteſtatis ordiniſque imperantium & parentium ſunt) fuerit data: uni quidem Petro & unitati ſimul, quatenus ille primatum tenet, ſeu Petro ſingulariter, ut in libro *de communione poteſtatis eccleſiaſticæ inter ſummos eccleſiæ paſtores pontificem & epiſcopos* expoſuimus, deinde etiam collegio apoſtolorum, non excluſo Petro, ita ut collegio apoſtolorum cum Petro, huicque ſingulariter claves datæ ſint, ſeu poteſtas illa gubernandi eccleſiam, eoſque qui ſunt de eccleſia in officio continendi, atque refragarios quoſcunque independenter ab omni alia poteſtate coercendi: quæ generalis poteſtas collegii apoſtolorum ſicuti tranſiit & conſervatur in collegio epiſcoporum, ita etiam ſingularis Petri tranſiit ad eius ſucceſſorem Romanum pontificem, tanquam ad centrum unitatis: quatenus ordo eccleſiaſticus in præpoſiti unitate conſiſtit, nec unitas ſine ſede Petri ſubſiſtit: unde nolle ſubeſſe Romano pontifici, ſchiſma eſt; reſque eccleſiæ tam in dogmate quam diſciplina ad pontificem pertinent, quod in ſuo commentario prioribus octo poſitionibus declarat Honthemius ſecundum varias doctorum, Gallorum etiam ſententias, ut iuxta mentem Gerſonis proviſorie ſaltem & interim pontificiis decretis in cauſis fidei & morum obſequium debeatur *ad non dogmatizandum contrarium.*

Tum poſitione nona abſolute, ſecus ac in libro ſingulari, ſtatuit, a Romana ſede ad aliam transferri primatum nequire: quam poſitionem allatis catholicorum diverſis ſententiis ſic declarat: *iudico ego, etſi forte in ſenſu abſoluto primatus alio transferri valeat, id tamen in ſenſu morali fieri nequaquam debere, proinde nec iuridice loquendo poſſe.* Quod vero interpretandum eſt ex mox præcedente poſitione octava, qua ſtatuit, *primatum perpetuum eſſe, atque tranſire iure divino in Romanos pontifices;* etſi forte, ut in ſchiſmate Avenionenſi accidit, Romani pontifices actu Romæ non ſubſiſterent.

Declarat proximis poſitionibus plenam poteſtatem paſcendi, regendi, gubernandi univerſalem eccleſiam Romano pontifici traditam iuxta concilium Florentinum: poſitione decima quarta abſolute ſtatuit, fieri non poſſe, ut a vera fide aberret corpus epiſcoporum, capiti ſuo Rom. pontifici adhærens, adductis exemplis hæreſis Pelagianæ & Lutheri: Bul-

SECULUM XVIII. lam etiam Unigenitus dogmaticum decretum totius ecclesiæ agnoscit, addens propter publicam tranquillitatem tantum non publicatam ubique gentium.

Tum vero positione decima octava universim statuit, quæ ad ecclesiæ statum pertinent, si quid dubitationis fuerit obortum, ad Romanum pontificem referendum esse, prout etiam relationes hæ Romano pont. in concilio Tridentino sunt firmatæ.

Postquam deinceps positione XIX. decretales RR. pontificum reverenter suscipiendas, & sancte custodiendas esse edixisset, positione sequenti summo pontifici iure divino adscribit ius indicendi, dirigendi & confirmandi universalia concilia, quæ in casibus tantum extraordinariis sine pontifice convocentur, a sede Romana semper ratihabita, & non obstante varia doctorum sententia, ratihabenda; quibus vero civilis potestas vim legis publicæ tribuat. Papa iuxta positionem XXV. habet potestatem dispensandi ex legitima causa in lege lata a conciliis generalibus, quæ raro, ac nostris temporibus vix omnino præsto sunt ipsa etiam concilia provincialia. Neque iam ex mente Honthemii potest confirmatio, translatio & depositio episcoporum provincialibus synodis restitui, nisi de libero summi pontificis consensu, cui ius illud assertum est, atque iam tum primis temporibus ii censebantur spurii adulterinique episcopi, quorum ordinationem R. P. respuebat, ut ætate nostra Ultraiectinorum, quæ declarantur positionibus XXVI. & XXVII.

Post positionem XXVIII. de canonizationibus SS. sequentibus positionibus agitur de appellationibus, collationibus & reservationibus, annatis, quæ in concordatis Germaniæ papæ in subsidium Romanæ curiæ, donec eius necessitatibus aliunde provisum sit, sunt assertæ.

De exemptionibus regularium deinceps tractatur, quæ a seculari potestate aut a synodo particulari abrogari nequeant, eorum autem abusibus per concilium Tridentinum occursum sit & provisum, episcoporum auctoritate in exemptos iure delegato in multis restituta; licet idem concilium in multis etiam posuerit limites potestati iurisdictionis episcopalis, prout asseritur positione XXVI. eam posse quoad usum per canones arctari, atque etiam rationabilibus causis a Papa restringi.

Postremum quæ ad ecclesiam aut principes in negotiis religionis pertineant, discernit, edicit vero positione XXVII. de iis, quæ ad fidem, sacra-

ſacramenta & diſciplinam pertinent, ſolam eccleſiam decernere, principi nihilominus ius competere inſpiciendi leges eccleſiaſticas, atque in accidentalibus religionis etiam cognoſcendi. Ultima demum poſitione curandum monet, ut pax & concordia inter ſacerdotium & imperium ſervetur, & offenſionum vitentur occaſiones. *Porro*, ſubdit p. 239. *poteſt eccleſiæ pax turbari excitatis contentionibus vel inter poteſtatem eccleſiaſticam & civilem, vel inter Romanum pontificem & epiſcopos. Quiſquis de horum iuribus tractans extrema amplectitur, pacem ægre conciliabit. Mihi propoſitum fuit in brevi hoc commentariolo, quem auctoribus ſummis in eccleſia poteſtatibus ſuſcepi, quemque illarum iudicio ſine retentione ſubmitto, id agere, ut cuique, quod ſuum eſt, tribuatur duce veritate & canone.* Duo demum adiicit epiphonemata, primum: *quæ plurimorum ſeculorum uſu atque ita tacito eccleſiæ conſenſu apoſtolicæ ſedi obvenerunt reſeruata accidentalia, ea illi citra contrarium univerſalis eccleſiæ conſenſum, ſive in concilio, ſive extra illud retrahi non poſſe.* Alterum: *Dum quæſtio oritur, an hoc illudve epiſcopale vel papale decretum ſive conſtitutum in ſua executione reipublicæ noceat, penes ſolum principem eſſe iudicium: quippe qui rerum publicarum utilitates vel damna ponderare habet. Cum vero ambæ poteſtates eccleſiaſtica & civilis ſupremæ, & a ſe invicem independentes ſint, extra iam memoratum caſum, orto inter utramque gravi dubio, controverſia ſeu iurium colliſione, ea, ut fit in ſtatu naturali, amica compoſitione tollenda erunt.*

Nullum unquam inſignius exemplum conſervandæ, redintegrandæque concordiæ ſacerdotium inter & imperium edidit Romana ſedes, quam ipſo, quo hoc ſcribo, tempore Pius VI. P. M. inſtituto huius rei cauſa Viennam ad aulam cæſaream itinere, menſe Martio an. 1782. digne a cæſare, Neoſtadium uſque occurrente ſuſceptus & habitus, a populo autem devotiſſime. Singulari Dei providentia factum eſt, ut, cum reges & principes, penes quos ſuprema eſt rerum temporalium poteſtas, multiplicarentur in orbe chriſtiano, Romana ſedes ab eorum eximeretur ſubiectione. Fundamentum ad eximiam Romani pontificis poteſtatem ſtatim poni viſum eſt, quando primus Conſtantinus M. imp. colla ſubiecit iugo Chriſti, non ficta illa donatione, ſed Cpolim translata ſede cæſarea, variis item immunitatibus, quas eccleſiæ conceſſit, hierarchiſque, auctoritatem etiam in iudiciis civilibus fecit. Utinam vero nunquam rebus fidei ſeſe, iudiciiſque eccleſiaſticis immiſcuiſſet, quod ei, & multo adhuc magis ſucceſſoribus tam male ceſſit Arianorum fautoribus contra fidem Nicænam, barbaris nationibus irruentibus undique,

Arianiſ-

SECULUM XVIII.

Arianisque regibus postea iusto Dei iudicio imperium Occidentale occupantibus; tum maxime vero deinde imperatoribus Orientis hæresum fautoribus & incentoribus piaculo fuit, ut, cum quæ Dei sunt sibi arrogassent, omitterent, quæ sunt cæsaris, Imperio succiso in Oriente per Persas primum, deinde per Mahumedanos, in Occidente vero per Longobardos: donec seculo VIII. Aistulpho & Desiderio Longobardorum regibus a Pipino & Carolo M. subactis, ecclesia Romano-catholica florem splendoremque insignem accepit.

Qua quidem sua actoritate apud nos ac potestate per mille iam annos gavisa est; attamen paralellismum quemdam millenarium, ut ita dicam, observare liceat, ut sicut post incunabula sua seu infantiam inde a quarto seculo exterior ecclesiæ ornatus, auctoritas & potestas ad virilem illam, quam indicavimus, ætatem excrevit, ita etiam a seculo decimo quarto iterum a Marsilio Patavino a) primum & Ioanne de Ianduno sub Ioanne XXII. proximo seculo XV. a Waldensibus, Wicleffitis & Hussitis deprimi iterum & lacessiri cœperit; sec. XVI. vero a protestantibus omnes machinæ ad statum omnem ecclesiæ prosternendum sunt adhibitæ hactenus: statum intelligo hierarchicum, seu hierarchiam in ecclesia catholica divina ordinatione institutam, ad quam subruendam miris sese torserunt modis, donec nostro tandem seculo ac ætate, fronte posita, episcopatum tamen principis Carpzovii, Grotii & sequacium erubescentes, principi qua principi ius omne circa sacra consignarunt, in ecclesia personas quasque æquales statuendo. *Si est inæqualis*, ait Boehmerus b), *imperium & obediendi gloriam supponere debemus, & ita favemus imprimis clero pontificio, hierarchiam quamdam fingenti, & suprematum præsuli Romano universalem adscribenti.*

a) *Vid. anonymi liber de finibus utriusque potestatis* c. 15.

b) *De iure paroch.* c. 2. §. 14.

Uti semper inde ab ecclesiæ origine, quoties ea concuti visa est, ita etiam postremis his temporibus, quando susque deque vertendi statum ecclesiæ, a Christo in suis apostolis eorumque successoribus constitutum, omnes machinæ adhibitæ sunt, Petrus in suis successoribus invicte egit, præstititque, quod a Christo in mandatis accepit: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Munus hoc Romæ moriens Petrus sedi suæ veluti testamento reliquit, quod ipse usque ad mortem complevit, ut de se epistola II. c. 1. testatur: *Iustum autem arbitror*, inquit, *quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster Iesus Christus significavit mihi. Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* His pro-

missis suis constanter hactenus in suis successoribus stetit, stat, stabitque, semper confirmando fratres suos successores apostolorum in unione ecclesiæ catholicæ & apostolicæ, communioneque potestatis hierarchicæ. SECULUM XVIII.

Hanc nos fidem, ordinem & auctoritatem constanter in ecclesia catholica retentam, & contra protestantes, potentia tot principum ab ecclesia deficientium fultos, in concilio Tridentino firmatam, inconcussam tenemus, cum apostolis ad Deum supplices extollentes manus ac vocem Act. IV. 25. *Domine tu es, qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt: qui spiritu sancto, per os patris nostri David, pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum eius &c.* Frustra id quidem; supra firmam petram fundata ecclesia; nec portæ inferi prævalebunt adversus eam: quæ per orbem dispersa regna terrena in se continet, non continetur, statu a politico toto cœlo diverso, qui tunc effloruit, sesque per totum orbem diffudit, quando adversus eum totus mundus stetit; necquicquam nullaque vi cohibitis aut potentia, quibus regnum suum hoc non quidem de hoc mundo, sed tamen in hoc mundo statuendum commisit apostolis, respondentibus, qui eos prohibere sunt conati, principibus sacerdotum iudaicis, cum primum cœperunt colligere fideles, & constituere ecclesiam a): *Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, iudicate! Non enim possumus, quæ vidimus, & audivimus non loqui*, non solum perfidis iudæis, sed etiam cæteris per orbem gentibus frementibus, assistentibusque regibus terræ, & principibus convenientibus in unum adversus Dominum & adversus Christum eius: quippe amplius præ veteri iudaico sacerdotium adepti sunt apostoli, ampliori ex alto virtute instructi, potestatemque & principatum multo præstantiorem in omnibus quæ ad constituendam, regendamque ecclesiam pertinent, quam sit quævis potestas in terris, consecuti a Christo, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra. *Siquidem*, ut cum S. Io. Chrysost. loquar b), *sacerdotium principatus est, ipso etiam regno venerabilius ac maius. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque vestes aureas, umbræ sunt istbac omnia, vernisque flosculis leviora. Omnis enim*, inquit, *hominis gloria sicut flos fœni, etiamsi ipsam gloriam regalem dixeris. Ne, inquam, mihi narres ista; sed si videre vis discrimen, quantum sit regem inter & sacerdotem, expende modum potestatis utrique traditæ, videbis sublimius rege sedentem. Quamquam enim nobis venerandum videtur solium regium ob gemmas ei affixas, & aurum,*

a) *Act. IV. v. 19.*

b) *Hom. IV. in illud: Vid. Dominum. T. VI. p. 130.*

SECULUM XVIII.

quo cinctum eſt: tamen rerum terrenarum adminiſtrationem ſortitus rex eſt, nec ultra poteſtatem hanc quidquam habet auctoritatis: verum ſacerdotii ſolium in cœlis collocatum eſt, & cœleſtia adminiſtrandi habet auctoritatem. Quis hæc dicit? Ipſe cœlorum rex: „ Quæcumque *enim* „ ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcumque „ ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis ". *Quid cum hoc honore conferri poſſit? A terra iudicandi principalem auctoritatem ſumit cœlum. Nam iudex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſervum, & quidquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in ſupernis comprobat. Itaque medius ſtat ſacerdos inter Deum & naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, Dominum iratum reconcilians communi naturæ, nos, qui offendimus, eripiens ex illius manibus. Idcirco Deus ipſum regale caput ſacerdotis manibus ſubiecit, nos docens, hunc principem eſſe illo maiorem. Siquidem id, quod minus eſt, benedictionem accipit ab eo, quod præſtantius eſt.* Diſcutit ibi exemplum Oziæ a), ſtudio quidem religioſo, ſed auſu temerario templum ingredientis, ut incenſum adoleret, quod non regibus, ſed ſacerdotibus competebat, quem ſummus ſacerdos Azarias cum ſuis ſacerdotibus intrepidus coarguit. *Non aſpiciebat*, inquit, *principatus faſtum, non expendebat, quanta res eſſet, animum cupiditate temulentum cohibere: non audiebat illud Salomonis*: „ Minæ regis ſicut ira leonis "; *ſed ſublatis oculis ad verum regem cœlorum, atque illud tribunal, eaſque pœnas conſiderans, & his cogitationibus ſeſe muniens, impetum fecit in tyrannum. Noverat enim, noverat inquam, certe, minas regis ſimiles eſſe iræ leonis duntaxat iis, qui terram ſpectarent. Verum homini, qui cœlum habebat præ oculis, quibus ſic induxerat in animum, ut vitam citius in ipſis adytis deponeret, quam ſacras leges ſineret violari.*

a) *Paralip. c. 26, v. 16.*

Proſequitur poſtea S. Pater, & deprædicat manſuetudinem, quæ in redarguendo Ozia fuerat adhibita, quam non ſemper adhibuiſſe hierarchas, ſolent nobis hoſtes, contemtoreſque legitimæ eccleſ. poteſtatis obiicere, legi evangelicæ ac ſpiritui Chriſti conſentaneam, qui ſuis dixit: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde;* dumque necdum eum præſetulit humilitatis ſpiritum Petrus, quem poſt ſe ſuum relicturus erat in terra vicarium, ter ſuum negavit magiſtrum, trina vero poſtea profeſſione ſui amoris, errorem correxit, atque univerſo gregi præfici meruit poſt reſurrectionem in apparitione ſecunda, cum in prima iam apoſtolis omnibus unacum Petro poteſtatem contuliſſet ſalvator dicens: *Sicut me miſit Pater*, ut probe poſt SS. Patres animadvertit Ianſenius Ganda-

Gandavenſis epiſc. in Commentario in Concord. evangel. (c. 148.) Nunc, pergit, *ad tollendum ſchiſma, & ut eccleſia una monſtraretur, unus omnibus præficitur, impletque Dominus in Petro, quod ante reſurrectionem ei promiſerat, dicens:* Tibi dabo claves regni cœlorum: *quia, ut ibi dictum eſt, verbis illis promittebatur Petro ſumma in eccleſia poteſtas & auctoritas, quæ hic illi traditur, cum ei peculiariter regimen & cura paſtoralis ovium Chriſti committitur. Hanc autem poteſtatem ei peculiariter commiſſurus Dominus, prius ab eo rogat, num ſe diligat, & plus diligat quam cæteri, qui aderant apoſtoli &c. non ſolum, ut intelligamus, eximiam & ſingularem dilectionem requiri in præficiendo ovibus Chriſti, ſed etiam, ut hinc intelligamus, ad ſolum Petrum pertinere, quod ei dictum eſt: Paſce oves meas, ut quidam volunt, quod Petrus tanquam os apoſtolorum omnium nomine reſponderet &c.* SECULUM XVIII.

XXVI. Bene ſe habet, quod omnes illi, qui hodie poteſtatem eccleſiæ, eamque in ſucceſſoribus præcipuam labefactare conantur, in ipſa eccleſia catholica, quod, inquam, eam ſemper prærogativam in Petri ſucceſſoribus agnoſcant, quam ex unanimi conſenſu SS. Patrum modo aſſertam vidimus, ut ſit centrum unitatis. Utinam vero etiam, quid hinc conſequens ſit, agnoſcant, quod ſingulari libro, *de communione poteſtatis eccleſiaſticæ inter ſummos eccleſiæ paſtores pontificem & epiſcopos*, oſtendere ſum conatus, optandumque eſſet, ut ſectarii illi cognominis Cornelii Ianſenii Iprenſis ea in mentem inducerent, quæ modo ex Cornelio Ianſenio Gandavenſi attulimus digna, quæ ſequentibus adhuc ex eodem auctore firmentur verbis, ad reverentiam ſupremo eccleſiæ capiti Romano pontifici, tantopere laceſſitam, conciliandam. Controverſiæ Ianſeniſticæ.

Attingenda nobis hanc ob rem eſt cauſa Ianſeniſtarum, in fœderato Belgio ab ineunte ſeculo hoc XVIII. ſota, tum etiam ab exulibus Appellantibus a iudicio Romanæ ſedis ad concilium generale; etſi primatum Romanæ ſedis in controverſiam non deducant, nec ſe a ſede hac ceu centro unitatis abduci ſinant, etiam ſchiſmatici ab eius communione reiecti; cui rei occaſionem dedit ineunte hoc ſeculo epiſcopalis dignitas, quam indulgentia Innocentii XI. an. 1688. in Belgio obtinuit Petrus Codde in partibus nominatus archiepiſcopus Sebaſtenus, a capitulis Ultraiectino & Harlemenſi præſentatus; unde Ultraiectini ſchiſmatici ſucceſſionem ſuam epiſcopalem repetunt. Silentio prætereo hiſtoriam electorum deinceps invita Romana ſede epiſcoporum, qui nihil non egerunt, ut ſe in gratiam pontificum inſinuarent: atque etiam acta ſynodi, quam an. 1763. celebrarunt, Romam confirmanda miſerunt, in qua divina primatus

SECULUM XVIII.

pontificii institutio studiose est asserta; resque primum a Clemente XIII. benigne accepta, ut tamen an. 1765. synodus illa reiiceretur.

Iam sub Benedicto XIV. de eorum reunione ad communionem sedis apostolicæ incassum laboratum fuit, quod an. 1752. declarassent, se pro pace hac ineunda nunquam consensuros in subscriptionem puram & simplicem Formularii Alexandri VII. & in acceptationem bullæ *Unigenitus*, etiam relative ad qualcumque explicationes; cum tamen bulla illa in Catholico Belgio iam an. 1718. fuerit recepta, ut ex actis ecclesiæ Mechliniensis eius anni constat, prout leguntur in novissima conciliorum Germaniæ editione a). Fuit etiam in Gallia recepta, ita tamen, ut primum quidam episcopi cum Noallio archiep. Paris. quasdam explicationes addendas, alii eam simpliciter recipiendam existimarent cum Armando de Rohan card. & episcopo Argentoratensi, quæ diœcesis in Nigram Silvam excurrit; ubi quod cæteros hierarchas attinet, nulla unquam quæstio aut disceptatio circa hanc bullam fuit mota ad præsens usque tempus, quod singulari quodam casu nunc accidit ob motus quosdam Brunæ in Moravia excitatos, ut in ditionibus Austriacis proscriberetur; nequaquam vero ob doctrinam in ea contentam, aut propositiones in ea damnatas *in globo*, ut vocant, seu universim ac generatim. *In ea*, ut cum Honthemio b) loquar, *fixum illud occurrit, de quo ecclesia vult nos certos fieri, quodque ad tuendam fidem satis esse iudicat; scilicet inter eas, quas damnat, propositiones alias esse perniciosas, si tradantur; alias periculosas, si credantur; ideoque nec has, nec illas posse ab ullo Catholico defendi. Itaque per talem ecclesiæ definitionem firmum stat, eas propositiones, quocumque titulo seu rubrica damnatas, esse reiiciendas: quippe quod ex eisdem quædam sint hæreticæ, quædam erroneæ, quædam scandolosæ &c. Atque in id fertur assensus auctoritati debitus. Quænam vero censuræ nota singulis conveniat, doctoribus inquirendum, & assignandum relinquitur, donec ab ecclesia specialius id fuerit determinatum.* Posteriorem hanc observationem omnino necessariam esse vult Honthemius, quo minus laudata constitutio pro *regula fidei* hactenus sit habita, sed *morum* tantum, atque ea ratione inobedientiæ nota damnari in Gallia, non hæreseos, qui huic constitutioni refragantur. Provocat ad declarationem cleri Gallicani in Parisiensibus comitiis an. 1755. & 1765. atque ad ipsam Benedicti XIV. encyclicam ad episcopos Galliæ an. 1755. Parisiis congregatos ad petitionem regis datam, atque a rege summa veneratione susceptam in illis comitiis; post altera vero illa anni 1765. etiam palam pro lege status perinde ac ecclesiæ declarata est iuxta bullam Benedicti XIV. Pau-

a) *T. X. p.* 823.

b) *Iust. Febronius Comment. in suam retract. Pos. XVII. p.* 100.

Paucis abhinc annis recruduisse visa est in opposito Nigræ Silvæ nostræ Vogeso, atque in ipso Ordine S. Benedicti controversia Iansenistica e diametro opposita ei, cui Cœlestinus Sfondrati ex principe abbate S. Galli S. R. E. cardinalis locum dedit edito libro inscripto: *Nodus prædestinationis ex sacris litteris, doctrinaque Augustini & Thomæ, quantum homini licet, dissolutus*, in quo episcopi Galliæ non pauci id etiam reprehenderunt, quod in novissima controversia, quam innuimus, episcopus Tullensis reprobandum existimavit in P. Mougenot Ord. S. Bened. ex Congregatione SS. Vitoni & Hydulphi: cuius rei vel ideo mihi mentio facienda est, quod me olim hortante is in se susceperit theologiam Tournelii examinandam circa controversias Iansenisticas, quia huic theologo insigni ideo etiam maior iis in rebus fides sit adhibita, quippe qui toti causæ ab exordio, primum Lovanii, postea Parisiis præsens adfuerit; eum vero P. Mougenot errorum & malæ fidei in iis, quæ scripsit circa materias de gratia, convincendum suscepit, tribus eam in rem editis voluminibus, & postea etiam libello apologetico contra suos quoque sodales, a quibus fuerat exagitatus. Notam vero a se Iansenismi propellit, palam professus, sincere se & ex animo condemnare propositiones omnes, condemnatas in bullis summorum pontificum, maxime propositiones illas, quæ in bullis contra Baium & Iansenium atque adversus Quesnelli librum inscriptum: *Le nouveau Testament avec des reflexions morales &c.* proscriptæ sunt. *Ego*, inquit, *pariter illas condemno in omni illo sensu, quo sancta ecclesia catholica, apostolica & Romana illas proscribit, & condemnat; optime persuasus, doctrinam S. Augustini, & S. Thomæ, non obstantibus illis bullis, pristina auctoritate in ecclesia pollere, neque præiudicium quoddam doctrinæ Augustinianæ aut Thomisticæ a Romanis pontificibus fuisse illatum.*

SECULUM XVIII.

XXVII. Melius sibi Iesuitæ consuluissent, atque etiam puritati theologicæ, si misso Molina suo, firmiter inhæsissent statuto, quod haud procul ab exordiis societatis accepisse feruntur a viro summo, altero post S. Ignatium Superiore generali P. Lainezio, tradendi scilicet in suis scholis placita S. Thomæ: quod etiam apud nos admissi ad facultatem theologicam in academia Friburgensi promiserunt; non tamen ita (ut nuperrime rem exposuit Iof. Ant. Labhart in dissert. historico theolog. *de vicissitudinibus theologiæ*, recensita in nova bibl. a) eccles. Friburg. p. 521.) ut sibi non permitterent in iis quæ sibi aliter visa fuerint, ab eo discedere. Accessit cum Iesuitis collegio Friburgensium theologico Polemica & Casuistica theologia; discessum tandem in partes Molinæ. An.

Res Iesuiticæ.

a) *Vid. Bibl. Vol. IV.*

 1767.

SECULUM XVIII.

1767. admissi fuerunt ad facultatem sacram, qui traderent theologicas disciplinas secundum mentem Augustini & Thomæ. An. 1773. extincta Iesuitarum Societate nova studiorum theologicorum ratio, ut in cæteras Austriæ sceptro subiectas academias, ita in Friburgensem introducta est; hermeneutica sacra orientalibus linguis, iam prius adoptatis, adiuncta fuit, cæteræque partes theologicorum studiorum, imprimis etiam historia sacra excoli magis cœpta, atque pristinæ dignitati restitui.

Duo adhuc sunt capita, de quibus moniti Iesuitæ a celebratioribus superioribus suis generalibus sibi haud satis prospexerunt. Ex his Claudius Aquaviva haud obscure suis præsagiit exitii causam a summis aulis, unde quidem nihil minus, ob maximum favorem ac officia, timendum videbatur, Romana præsertim, ubi dici potest, primam ruinæ causam, quam postea Clemens XIV. consummavit, præbuisse Clementem XIII. recedentem a vestigiis Benedicti XIV. qui ultimo vitæ suæ tempore bullam reformationis legato Portugaliæ consignavit, ut gliscentem iam sub cinere ignem restingueret, cuius flammam Clemens XIII. nimis indulgendo incendit: ne quid de causa Malacridiana dicam, ob parricidium Iosepho I. regi Lusitaniæ intentatum, cuius conscii atque adeo rei dum censebantur Iesuitæ, ex iis, quæ hactenus sunt patefacta, palam fit, suspicione potius sententiæ, quam tamen eiurasse dudum Iesuitæ sunt professi, licitum nempe esse occidere tyrannum, factum fuisse. Interim ipso die 3. Septembris an. 1758. quo rex ad mortem petitus fuerat, Iesuitæ ex Lusitania sunt proscripti, ac postremo demum ex Germania nostra Brevi apostolico Clementis XIV. an. 1773. quo universus ordo extinctus est, postquam ex Gallia etiam & Hispania excesse iussus esset auctoritate aularum regiarum, quarum gratia potissimum censebantur Iesuitæ remissiores fuisse in theologia morali; non auctores, sed præcipui defensores probabilismi, contra quem præstantissimum opus scripsit Thyrsus Gonzales Superior generalis Soc. I. calculum addentibus non paucis ex suis: ibique illud etiam probandum suscepit, Probabilismum non esse doctrinam in Societate receptam, quæ tantum semper pro fidelium, præsertim in sacro tribunali, perinde ac infidelium conversione zelum commonstravit salutis animarum, utique periculo non exponendæ, in tribunali imprimis confessionis & pœnitentiæ sacramentalis: quæ est in ecclesia catholica pars potior officii ac prudentiæ pastoralis, in qua studium casuum conscientiæ, vulgo despectum, & in novo theologiæ universæ systemate non pro dignitate & necessitate tractatum, eum & multo ampliorem locum habet, quem historia in prudentia civili.

Tum

Tum vero in tanta opinionum diverſitate cautione quam maxime opus eſt ac ſtudio, ut æqua morum teneatur cenſura inter rigidiorem & remiſſiorem, quarum illa vulgo creditur Ianſeniſtarum, hæc Ieſuitarum; ut tamen maxime periculoſum ſit, humano iudicio ſenſuque noſtro ſecuritatem dare, quam præſtare non valemus coram tribunali divino tam in regula morum & actionum humanarum, quam etiam fidei erga hæreticos, qui vulgo dicuntur materiales, quæ hodieque fervet inter nonnullos eccleſiaſticos ordines controverſia Romam etiam delata; ubi præcipuo incentori dictum eſt abeunti a), ut, ni damnari velit, mitigaret, quæ ſcripſit in benigniorem partem; ſi tamen benignior pars hæc illa eſt, quæ æternæ damnationis periculo exponit, imo iuxta unanimem SS. PP. Auguſtini præſertim ſententiam, contra ſchiſmaticos etiam quoſcumque, non hæreticos tantum, nullam ſcilicet eſſe extra veram eccleſiam ſalutem, unam nempe ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam. Aliam nos ſecuritatem fruſtra damus; quam dum præſtare non poſſumus, a ſalute arcemus, quos incurios reddimus & negligentes, ſuam vocationem & ſalutem certam faciendi, atque ad gremium matris eccleſiæ redeundi.

a) *Bibl. theol. Friburg. vol. V. Faſc. IV. p. 739.*

Molimina ad conciliandas diſſidentes ſectas.

XXVIII. Ingens, ſi unquam alias, ab ineunte hoc ſeculo fuit impenſum ſtudium ac conatus conciliandi, reuniendique eccleſiæ catholicæ diſſidentes ſectas. Id quam maxime ſolliciti curarunt pontifices Romani, ut ſilentio prætercam Zephirinum de pace ſeu Georgium Chriſtophorum Ferdinandum de Räſewiz, cuius proſtant eam in rem poſt initium huius ſeculi ſcripta. Fertur, Benedictum XIII. ut Græcos, Lutheranos & Calviniſtas ad unum ovile revocaret, quatuor ſingularia in animo habuiſſe conſilia. Clemens XII. poſt Benedictum mentem ſuam eam in rem an. 1732. cardinalium collegio in ſecreto conſiſtorio die 21. Iunii aperuit. Sermo, quem habuit, unaque bulla ad Lutheranos Saxones, breveque apoſtolicum extat T. I. Act. hiſt. eccl. Vinar. alia in aliis eorundem actorum voluminibus, a cardinali Quirinio & de Loen in eodem negotio actitata. Nos paulo antea commemoravimus I. Nicolai de Hontheim epiſcopi Myrophytani in partibus, ſuffraganei Trevirenſis ſub nomine I. Febronii de ſtatu eccleſiæ & legitima poteſtate Romani pontificis librum ſingularem, quem ipſa frons præfert, eo fine eſſe elucubratum, via tamen longe diſpari ac eventu, uti alia etiam eiuſmodi irenicorum labente hoc ſeculo XVIII. ſtudia, ulterius ad labefactandam infallibilitatem eccleſiæ compoſita. Cuiuſmodi legere eſt T. V. Vinarienſium act. hiſtorico-eccleſiaſticorum noſtri temporis; auctor vero amicus in litteris ad

me

SECULUM XVIII.

me anno præterito datis, conqueritur, amicos male officiosos fragmenta epistolæ cuiusdam suæ se inscio edidisse, ex quibus a nemine, prout vulgata sunt, intelligi possit consilii sui ratio, vanissimamque suspicionem fuisse, se infallibilitatem ecclesiæ prodere velle, ad dissidentes in ecclesiam Catholicam reducendos.

Quo tamen nihil proclivius est in negotio hoc cum Protestantibus, in quo ante omnia, quod caput est, de infallibili iudice ac iudicio causarum religionis controversarum conveniendum foret, si aliquid firmum & stabile esse deberet, cum secus omnis labor frustraneus sit; siquidem penes quemvis singillatim, aut omnes generatim stet accedere, vel non accedere, aut iterum recedere, palam profiteri accessum, animo autem in alia omnia ire. Sic invitatus cum meis ad huiusmodi conventum Fuldæ institutum respondi, consiliumque dedi, ut a præcipuis capitibus seu dogmatibus controversis rei auspicium sumatur, non solum quoad articulum de ecclesia, verum etiam quoad alios præcipuos & capitales articulos in controversiam deductos, eaqua omnia, quæ in generali synodo Tridentina iam decisa, a quocumque Catholico, consequenter etiam ab iis, qui ad catholicam ecclesiam reditum cogitant, indubitanter accipienda esse, quorum pars potior iam in concilio Constantiensi determinata fuerat, aliaque in aliis conciliis; quæ vero in actis concilii Tridentini dispersa sunt, a Pio IV. extracta in professionem fidei verbis concilii Trid. concepta, ecclesiæ sunt proposita & acceptata, cui omnes quotidie subscribunt, & hierarchæ omnes & singuli subscribi faciunt. Opportune hic exscribo, quæ nunc primum in hoc negotio interpellatus cardinalis quidam Roma rescripsit, inque hanc sententiam consultum habuit: *Imprimis ergo sic existimo, dum studemus firmam stabilemque inire concordiam, ab iis temperamentis cavendum, quæ ad concordiæ optatæ stabilitatem convellendam plurimum deinceps commoditatis & licentiæ afferent. Hac potissimum de causa, ut scribis, concordiæ studiosi Protestantes principiorum, quibus hactenus innixi sunt, levitatem & inconstantiam animadvertere cœperunt, quod qui ex ipsis labuntur in Socianismum, Deismum, aliosve huius generis, religioni perinde ac reipublicæ infestos errores, palam profiteantur, sibi concedi oportere, ut, qaam licentiam sumsit sibi Lutherus adversus ecclesiam, eandem sumant adversus Lutherum.*

Quæ cum ita sint, quivis intelliget, longe promtiorem ac faciliorem censeri posse cum Græcis schismaticis unionem ad normam iam passim per Europam & Asiam unitorum, qui dum Romanum pontificem caput ecclesiæ

ecclesiæ agnoscunt, purgatorium item, ac processionem Spiritus S. ex Patre Filioque credunt; quoad disciplinæ quædam capita ac ritus suis relinquuntur usibus; redeuntes etiam ad unionem ecclesiæ unitis Græcis sociantur, non Latinis Catholicis, singulari apostolicæ sedis decreto, ad faciliorem reddendum reditum.

Qui vero difficilior quotidie fit reditus in ecclesia Occidentali non solum quoad Protestantes, suis abundantes sensibus, dum pro lubitu a suis etiam libris symbolicis, nullo agnito controversiarum iudice, recedunt; verum etiam apud catholicos illos, qui dum nimium ad acatholica principia declinant, a catholicis sensim veluti sine sensu abeunt, ut ex innumeris scriptiunculis, plerisque anonymis, palam fit, quibus hodie impune, contra mandatum cæsareum, ac licenter Germania nostra inundatur: ex quibus temerarius lucifuga, iam proditus Norimbergæ & castigatus, eo audaciæ processit, ut in ipsa fronte Iosephum II. & Lutherum sociaret, perversissime accepto triplicis in Imperio Germanico religionis tolerantiæ decreto, quemadmodum magis magisque elucescit ex quotidianis propemodum ac novis decretis, quæ extorsit insolentia eorum, in quorum gratiam facta est tolerantia, fuitque limitanda & restringenda res, in præceps progressa, uti fieri pronum fuit, dum illis fræna laxantur, qui venditata semper inde a principio factæ discessionis ab ecclesia catholica Protestantes abusi sunt conscientiæ libertate; iam vero supra, quam unquam alias, non ferenda in Imperio Germanico sese insinuat licentia, ubi publicis pactis & pacificationibus iuxta libros symbolicos, nec ultra hos limites toleratis religionibus sua est constituta libertas atque secundum præscriptum annum in pace Westphalica normalem, quoad publicum saltem religionis exercitium.

Nunc autem quisque sibi sumit, quidquid in mentem buccamque venit, non solum eloqui, sed etiam typis in lucem publicam proferre, de sanctissimis dogmatibus licenter & arroganter sibi magisterium usurpare, & in quam velit, dogmata quævis trahere partem: omnia ad suam limam revocare, in quæstionem, in dubium, atque etiam ridiculum vertere: omnia libere carpere, omnes maledico ore proscindere, summos etiam hierarchas, atque Christi in terris vicarios contumeliis lacessere, ac dicam eis scribere. Quæ his suprema potestas censenda est religiosa, quodnam sacramentum aut res sacra, qui non abhorrent, ecclesiæ bellum indicere, eiusque sibi arrogare auctoritatem, & palam contemtui habere & exponere? Qua temeritate non solum, qui perverse sentiunt, in errore firmantur, sed etiam minus firmi, pusilli & qui sunt modicæ

SECULUM XVIII.

fidei, in errorem abducuntur: dumque non cohibetur perversitas, nec coercentur ora & calami religionem lacessentium, auctoramentum error consequitur, multo magis reipublicæ ipsi perniciosus atque damnabilis (utpote in primario erga Deum ipsum officio, puta religionis) quam quævis alia perversitas in aliis quibusvis officiis in statu etiam politico, quem nihil ita concutit, ac susque deque vertit, quam diversitas religionis, quæ est, atque semper habita fuit maximum fulcrum, unicumque præsidium tranquillitatis securitatisque publicæ.

Non opus est, aliunde proferre argumenta aut exempla, quæ nobis præstat tam funesta Germania nostra, cuius periculis sapiens vicina Gallia iam superiore seculo edictum Nanetense, ab Henrico IV. rege datum, antiquavit iure & auctoritate, quam infallibilis fidei regula apud catholicos inviolabilem præstat; dum principia solum Protestantica privato cuique libertatem relinquunt eligendi, quod libet in religione; at nihilominus principes protestantes ius reformandi, quod sibi non nisi armis contra avitam ecclesiæ catholicæ possessionem acquisierunt, ceu palladium conservant, ac plerique omnes nihil minus, quam tolerantes sunt tum principes, cum etiam doctores illi quam plurimi, qui hodie ubique tolerantiam deprædicant omnium potius a religione aberrationum, quam veritatis catholicæ: quæ sola infallibilitate iudicis controversiarum licentiam errorum excludit. Estque iam felix Nigra Silva nostra in ditionibus principum catholicorum nulla commixtione earum etiam sectarum, quæ aliquando tolerantiam sibi vi & armis compararunt passim alibi in imperio Germanico, dum Nigræ Silvæ pars potior sibi in sinum plaudit, læta hactenus integritate fidei in communione ecclesiæ Romano-catholicæ, eos suos animo lugens gentiles, qui beata hac exciderunt sorte, circumferunturque omni vento doctrinæ, nulla firma fixaque fidei regula, nullo certo assertoque iudice controversiarum, quem sola statuit infallibilem, & (qui omnem omnino excludat circa fidem dubietatem) sola præstat una sancta catholica & Romano-apostolica ecclesia.

Molimina ad subvertenda fidei dogmata.

XXIX. Ad instructionem novam pro disciplinis theologicis in Austriacis terris hæreditariis, ubi mentio iniicitur desiderii protestantium pro arbitro quodam in gravissimis dissidiis domesticis, votum etiam suum in hac re exponit editor in actis historico-eccles. nostri temporis Vinariensibus a); ediditque ibidem Io. R. Piderit S. Scripturæ professoris in collegio Casseliano remonstrationem b), eam ob rem ad corpus evangel. factam: ubi ad catholicos doctores, minatos apud Imperii tribunal querelas ob violatas pacis publicæ conditiones, nominatim vero ad novam

a) *T. III. p. 744.*
b) *Ib. p. 457. &c.*

vam bibliothecam ecclesiasticam provocat Friburgensem, in qua singillatim Io. Sal. Semler theologiæ in academia Halensi apud Magdeburgicos professor petitur pluribus præsertim ad ipsum Semlerum epistolis P. Engelberti Klupfelii theol. dogmat. in academia Friburg. professoris eximii, præcipuique memoratæ Bibl. auctoris. Additur in actis Vinariensibus recensio apologiæ Semlerianæ contra accusationem Pideriticam; sed in ea apologia desideratur præcisa præcipuorum capitum religionis christianæ professio. Neque hactenus ambiguitatem sustulit Semlerus de sinceritate sua in refutandis fragmentis Lessinganis, & Bahrtio, suspectum & sublestæ fidei in ipsa sua defensione contra Basedovium sese haud obscure demonstrans; ut prætereain, quæ ipse Semlero Bahrtius in calendario inscripto *Kirchen & Kezer Allmanach* ad an. 1781. ob tolerantiam, qua ipse quam maxime indigeat, obiicit.

De Carolo Frid. Bahrt ut aliquid singillatius dicam, ansam præbet eius confessio fidei, quam Socinianam plane ausus est ad ipsum cæsarem dare, postquam eius vernacula versio S. Scripturæ N. T. ab hierarchis Nigræ Silvæ nostræ speciatim proscripta fuit an. 1777. & sequenti anno ab ipso imperatore, causa ad iudicium Imperiale aulicum delata, a quo res trutinanda commissa est facultatibus theologicis catholicæ Wirceburgensi, & protestanticæ Göttingensi, prostantque tum alibi cum etiam in actis Vinariensibus a) typis excusa consulta utriusque facultatis unacum professione fidei, ex qua vel sola palam fit, Wirceburgense etiam consultum, quod gravius quidem est Göttingensi, mitius tamen, quam meruerit Bahrtius, de eius fide censuisse. Non veretur cæsaream implorare Bahrtius auctoritatem contra fecem, ut appellat, systematicæ religionis, quod ad decantatam illam etiam Semlero inter religionem & theologiam distinctionem pertinet. Palam vero profitetur Bahrtius millenos esse & millenos, qui secum sentiant: ex quibus in suo iam memorato Allmanach præ cæteris extollit Gotth. Samuelem Steinbart; alios in sua illa ampla recensione novorum theologorum, magnam vero partem theologastrorum ordine alphabetico laudat, aut incessit ex suo irreligioso sensu, ad calcem animadvertens, in theologis sui ordinis raritatem nominis Iesu, præsertim in concionibus. Neque vero ipse Bahrtius a blasphema ea temeritate se alienum esse, haud obscure declarat, qua eo hodie rationem humanam sua perspicacia sibi pertigisse, in animum delirantes inducunt, ut revelatione seu evangelio Iesu Christi opus adeo haud amplius sit. In confessione fidei autem agere se ex libertate, quæ protestantibus omnibus, qui nullum agnoscunt iudicem controversiarum, integra est,

a) Tom. V. p. 1021.

 profite-

SECULUM XVIII.

profitetur, articulosque fidei eos etiam, qui hactenus communes fuerunt dissidentibus apud nos partibus, abiicit, se nec Augustanæ confessioni, nec symbolo Nicæno adstrictum contestatus.

Nec dubitat Wielandus, qui inter alios eam professionem fidei agressus est, bona fide agere Bahrtium, atque omnino de confessionis suæ persuasione certum & convictum esse. Sed quo iam se vertat sagacissimus Wielandus iuxta principia protestantica, quæ cuique religionis ac fidei arbitrium relinquunt? Quomodo Bahrtio occurrendum existimat, qui cuique liberum facit, quascumque præscriptas fidei formulas, symbola & doctrinæ systemata abiicere? Dicit Wielandus, Bahrtium munere doctoris, quo fungitur, obstrictum esse ad docendam eam religionem, quæ obtinet, iuxta protestanticum brocardicon nempe, eius esse religionem, cuius est regio. Atqui vero sic animo hypocritico aliud quidvis quivis potest credere ac mente tenere, quam quod ore prædicat. Persuadet sibi equidem Wielandus, Bahrtium ratione sua sibimet oppido imposuisse, ac decipi, quod sibi persuadeat, alios omnes doctores christianitatis, qui per septendecim secula contraria dogmata ceu sacræ Scripturæ consentanea crediderunt, in horribilibus tenebris palpitasse. At vero Bahrtius (cui tantopere irascitur Wielandus, quod in confessionem Augustanam culpam omnem irreligionis prævalescentis reiiciat) regerit, ad eandem auctoritatem externam pertinere, adversam libertati conscientiæ, velle quæcumque, quam antiqua etiam & inveterata sint, aliorum quorumcunque doctorum iudicia & sententias obtrudere ei, qui ipse sit iudex, ipse arbiter suæ fidei & religionis iuxta apostolum: *Omnia probate, quod bonum est, tenete*, quibus quidem verbis recte existimat Wielandus, sensum adeo amplum subesse non posse, qui in tam avia & devia deducat; at secus videtur Bahrtio, tueturque se suo sibi, ut cuicumque alii, in religione competente arbitrio per principia protestantica, palladium nempe illud libertatis conscientiæ a).

Licet

a) Juvat, rem ipsis Wielandi verbis exprimere, in opusculo: *Fortsetzung der Gedanken eines Layen.* p. 40. ita adversus Bahrtium scribentis: Er meint, nach den Grundsätzen des Protestantismus wäre er in Absicht seines Glaubens an keines Menschen Ansehen gebunden, und habe das Recht alles zu prüfen, und nur das zu behalten, wovon er sich aus Gottes Wort überzeugt fühle. Ia als ein protestantischer Lehrer hätte er noch ein ferneres Recht: denn als ein solcher sey er Theil der repræsentierenden Kirche, und sey daher nicht nur verpflichtet, die Lehrsäze seiner Kirche zu prüffen, sondern auch das Resultat seiner Prüffung seinen Brüdern vorzulegen. Hat der H. D. da er dies so hinschrieb, auch wohl recht bedacht, wie viel er damit sage? Die Rede ist hier nicht von Vorstellungsarten einer Lehre, nicht von blosen Arten, sich auszudrücken, nicht von Puncten, die zu dem Geheimnisse der Gottseligkeit nicht wesentlich gehören. Die Rede ist von wesentlichen Glaubenslehren der christlichen

Licet hic iterum provocare ad I. R. Pideriti remonstrationem ad corpus evangelicorum de licentia, quam sibi passim sumant confessioni Augustanæ addicti. Ubi ingenue fatetur, nihil adeo sibi contrariari, quam esse catholicum & libertinum (Freygeist) ob auctoritatem ecclesiæ; secus ac apud illos, quibus symbola & confessiones fidei sint iugum non ferendum, neminique invito imponendum; quod dum tenent protestantes, non tamen aliam rationem aut viam ipsi habent, qua ad orbitam revocare possint aberrantes. Cuius rei non unum tantum habe-

und der evangelischen Kirche insonderheit. Diese sind einmal festgesezt. Es ist iedem, der sich zu ihnen nicht bekennen will, erlaubt, sich der Gemeinschaft mit der Kirche und denen darmit verbundenen Vortheilen zu entschlagen. Aber wer sich zur Kirche bekennt, unterwirft sich auch eo ipso ihren Gesezen, und hält sich an das, was ihre öffentliche Confession ist. Erstreckte sich das Prüfungsrecht so weit, als es der Herr D. ausdehnt, so hätte ieder naseweise Klugling ein Recht die Schrift auszulegen, wie er wollte: so bekämen wir zulezt so viel Religionen als Köpfe: kein Lehrer wurde mehr Gehör finden, weil es seine Zuhörer immer wurden besser wissen wollen; am Ende wurde die Kirche nicht mehr eine Gemeinde, sondern ein anarchisches Chaos, nicht mehr ein Leib, sondern ein aufgelöster Leichnam, ein Raub der Würmer und der Verwesung seyn, und die Religion selbst wurde darüber zu Grunde gehen. Das Vorurtheil des Ansehens hat seine Missbräuche und Inconvenienzen, wie alle menschliche Dinge; aber es ist unentbehrlich. Ohne Autorität kan kein Hauswesen, kein Staat, keine Religions-Gesellschaft bestehen. Die Menschen von diesem Bande frey machen wollen, (ich rede hier nicht von den ausserordentlichen, die äusserst selten sind, und ihre eigne Regel haben) heisst, das Band aller menschlichen Ordnung und Ruhe auflösen wollen &c.

Confessionem hanc Protestantium recte expendit auctor *der freymüthigen Betrachtungen uber das Christenthum.* p. 350. Sobald man nur etwas die Vorurtheile der Erziehung, die Parthey und Menschenfurcht bey Seiten sezt, so sieht man leicht, dass auf solche Weise, statt der alten menschlichen Autorität der Concilien, ihrer Schlüsse, und der Kirchenväter, eine neue Menschenautorität eingeführt wird, die mit einem nicht geringern Despotismus über den Verstand, die Einsichten, und das Gewissen der Menschen herrscht, als die katholische Kirche, über welche man so bittere Klagen geführt, nur immer hat ausüben können. Was bey dieser die Concilien, das sind bey den Protestanten die zu *Marburg*, *Torgau*, und anderweitig vom I. 1529. an gehaltenen Religionsversammlungen; was bey den Katholicken die Symbolen und Concilienschlüsse über allerley Lehrsätze sind, das sind bey den Protestanten die *symbolischen Bücher*: was bey den Katholicken gesagt wird, dass man die heil. Schrift so auslegen, und keine andere Sätze aus derselben herleiten müsse, als es den heil. Vätern der Kirche, den Concilien, und den aus derselben gemachten Symbolen gemäs ist, ist nichts anders, als wenn die Protestanten sagen, dass man bey der Schriftauslegung darauf sehen müsse, dass man sie nicht anders erkläre als es den Lehrsätzen unsrer symbolischen Bücher gemäs ist, oder keine Sätze aus der Bibel herleite, die den in den symbolischen Büchern enthaltenen Meynungen entgegen sind. Und es ist zwischen der katholischen und protestantischen Autorität kein anderer Unterschied, als dass iene älter, diese moderner ist, iene solche, diese andere Lehrmeynungen bestimmt; und das behaupten, die heil. Schrift sey der einzige Erkenntnissgrund, ist bloser Vorwand; indem auch der Katholick auf solche Weise die Schrift nicht verwirft, und seine von der Kirche festgesetzten Lehrsätze als solche ansieht, die in Gottes Wort gegründet sind.

 tur

SECULUM XVIII.

tur exemplum in illis ipsis Vinarienfibus actis *historico-eccles. nostri temporis*: & quidem primo mox tomo ex vicina Nigræ Silvæ nostræ Helvetia; legiturque epistola consistorii Bernensis ad pastores & professores Turicenses a) ob versionem sacræ scripturæ novam, adiecto indice, *in quo errores, libris symbolicis, quos ecclesiæ nostræ concorditer tenent, ac propugnant, plane adversos deprehendisse nobis visi sumus &c.* Turicenses econtra confessi, indicem illum non privatum, sed publica censorum auctoritate probatum opus esse, volunt, *nihil in eo reperiri, quod æquos lectores offendere possit, nihil, quod cum nativa Evangelii doctrina & libris nostris symbolicis pugnet, nihil denique, quod Socinianorum aut Pelagianorum placitis atque figmentis patrocinetur &c.* Sequitur extractus litterarum antistitum Basileensium in eadem causa, iterataeque Bernensium & alia ad eandem rem eodem tomo; tum vero tomo V. extractus ex thesibus Turicensibus an. 1777. habita disputatione per I. C. Meyer, in quibus librorum symbolicorum auctoritas deprimitur.

a) p. 765. &c.

Propius etiam nos attinet, quæ eodem in tomo V. b) legitur, relatio de statu theologiæ in ducatu Wirtembergiæ, qui in nostram Nigram Silvam excurrit, ubi quidem se expurgant ab huiusmodi accusationibus Socianismi, Pelagianismi & Libertinismi, quasi vero inter 20000. hominum vix unus sit, qui doctrinæ suæ ecclesiæ apud protestantes addictus sit; opus nihilominus fuit ac consultum serenissimo duci an. 1780. singulari edicto contra hæc eadem cavere & prospicere, ne a librorum symbolicorum abscedatur doctrina, perinde ac in Saxonia, ut in iisdem c) Actis legitur, ob late serpentem Socinianismum & Pelagianismum.

b) p. 122.

c) T. III. p. 994.

Omnemque religionis sensum abiiciendum.

XXX. Principes hi, elector Saxoniæ & dux Wirtembergiæ, catholicam religionem professi, dum eiusmodi edicta edunt, consequenter id faciunt ad doctrinam catholicam de iudicio ecclesiæ infallibili. Neutiquam vero cum iudice hoc controversiarum constare potest, quod anno primum 1780. Ratisbonæ vulgavit arbitrium anonymus circa motus religionis apud protestantes: ubi quidem non horret (p. 4.) dicere auctor, ab eo tempore quo Honthemius sub nomine Febronii auctoritatem Romanæ sedis adeo depressit, plerosque ex principibus catholicis insistere quidem hypothesi Honthemianæ, in eaque magis magisque progredi, cæteroquin avitæ religioni catholicæ addictos, alios autem id agere exterius quidem, christianamque religionem pro vera & optima agnoscere; sed præter fidem in Iesum, reliqua habere commenta cleri & status ecclesiastici: quo ipso vero fundamentum catholicæ fidei, quod nititur infallibili ecclesiæ iudicio & auctoritate in rebus, quæ ad religionem pertinent, in

suam

suam perniciem subruunt; non vero in ipsius ecclesiæ catholicæ detrimentum, quæ super hanc petram firma semper & inconcussa stabit, habens firmamentum in se, quo carent omnes illi, qui cuique arbitrium faciunt, & a constituta infallibiliter fidei forma recedunt, etiam si ex ipsa ecclesia catholica procedant, veluti M. Franc. Arouet de Voltaire, irreligiosorum nostri ævi antesignanus & irreligionis stator, natus Parisiis ad finem seculi præteriti, & denatus an. 1778. ibidem in summa desperatione, quæ sola libertinos sequaces salutari horrore concutere debeat atque averruncare cum aliis funestis irreligionis practicis ipsam humanam societatem evertentibus effectibus, pyrrhonismum, hodie magis semper magisque ingruentem, nequaquam vero sibi constantem cum intolerabili iactantia seculi nostri, quo sibi tam suffeni sunt homines, ac nunc demum sapere plenis buccis crepant ac vociferantur, ævi sui felicitatem extollentes, *das aufgeklärte Iahrhundert.* Quam in rem memorabile est regii Borussici regiminis decretum ex quo excerpta damus a).

Voltairium antesignanum post annum secutus est ad alteram vitam, districto iudici rationem redditurus æmulus I. I. Rousseau; qui tamen id obsequium veritati præstitit, quod impossibilitatem examinis proprii, quod quisque in negotio religionis faciat, magna eloquentia & energia sermonis demonstravit: ob oculos ponens, quanta discussione & eruditione immensa opus foret cuique etiam plebeio & rustico, cui consequendæ nec ingenium nec ætas humana sufficeret in comparando apparatu linguarum e. c. orientalium, historia exacta & latissime patente religionum a prima origine mundi & deinceps apud Iudæos: ubi omnia ad examen revocanda, quæ unquam Iudæi contra Christum & christianos protulerunt in medium, quæve obiicere possint, & cur tanta se constantia opponant. Turcas etiam afferre rationes pro sua religione, ad quas recte examinandas in Asiam concedendum foret, atque ad examen recte in omnibus instituendum sua omnia, patriam, officia, labores & occupationes omnes esse relinquendas &c. *L'artisan*, inquit, *qui ne vit que de son travail, le laboureur qui ne sait pas lire, la ieune fille delicate & timide, l'infirme qui peut a peine sortir de son lit, tous sans exception,* *doivent*

a) Die unbedachtsame Aufklärungssucht ietziger Zeiten artet in eine freche Ausgelassenheit aus, tritt alles, was heilig und ehrwürdig ist, mit Füssen; macht dem Volk alles verächtlich, verwirret seine Begriffe, und flösset ihm Aufruhr, Ungehorsam, Zügellosigkeit, und Wiedersezungsgrundsätze ein, ohne es zu unterrichten und zu bessern. Die Ausgelassenheit der Iournalisten, Zeitungsschreiber, Sammler, verursachet Unannehmlichkeiten mit andern Höfen, und es ist die höchste Zeit und Nothwendigkeit vorhanden, ihr einen Zügel anzulegen &c. *Berlin*, den 13. Decemb. 1784. Gr. v. Finckenstein. v. Herzberg.

SECULUM XVIII.

doivent etudier, mediter, disputer, voyager, parcourir le monde: il n'y aura plus de peuple fixe & stabile, la terre entiere ne sera couverte que de pelerins allant à grands frais & avec de longues fatigues, verifier, comparer, examiner par eux-mêmes, les cultes divers qu'on y suit. Alors adieu les metiers, les arts, les sciences humaines & toutes les occupations civiles, il ne peut plus y avoir d'autre étude que de celle de religion. A grand-peine celui qui aura joui de la santé la plus robuste, le mieux emploie son tems, le mieux usé de sa raison, veçu le plus d'années, saura-t-il dans sa vieillesse a quoi s'en tenir, & ce sera beaucoup s'il apprend avant sa mort dans quel culte il auroit du vivre. At timeo, ne vel eo, vita quam longissima, homo præstantissimi ingenii & pertinacissimæ diligentiæ pertingat, mente confusus in tanta rerum copia, varietate religionum, atque diversitate controversiarum hodie cumprimis, ubi vix vita etiam longæva sufficeret in iis tantum discutiendis, quæ vel religionis hostes ad abiiciendum omnem illius sensum scripserunt, & quotidie novis insultibus aggrediuntur religionem.

Id genus sunt, quæ nuperrime in Germania protulit ex bibliotheca Guelpherbytana Gotthold Ephraim Lessingius fragmenta cum suis additionibus, quorum primo statim, quod extat in tertio additamento, *de tolerantia Deistarum*, id unum agit, argumentis, in hac materia passim obviis, ut ei veritati sua constet firmitas, quam dudum Fenelonius asseruit singulari libro inscripto: *Ou Deiste ou Catholique.* In additamento quarto diversi argumenti sunt fragmenta composita ad utriusque testamenti, omnisque revelationis fidem evertendam, quibus quidem Lessingius nonnunquam responsiones quasdam opponit, excepto postremo & præcipuo de resurrectione Christi, quod intactum relinquit, quasi, quod responderet dubiis, non haberet; cum tamen se ipsum confodiat, quisquis est impiissimus auctor fragmentorum, in eo fragmento, quod omnium deterrimum est, atque seiunctum a cæteris peculiari volumine edidit Lessingius inscriptum *de scopo Iesu & suorum discipulorum.* Qui si (quod blasphemus deterior Iudæo auctor effutit) desiderio propriæ gloriæ, exemplo magistri stimulati fuerunt, anne frustrati spe promissæ a Christo resurrectionis, ipsi se tantis laboribus, tantis periculis, dedissent? & destituti omni ope humana, contranitente imo omni genere humano, opus, quod cœperunt auctore magistro, prosequi aut voluissent aut potuissent omnium miserrimi hominum in hac vita, sine spe resurrectionis etiam in altera post Christum a)? *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus*

a) 1. Cor. XV. 19.

nibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium.

Periculo postremorum temporum.

XXXI. Potuit sane SS. P. N. Pio VI. P. M. in encyclicis ad hierarchas universæ ecclesiæ catholicæ datis an. 1776. videri, *novissimis his diebus instare tempora illa periculosa, de quibus prænuntiavit apostolus Paulus*: quando nempe erunt homines seipsos amantes, elati, superbi, blasphemi &c. Equidem non est nostrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, ut Christus respondit apostolis interrogantibus: *quando hæc erunt &c.* Sed hoc ipsum ideo factum, ut essent incerta & abscondita momenta hæc, quo semper paratos atque de periculis novissimorum temporum sollicitos ac cautos nos præstemus & vigilemus: *Quia*, inquit, *qua hora non putatis, filius hominis venturus est.* Quod perinde valet ad diem iudicii extremi & cuique vitæ ultimum mortis articulum. Ea etiam de causa promiscue locutus fuit apud tres Evangelistas Matthæum, Marcum, & Lucam de excidio urbis Hierosolymitanæ propediem tunc instante, & de excidio orbis universi, cum Dominus ad iudicandum venerit. Sic quoque prophetice in Apocalypsi S. Ioannis, in qua fata ecclesiæ usque ad consummationem seculi continentur, involvitur regnum illud a) item mille annorum Christi cum sanctis, sacerdotumque cum christo in terris, quod SS. Patres perplexos adeo habuit, & etiamnum sunt, qui illud, quis scit, quando, adhuc futurum fore existiment, ac hos inter ipse B. Bossuet, etsi hoc regnum b) in SS. Martyrum cultu & potestate in terris agnoscat. Tutius certe & scopo Christi congruentius videatur, hinc etiam argumentum sumere ad vigilantiam nostram excitandam, convenienter ad verba Christi in Apocalypsi: *Ecce venio velociter*, & his consimilia. Eo autem attentiores nos esse oportet, quum tantopere accisum illud regnum sanctorum, sacerdotumque in terris per varias, Germaniæ præsertim, regiones hodie cernamus, quod passim a sanctis Patribus deprædicatum legimus: qui ipsi etiam cum aliis in sanctorum numerum relati sua sanctitate meruerunt participes fieri gloriæ & virtutis sanctorum in ecclesia catholica, *quorum nominibus*, ut S. Gregorii Nazianzeni verbis utar c), *præclari honores, festaque constituta sunt: a quibus dæmones propelluntur, morbi curantur: quorum sunt apparitiones, quorum prædictiones: quorum corpora idem possunt ac beatæ animæ: quorum vel sola sanguinis gutta, atque exigua quamvis passionis signa, idem possunt, quod corpora.* Hæc ille de SS Martyribus primorum ecclesiæ pressæ seculorum sub persecutionibus gentilium; quæ tropæa S. Ioannes in Apocalypsi prosequitur. Unde

a) *Apoc. XX.* 4. 6.

b) *De excidio Babylonis T. III. p.* 790.

c) *Orat. III. p.* 777.

SECULUM XVIII.

etiam regnum hoc martyrum tantummodo esse a multis creditum est. Nec aliosquidem post B. M. V. in antiquissimo canone sacrificii Missæ, quo hodieque ecclesia Romano-catholica utitur, sacerdotes nominant *Communicantes & memoriam venerantes &c.* quæ est communio illa sanctorum triumphantis cum militante ecclesia, ad quam utique etiam alii sancti pertinent, qui præter martyres leguntur in antiquioribus codd. liturgiæ Romanæ, perinde ac etiam Ambrosianæ, Gallicanæ, Mozarabicæ, ut in veterem liturg. Alleman. notavi. Eorumdem præterea sanctorum non martyrum memoriam celebrat ecclesia in liturgiæ diversis partibus, de quibus adeoque omnibus quod S. Ioannes Apoc. XX. dicit, accipiendum est: *Sed erunt sacerdotes Dei, & agni, & regnabunt cum eo mille annis, communicantes* nimirum cum sacerdotibus militantis ecclesiæ, & ad regnum Christi spectantes, qui in terris amici Dei honorantur in suis sacris Reliquiis. De animabus enim interfectorum, ut Estius ad v. 4. huius capitis annotat, *propter nomen Christi, & reliquorum omnium, qui non acceperunt characterem bestiæ, dicitur*: Et vixerunt, & regnarunt cum eo mille annis. Regnum hoc Grotius quoque agnoscit in hunc locum, nempe martyres Christi (quæ etiam gratia aliis sanctis conceditur) regnare per dona sanationum, quæ conspiciebantur apud illorum memorias, & per honorem, quem ipsis ecclesiæ palam habuere. Epocham repetit a tempore Constantini: *Ante tempora Constantini*, pergit, *neque tutum erat ad monumenta martyrum concurrere, & vigente paganismo metui poterat, ne honor martyrum a paganis in superstitionis suæ defensionem raperetur. Quod autem dicitur* χιλια ετη mille annis *eo pertinet, ut sciamus, post mille illos annos a multis imminui cœpisse honorem martyrum, ab iis scilicet, qui pietatis partem in eo posuerunt, si loca, martyrum memoriæ dicata, frangerent, & sanationum veteres historias fabulis accenserent: quas ad res non levis occasio data est ab eis, qui falsa miracula comminiscebantur, quique in martyrum honore non servabant eum modum, quem vetus ecclesia servaverat.* Hæc Grotius convenienter admodum ad varias etiam epochas discernendas in hoc regno sanctorum, Christi nomine in ecclesia cultorum: qualem hodieque novam statui posse ex illis ipsis momentis, quæ iam attulit Grotius, palam fit.

Bossueti opinionem de ligato per mille annos satana Apoc. XX. 2. in historiæ huius ingressu sec. XI. notavimus, prætereaque breviter ad oram varias regni millenarii epochas. Quandoquidem mille illi anni non præcise accipiendi sunt stricte, dum S. Augustinus non semel, aliique, etiam Græci Patres, plerique theologi & interpretes per illos indeterminatum tempus usque ad novissima tempora intelligunt. Nihilominus tamen per

terminos

terminos quosdam millenarios epochæ quædam statui possunt ac designari suis, ut ita dicam, stigmatiis. Non semel memorat S. Ioannes Apoc. XX. mille annos: ac primo v. 2. ligatus dicitur satanas: dum utique a Christo princeps huius mundi eiectus est foras, missus *in abyssum* ... *ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, & post hæc oportet eum solvi modico tempore.* Quod, ut ex Bossueto notavimus, factum sec. XI. ævum tamen non ferente potissima malorum parte, quæ tunc ecclesiam occidentalem infestarunt; nec etiam penitus ecclesia orientalis in schismate, quod seculo XI. sub Michaele Cærulario patriarcha Cpolitano maxime exacerbatum fuit, obfirmata: neque ævum tulit inde progressa Manichæorum hæresis occidentem inundans, Romanæ maxime infesta ecclesiæ, quæ tunc undique concussa, stetit invicta, nunquam excelsior, a principibus etiam, Germanici præsertim imperii arbitra in partes curarum tracta: aucta iam per diversas regiones coloniis, interea dum alibi gentium collabascit fides. Suntque cum primis notandæ variæ illæ, quæ nos hodieque vel maxime terrere possunt ac debent, fidei christianæ, ecclesiæque catholicæ migrationes ab una ad alias gentes, vel orbis terraquei partes, quales migrationes a primis ecclesiæ seculis a nobis præsertim, quibus salutares tunc fuerunt in ecclesia occidentali, observare par est. Dum interim, progrediente primo illo millenario, auspicium felix sumsit secunda eius epocha, regnumque ecclesiæ Christi, sec. IV. e statu presso eluctatæ sub imperatoribus christianis, quando iam christiana religio dominans magis magisque effloruit, ac maiorem splendorem accepit; auctum illis seculis in ecclesia occidentali, quibus orientalis paullatim variis hæresibus ac schismate, deinceps autem per Mahumedanismum amplius accisa, demum sec. XV. frustrata unione postrema cum ecclesia Romano-catholica in concilio Florentino cum imperio orientali penitus collapsa, impleto millenario suo, defecit.

Dum interea temporis etiam ecclesiæ occidentalis dominatus & auctoritas primum veluti per cuniculos, paullatim apertius, præcentore Wicleffo, lacessiri cœpit sec. XIV. in Anglia primum, & sec. XV. per Hussitas in Bohemia vi etiam externa, quæ longe lateque grassata prorupit sec. XVI. coniuncta cum doctrina, systema ecclesiæ apostolicum subvertente; ut vero, quod fidei catholicæ decessit tunc in Europa, alibi gentium compensatum accreverit. Expletur iam, pseudopoliticis in ipso ecclesiæ gremio caput erigentibus, millenarii alia epocha, inchoanda ab instaurato novo occidentali imperio per Francos, sub quo status ecclesiæ maxime effloruit, præsertim in patria nostra Germania, ad quam

SECULUM XVIII.

imperium occidentale devolutum hactenus stetit. Ex his aliisque hactenus, etiam subinde in libris superioribus huius historiæ dictis, epochæ illæ regni Christi in terris seu in ecclesia catholica dignoscuntur, atque resurrectionis primæ, in qua qui habet partem, beatus & sanctus prædicatur in communione sanctorum iuxta symbolum apostolorum, ritumque perennem ecclesiæ catholicæ in canone missæ expressum, alibique in cultu & patrocinio sanctorum conspicua illa communione, quam nobis ad rem præsentem explicat S. Ioannes Apoc. XX. *In his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis, Et cum consummati fuerint mille anni, postea solvetur satanas de carcere suo.*

Possunt etiam mille illi anni, quibus in communione sanctorum sacerdotes Dei & Christi regnabunt cum illo mille annis, ad mentem S. Augustini & aliorum indeterminate accipi, extendique ad novissima illa protritæ auctoritatis sacræ tempora, quibus iuxta S. Gregorium M. *Fides erit in opprobrium & veritas in crimen.* Suntque, qui verba illa Ioannis Apoc. XX. 7. de soluto satana: *Et exibit & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ:* ita accipiant, ut postremis temporibus ad Iudæos transferendum regnum Christi ita putent, ut etiam sedem apostolicam Hierosolymam transferendam existiment, quando ea Romæ aut tutum aut integrum non amplius habitura sit locum. Communiter vero Iudæi in fine temporum convertendi tandem existimantur ab Enoch & Elia; de quo Christus Matth. XVII. 11. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Iuxta apostolum (Rom. XI. 26.) constanter creditum fuit, Iudæos ultimis temporibus Christo nomen daturos. *Per hunc*, ut S. Augustinus testatur, *Eliam magnum admirabilemque prophetam exposita sibi lege ultimo tempore ante iudicium, Iudæos in Christum verum, id est, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus cordibusque fidelium.* Estius ad Rom. XI. locumque D. Pauli, quo dicit, omnem Israelem salvum fore, notat, de generali gentis Iudaicæ conversione nobis adhuc exspectanda, esse concordem Patrum omnium Græcorum & Latinorum expositionem: neque esse ullos, qui aliter interpretentur, præter paucos sectarios. Quid vero tunc de ecclesia, ex gentilibus congregata, futurum sit, iam ex præsenti rerum statu, semper in peius ruente, ad salutarem timorem coniicere possumus, & præmeditari, atque ex collabente christianismo a) novum gentilismum ominari. *Propter incredulitatem fracti sunt*, ait de Iudæis apostolus b), *tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis* non

a) *Leg. P. Weissenbach Verbothen des neuen Heidenthums &c.*

b) *Rom. XI. 21. &c.*

non pepercit; ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem Dei, si manseris in bonitate, alioquin & tu excideris. Sed & illi si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens enim est Deus iterum inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus oleastro, & contra naturam insertus es in bonam olivam: quanto magis ii, qui secundum naturam, inserentur suæ olivæ? Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes) *quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret.* Apostasiam futuram idem prædixit II. Thes. II. 3. & pericula postremorum temporum I. Tim. IV. & II. Tim. III. Et S. Petrus Epist. II c. III. 3. *Quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: ubi est promissio, aut adventus eius?*

Paullo post, veluti responsionem daturus interrogantibus de secundo adventu Christi, *unum vero*, ait, *hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus.* Pervagata fuit etiam apud Hebræos, apud nos vero a primordiis ecclesiæ sententia, sexies mille annis duraturum hunc orbem, ut videre est in notis Fr. Fevardentii ad S. Irenæum, qui S. Martyr post S. Iustinum M. explicat hanc sententiam a); *Quotquot enim*, inquit, *diebus hic factus est mundus, tot & millenis annis consummatur.* Photius in sua bibliotheca (cod. 202.) hanc opinionem S. Hippolyto vitio dat. *Cum*, inquit, *ne discipulis quidem rogantibus manifestaverit Salvator, ab Hippolyto deinde ad quingentos a Christo annos adduci, & circumscribi, quasi a prima mundi constitutione sex millibus annorum tum exactis eius dissolutio instaret.* Parum abludit ab hac computatione annorum mundi iuxta LXX Intt. in explicatione eiusdem sententiæ in divinis institutionibus Lactantius b), quem alibi memoravimus, sua ætate adhuc ducentos annos residuos agnovisse. S. Augustinus hanc opinionem quorumdam aliorumque, qui mundum demum octavo millenario interiturum volebant, in Psalm. 6. & 89. S. Ambrosius c) vero in Lucam explodunt adducto etiam S. Petri loco, *ut quoniam*, inquit, *scriptum est:* unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut unus dies, *sex annorum millibus, tanquam sex diebus impletis, sequatur vero sabbati septimus in annis mille postremis, ad hoc scilicet sabbatum celebrandum resurgentibus sanctis;* regno nempe illo millenario, post quod solvendus sit satanas, venturusque Antichristus, cuius notas in Apocalypsi passim

a) *Lib. V. c.* c. 28.

b) *Lib. VII.* c. 14.

c) *T. IV. p.* 22. & 954. *lib. VII. T. I. d.* 1412.

SECULUM XVIII.

Mahometi, ut apud laudatum Fevardentium legere eſt in not. in S. Irenæum a), adſcribunt regnoque Turcico, quod florentiſſimam Orientalem eccleſiam abſorpſit; ac domus quidem Ottomanica caput erexit poſt initia ſec. XIV. mille circiter annis poſt edictum Conſtantini imp. quo eccleſiæ pacem reddendo, eius regnum in terra conſtituit, ut etiam Grotius in cap. XX. 7. Apoc. notavit. Poſtquam vero ſec. XV. idem Turca capta Cpoli, penitus abſorpſit Imperium Orientale, deinceps etiam Occidentem inveſtavit; ubi ſeculo XVI. Eccleſia inteſtinis hoſtibus maxime concuſſa, regnumque eius deſtrui cœptum fuit incentore Luthero in Germania noſtra, in qua ante mille fere annos ſeculo VI. lux evangelii eluceſcens, deinceps magis magiſque etiam per Nigram Silvam noſtram O. S. B. coloniam propagata eſt, donec ſeculo VIII. integrum nobis diem attulerit, plenumque ſolem Chriſtum per S. Bonifacium & ſocios ſub auſpiciis Carolingicis, qui regno Chriſti maximum compararunt ſplendorem, paullatim obtenebreſcentem acciſo regno, de quo Ioannes Apoc. XX. beatum & ſanctum prædicat, *qui habet partem in reſurrectione prima: in his ſecunda mors non habet poteſtatem; ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis; & cum conſummati fuerint mille anni, ſolvetur ſatanas de carcere ſuo, & ſeducet gentes &c.*

a) p. 100.

Neutiquam aberrarunt priorum eccleſiæ ſeculorum SS. Patres, dum præ oculis habentes tempora illa antichriſtica perſecutionum, eccleſiæque preſſæ, imminentem Imperii Romani ruinam ſunt ominati, ceu occaſum ac præludium quoddam univerſalis conſummationis ſeculi poſt regnum millenarium eccleſiæ Chriſti in terris, gentiliſmo exterminato funditus, & exciſo, veluti ruderibus Imperii, ac monarchiæ Romanæ ſuperſtruendum iuxta propheticam Danielis II. interpretationem ſomnii regis Nabuchodonoſor de quatuor regnis ſibi mutuo ſucceſſuris, *donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos.* Eſt hæc monarchia quarta Romana, cuius fata poſt Chriſtum S. Ioannes in Apocalypſi deſcribit uſque ad caput vigeſimum, huius autem initio regnum eccleſiæ Chriſti, iuxta Danielem nempe: *Lapis qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus & implevit univerſam terram.* Deinceps S. Ioannes in Apocalypſi capite vigeſimo a verſu octavo & ſequentibus ſtatum eccleſiæ uſque ad conſummationem ſeculi adumbrat, ac *abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele propheta* iuxta effatum Chriſti Matth. XXIV. ubi excidium Templi urbiſque Hieroſolymitanæ prædicit cum conſummatione ſeculi

per

per ignem, cuius excidium illud Hierolymitanum veluti præludium quoddam eſt, perinde ac ruina regni illius, quod de monte abſciſſus lapis comminuit. Imperium Romanum nempe ſic paullatim, quomodo regnum Chriſti per orbem excrevit, dilapſum in quibuſdam reliquiis per Italiam ac penitus ſeculo octavo diminutum, inſtaurato novo per reges Francicos. Animadvertere autem licet, quod ſicut ſenſim ſenſimque regnum Chriſti ſacrum acciſo profano Romano excrevit, ita pedetentim iterum decreſcere cœperit poſterioribus illis ſeculis, quibus maxima videbatur eſſe de religione contentio turbulenta admodum & truculenta per armorum ſtrepitum, poſt mille, ut eſt ab Hugone Grotio in Apoc. a) notatum, a Conſtantino M. annos, quando religio per arma propagari cœpit, ut idem obſervat Grotius. *Audituri enim eſtis*, ut nos præmonuit Chriſtus, *prælia, & opiniones præliorum. Videte ne turbemini, oportet hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis.* Ut hæc ſigna præcedere debebant excidium Hieroſolymæ, ita etiam conſummationem ſeculi, de qua nos perinde ac de mortis articulo incertos ac ſuſpenſos eſſe voluit & de periculis poſtremorum temporum ſollicitos divina nemeſis.

SECULUM XVIII.

a) *T. VIII. Critic. ſacr. p.* 541. 587.

Verum tamen inconcuſſa ſemper ſtabit Chriſti eccleſia: dum nunquam deerunt, qui fideles inſtruant, quemadmodum Paulus ad Timotheum b): *ut*, ait, *ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Mox vero eundem, & iterum II. Tim. III. 1. Petrus etiam ep. 2. III. 3. &c. & Iudas 18. de periculis noviſſimorum temporum commonent, ipſeque Chriſtus Math. XXIV. 21. futuram tunc tribulationem tam magnam prædicit, *qualis non fuit ab initio, neque fiet; & niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro; ſed propter electos breviabuntur dies illi.* Salva tamen ſemper (ſub ſucceſſoribus eorum, quibus dixit Chriſtus: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*) erit, ut diximus, eccleſia, ſupra petram fundata, *& portæ inferi*, ſoluto licet in fine temporum e carcere ſuo ſatana, *non prævalebunt adverſus eam.*

b) 1. *Tim. IV.* 15.

XXXIII. Ad finem vergente ſec. XVII. ſermone Belgico edidit Balthaſar Bekkerus librum, *de betroouerde Weereld, mundus faſcinatus*, inſcriptum: in quo diabolum lapſum ſtatim in locum ſuppliciorum detruſum aſſerit, ibique perpetuis vinculis ita vinctum fuiſſe, ut ex iſto haud exire, nec inter homines verſari, ac negotium ſuſcipere queat. Contra hanc ſententiam, S. ſcripturæ utriuſque teſtamenti adverſam, agmina ſtatim ſcriptorum prodierunt. Fuerunt tamen ac ſunt etiamnum, qui diabolum ſtatim a Chriſto ligatum tenent, ex Proteſtantibus utique: nam

Dæmonurgia.

Catholicus

Catholicus quisque, qui agnoscit ordinem exorcistarum a primis ecclesiæ seculis constanter conservatum, nec ea omnia leviter exsibilat, quæ a probatissimis scriptoribus continua seculorum serie sunt memoriæ prodita, non sinet sibi extorqueri firmissimum hoc ac manifestum veræ ecclesiæ catholicæ firmamentum ac singulare donum potestatis in dæmones, in ecclesia ab apostolis relictum, & ab ea semper exercitum. Neque sese incurios reddere permittent, quos cautos ab insidiis diaboli volunt Christus, eius apostoli, & constans sanctorum Patrum omniumque deinceps doctorum catholicorum sententia, qui diabolum perinde ac corruptionem naturæ nostræ fidelibus etiam, a quibus ante baptismum quidem exorcismis ecclesiæ est expulsus, relictum tamen agnoscunt ad exercitationem argumentumque, *quam magno eius malo*, ut cum S. Augustino (lib. XX. de civit. Dei c. 8.) *de alligatione & solutione diaboli*, loquar, *tam bene usus fuerit omnipotens, qui eum nec omnino abstulit a tentatione sanctorum, quamvis ab eorum interioribus hominibus, ubi in Deum creditur, foras missum, ut forinsecus eius oppugnatione proficerent, & in eis, qui sunt ex parte ipsius, alligavit, ne quantam posset, effundendo & exercendo malitiam, innumerabiles infirmos, ex quibus ecclesiam multiplicari & impleri oportebat, alios credituros, alios iam credentes a fide pietatis hos deterreret, hos frangeret; & solvet in fine, ut quam fortem adversarium Dei civitas superaverit, cum ingenti gloria sui redemtoris, adiutoris, liberatoris, adspiciat.* Generatim hic de insidiis, quas a tentatore diabolo patitur homo, loquitur; S. Ambrosius vero lib. I. de pœnitentia c. 14. quod inscribitur: *De exhortatione ad castimoniæ puritatem atque fomentorum luxuriæ resecationem: quod satan quoque auctor sit debilitatis, in cuius potestatem per excommunicationis censuram plerique dantur ad tempus*, satanam *corporalis huius contritionis & carnalis auctorem debilitatis* ex scriptura exemploque S. Pauli ostendit dicentis: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet, ut non extollar.* Qua de re non est hic locus, varias interpretum recensere opiniones, etiam de cruciatu corporum locum explicantium; quod quidem in energumenis manifestum est, alias non item, ut iam Disquisit. vet. lit. Alem. n. 43. observavi de muliere, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, Luc. XIII. 11. eodemque referente Act. X. 38. S. Petrus de Christi miraculis locutus, *qui*, ait, *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos a diabolo.* S. Augustinus adducto S. Pauli & Iob exemplo, *dolores autem corporum*, inquit (enarratione in Psal. CXXX. n. 7.) *plerumque immittuntur ab angelo satanæ.*

Rem

Rem hanc innumeris exemplis comprobatam reddidit proximis annis Ios. Gaſsner diœceſis Curienſis presbyter & parochus in *Clœſterle*, ad quem etiam ex Nigra Silva noſtra hominum multitudo concurrit, dum an. 1774. ex ſua parochia, ubi primum in ſeipſo, deſperata ſuis in infirmitatibus medicorum cura, atque etiam paſſim in aliis rei ſtupendæ experimenta dederat, in Sueviam excurrens, in monaſterio Salemitano exemti Ciſterc. Ordinis aliquot hebdomadas curandis huiuſmodi dæmoniacis morbis totum ſe impendit. Rei novitate percepta, litteras ad Claudium Noll, conſiliarium eccl. Em. Cardin. de Rodt, ſeminarii diœceſis Conſtant. Regentem dedi, reſponſumque tuli, maximum noſtri ævi exorciſtam habendum eſſe Gaſsnerum. Idem tamen Nollius, cum res nimium progredi videretur, præcipuus auctor poſtea fuiſſe creditur Eminent. Cardinali de Rodt epiſcopo Conſtantienſi contra Gaſsnerum, facto certe in epiſcopis aliis etiam haud improbando, ut novis inſolitiſque huiuſcemodi rebus emergentibus, eas rigidiſſimo examini curent ſubiiciendas, ne qua fraus aut ludificatio, quæ ſi uſpiam in hac re facilis eſt, intercedat. Evocatus Gaſsnerus ab epiſcopo Ratisbonenſi Ant. Ig. Ioſepho comite de Fugger, aliquamdiu Elwangæ eandem exorcizandi in nomine Ieſu vim concurſu innumerabilis populi ita comprobavit epiſcopo, ut idem ei negotium in ſede epiſcopali Ratisbonæ committeret coram facie non ſolum civium Proteſtantium, verum etiam legatorum ad comitia Imperii Romano-Germanici, ibi ſedem figentium. Fuitque ibi maior adhuc undequaque hominum, opem flagitantium concurſus, Proteſtantium etiam atque Iudaicæ gentis. Reſque omnis palam & ordinate coram iuratis teſtibus medicis etiam eſt acta. Habui quoque ibi ego amicos exploratores, quorum tamen teſtimonio non utar nec etiam protocollorum, quibus quæque ſunt conſignata geſta, quæ nec ab adverſariis Proteſtanticis negari poſſunt quoad effectus exorciſmorum probativorum, quos ſingulis in caſibus præmittere ſolebat Gaſsnerus, præcipiens in nomine Ieſu dæmoni, ut languoris effectum in infirmo oſtenderet, eo etiam quandoque gradu, ut arteriarum pulſus morientis eſſe a medicis cenſeretur. Quod palam facit diarium teſtis minime ſuſpecti P. Ferdinandi Sterzinger Theatini presbyt. qui dæmonurgiæ iuratus hoſtis Monachio Ratisbonam, rei explorandæ cauſa, advenerat, dumque effectus, quos viderat, negare non poſſet, ad ſecretum quoddam naturale, magiæ forte naturalis aut vis magneticæ retulit cauſam, ſic demum argumento collecto, Deum rem non agere, dæmonem agere non poſſe, ergo naturalem eſſe. Cel. medicus Viennenſis de Haen, operoſius ſingulari libello rem tractans, tandem quo ſe vertat, non ſatis ſibi, nec le-

SECULUM XVIII.

gentibus constat, haud postrema causa, cur tandem rescripto cæsareo an. 1775. iniunctum sit episcopo Ratisbonensi, Gassnerum propter quædam, quod diffitendum haud est, inconvenienter gesta, reipublicæque gravia & civibus molesta removere ab urbe conspectuque legatorum Protestantium; quibus tamen, Lutheranis saltem, auctoritas ipsius Lutheri opponi potest, prout eam nunc primum P. Aloysius Merz Augustanus controversista publici iuris fecit ex promtuario exemplorum Andreæ Pondorf Francoforti an. 1595. ed. in hanc sententiam: *De phreneticis sic sentio, omnes, qui usu rationis privantur, a dæmonibus vexari, non quod damnati sint ideo, sed quod variis modis satan homines tentat alios gravius, alios levius, alios longius. Quod medici multa eiusmodi tribuunt naturalibus causis, & remediis aliquando mitigant, fit, quod ignorant, quanta sit potentia & ius dæmonum. Christus non dubitavit curvam illam anum in evangelio vinctam a dæmone dicere. Et Petrus Act. X. oppressos a diabolo dicit, quos Christus sanarat: ita etiam multos surdos, claudos malitia satanæ tales esse, Deo tamen permittente: denique pestes, febres, atque alios graves morbos opera dæmoniorum esse, qui & tempestates, incendia, frugum calamitates operantur. Summa, mali sunt angeli, quid mirum si omnia faciant mala, humano generi noxia, & pericula intentent, quatenus Deus permittit. Exemplum Iob indicat, quid passus sit a satana, quæ medicus omnia naturaliter fieri & curari assereret. Sciendum igitur, phreneticos a satana tentari, saltem temporaliter. An satan non faceret phreneticos, qui corda replet fornicatione, cæde, rapina, & omnibus pravis affectibus? Summa: satana propior nobis est, quam ullus credere possit, cum sanctissimis propinquissimus sit adeo, ut ipsum Paulum colaphizare, & Christum vehere possit, quorsum velit.* Propius nos ad institutum nostrum revocant monita S. Macarii Ægyptii ad monachos, quæ hodie in aliorum etiam utilitatem sanitatemque mentis & corporis implere non pauci student, habetque sectatores Gassnerus, pie iam defunctus an. 1779. non solum ex-Iesuitas aut alios religiosos vel sacerdotes, sed viros etiam principes, nec genere modo sed suis quoque meritis in republica litteraria & politica claros, ex quibus non pauci ad studium religionis & pietatis his visis signis sunt reducti. Sed, quod ad nos propius attinet, iam laudatum S. Macarium homilia XLVIII. a) audiamus; *Cognosce ac scrutare teipsum, inquit, num aliquando morbi corporei ad medicos terrenos te deducant; perinde ac si Christus, cui credidisti, nequeat te curare. Vide, quo pacto te ipsum decipias, qui putas te credere, qui nondum, ut oportet, vere credis! Si enim æterna & incurabilia immortalis animæ vulnera & vitiosas affectiones*

a) *T. VII. Bibl. Patrum ed. novæ Venet. p. 153.*

affectiones credidisses a Christo curari, crederes quoque, eum posse curare temporaneas corporis affectiones & morbos, atque ad eum solum confugeres, neglecta medicorum industria & cura. Qui enim animam condidit, ipse quoque corpus creavit: & qui illam immortalem sanat, idem quoque corpus a temporaneis affectionibus & morbis curare potest. At vero plenius nos S. Antonius monachorum parens instruit de infestationibus dæmonum, atque contra easdem munit in sermone, quem S. Athanasius eiusdem vitæ integrum inseruit.

Seculum XVIII.

XXXIV. Quis vero sibi in animum induceret, in tanta hodie facultatum animæ ostentatione dicam, an materialistarum colluvie, societates coire magiæ necromantiæque deditas? qui nescio quos antiquissimorum Gnosticorum Eonas ab inferis revocent; septem spiritus, quorum sex septimum generent, fingant, luciferum, luciferianumque mundum, Adamum cœlestem, montemque magicum ac lapidem, magicam Adami alchymiam, qua quidquid magice vellet, etiam in margaritas aurumque converteret. Eo demum redit magica illa ignea virtus seu efficax voluntas, magia ac Theosophia chymica, antesignano Iacobo Bœhmio, prout Io. Sal. Semler in litteris ad amicum Helvetum præterito primum anno comparationem instituit inter neotericorum horumce epistolam quandam pastoralem ac Iac. Bœhmii scripta, *auroram*, *mysterium magnum &c.* & Sinceri Renati *Theosophiam theoretico-practicam*; literasque initiales epistolæ illi pastorali impositas sic interpretatur: *Ordinis Crucis Directores Nostros Socios Electos.* Crucis nimirum roseæ fratres indicantur, seu ordo, qui originem ducit a monacho quodam Teutonico ex nobili familia an. 1378. nato. Eius ordinis apologiam a famoso Anglo D. Fludd scriptam idem Semlerus in linguam Germanicam translatam cum suis additionibus edidit, iisdem refertam pseudo-mysticæ ac magiæ næniis, ut editor haud diffitetur: memoratque alia eorundem fratrum scripta præteriti seculi, in quibus magnus mons magicus invisibilis, commercium cum incolis aeris, aquæ, ignis, variis spiritibus ac lamiis celebratur: magis magisque degenerante instituto in tenebris nato, hactenusque palpitante sine duce sine luce, necquicquam morante magno principe & mago omnium spagyrorum, qui imperator fertur fratrum roseæ crucis. Principem illum spagyrorum potius ab ἀργύρῳ dixerim. eo enim potissima contentio ac studium collimasse dici potest huiusmodi Adeptorum ac Theosophicorum Chymicorum seu Alchymistarum, ut pulvere aureo suis & aliorum oculis iniecto fascinarent, seu fascinatum illum sibi imaginarentur *mundum*, ut vocant, *postluciferianum*, regem mundi, salvatorem

Magosophi, Adepti.

SECULUM XVIII.

naturæ, tincturam auri, lapidem philosophicum. Sunt hæc horumce mysteria ac contentio, intima naturæ rimandi, spiritus sibi familiares reddendi per necromantiam, evocandique dæmonas: hoc naturæ regnum, quod sibi, ætatemque auream non verentur polliceri a Iesu suo (certe non nostrum, nisi blasphemando obtendere possunt) mysticis suis somniis ac deliriis atque etiam hieroglyphicis signis.

Liberi murarii.

XXXV. Ab his omnibus & singulis immunes prorsus non sunt singuli ingentis illius per orbem undique gentium dispersæ ac quotidie incrementa sumentis, iam etiam in Nigra Silva nostra civitate donatæ sodalitatis liberorum murariorum (Freymaurer). De quo quidem ordine a me, non initiato, tanto minus exspectare licet, quanto sacrosanctum imprimis in eo silentii est iuramentum, in ipso aditu deponendum a candidato, se nihil eorum revelaturum mysteriorum, quæ ipsi suo tempore revelanda sint, quove nonnisi per gradus devenitur, habentque more Pythagorico suos exotericos, & esotericos, ipsaque mysteria ceremoniis histrionicis ac signis hieroglyphicis involuta, præstigiis similia; quibus tamen initiantur tot ac tanti, ex quibus sunt, qui religionis ceremonias ac mysteria derident; ultroque despotismum acceptant quemdam, qui ecclesiæ Christi obsequium fidei detrectant: cum ipsi tamen plerique in tenebris palpent, multi quidem vocati, pauci vero electi, ut dicere solent, per classes mysteriis suis initiati.

Illuminati.

Apud eam etiam singularem societatem, quæ *Illuminatorum* dicitur, sunt minus aut magis illuminati, uti legere est in depositione testis primi Io. Sulpitii Cossandey, presbyteri & professoris. Monachii an. 1785. facta auctoritate publica. Sic se *illuminatum minorem* tandem post probationem diuturnam renunciatum testis secundus Vitus Renner presbyter item & professor Ducalis academiæ profitetur. Duobus his testibus tertius concordat Ios. Uzschneider professor pariter ac electoralis cameræ præfectus, de eo, nam id unum saltem adhuc notare lubet, quod de autochiria uno ore deposuerunt, quam suis superiores ordinis deprædicent, quasi etiam cum voluptate quadam, quam tertius testis cœlestem ab illis venditari dicit, coniunctam, atque ad fines quosdam propositos necessariam, promtumque in desperatis quibusvis casibus perfugium, dum, ut dicere amant, *patet exitus*, per suicidium nimirum, suscipiendum potius, quam ut ordinis arcana revelentur, aut gravius aliquid intentetur, periculumque immineat. Quod proclive esse potest hoc in ordine, si, quod idem testis deposuit, statuat, finem sanctificare media ad illum assequendum, existimetque ad emolumenta prosequenda omnia licere, calumnias, venatio-

nenationes, homicidia, periuria, proditiones, rebelliones, quæ hominum præiudicio mala censeantur, unice sibi proposito fine, ad restringendos compedes ac servitutis vincula potestatis utriusque sacræ & profanæ, atque liberos homines felicesque reddendos, & a vi securos. Taceo quæ porro testis ille tertius de interno ordinis illuminatorum statu prodit, qui si existat, an non ille longe lateque per orbem dispersus prodromus dici queat in præparationem Antichristi, qui ante consummationem seculi terraquea, subterraquea inferni potentia fultus, utriusque reipublicæ sacræ & profanæ interitum persecuturus est, ecclesiæ imprimis ac religionis, cui qui obsequium fidei præstant (quod obsequium illi præiudicia vocant) tales secundum depositionem primi testis *religionarii* omnis altioris apud eosdem gradus incapaces habentur. Perinde etiam citatus Semlerus p. 132. genuinos quosque liberos murarios papismi, i. e. ecclesiæ Catholicæ esse hostes irreconciliabiles ac perpetuos profitetur; dum tamen illi tam liberi murarii quam illuminati nihil contra religionem se aut statum agitare asserunt, ac iurant, contra conscientiam item; eo excessu, ut licentia degeneret in libertatem conscientiæ principiis catholicis adversam: idem est, quod liberi quidem murarii (secus ac illuminati, qui axioma suum *aude sapere* ultra omnem religionis sensum extendunt) irreligiosos quidem a sua societate excludunt, cuiuscunque tamen religionis homines admittunt; quæ ratio est, quam Clemens XII. in sua Bulla *In Eminenti* urget, qua societates *de liberis Murariis* damnat, *in quibus*, inquit, *cuiuscunque religionis, & sectæ homines arcto æque ac impervio fœdere, secundum leges & statuta sibi condita, invicem consociantur, quæve simul clam operantur, tum districto iureiurando ad sacra Biblia interposito, tum gravium pœnarum exaggeratione, inviolabili silentio obtegere adstringuntur.* Iuvat has aliasque rationes ex Bulla Benedicti XIV. hic describere: *Porro inter gravissimas præfatæ prohibitionis & damnationis causas in præinserta constitutione enuntiatas, una est, quod in huiusmodi societatibus & conventiculis cuiuscunque religionis, & sectæ homines invicem consociantur: qua ex re satis patet, quam magna pernicies catholicæ religionis puritati inferri valeat. Altera est arctum, & impervium secreti fœdus, quo occultantur ea, quæ in huiusmodi conventiculis fiunt: quibus proinde ea sententia merito aptari potest, quam Cæcilius Natalis apud Minucium Felicem in causa nimium diversa protulit:* Honesta semper publico gaudent, scelera secreta sunt. *Tertia est iusiurandum, quo se huiusmodi secreto inviolabiliter servando adstringunt, quasi liceat alicui, cuiuslibet*

 promis-

SECULUM XVIII.

promiſſionis, aut iuramenti obtentu ſe tueri, quo minus a legitima poteſtate interrogatus, omnia fateri teneatur, quæcunque exquiruntur ad dignoſcendum, an aliquid in huiuſmodi conventibus fiat, quod ſit contra religionis, aut reipublicæ ſtatum & leges. Quarta eſt, quod huiuſmodi ſocietates non minus civilibus, quam canonicis ſanctionibus adverſari dignoſcuntur: quum ſcilicet iure civili omnia collegia, & ſodalitia præter publicam auctoritatem conſociata prohibeantur, ut videre eſt in pandectarum lib. XLVII. tit. 22. de collegiis ac corporibus illicitis, *& in celebri epiſtola C. Plinii ſecundi, quæ eſt XCVII. libri X. in qua ait, edicto ſuo ſecundum Imperatoris mandata, vetitum fuiſſe, ne hetæriæ eſſent; id eſt, ſocietates & conventus ſine principis auctoritate iniri & haberi poſſent. Quinta eſt, quod iam in pluribus regionibus memoratæ ſocietates, & aggregationes ſecularium principum legibus proſcriptæ atque eliminatæ fuerant. Ultima demum, quod apud prudentes & probos viros eædem ſocietates & aggregationes male audirent, eorumque iudicio, quicunque eiſdem nomina darent, pravitatis, & perverſionis notam incurrerent.*

Circumfertur Henrici VI. regis Angliæ (qua tamen in regione paſſim hæc ſocietas a celebri Cromvello poſt duo ſecula demum inſtituta primum creditur) decretum contra liberos murarios, promittiturque integra collectio huiuſmodi decretorum: dum interim ſpeciminis loco elenchum nobis Ericus Servati dedit eorum, quæ ſeculo hoc XVIII. variis in regionibus contra hanc ſocietatem a ſummis poteſtatibus ſunt decreta: ac quidem an. 1735. a ſtatibus Belgicis ipſum nomen eſt antiquatum; ut tamen ibi gentium hodie perinde ac in Boruſſia, Suecia (ubi an. 1736. ſub pœna capitis fuerat prohibita) ac Anglia toleretur. In Gallia an. 1737. commercium etiam cum liberis murariis fuit interdictum: proximo autem an. 1738. a Clemente XII. bulla contra hunc ordinem a nobis memorata fuit publicata; qui eodem anno a Carolo VI. in Flandria fuit proſcriptus, uti etiam an. 1739. ab Auguſto II. Poloniæ rege, excommunicationis pontificiæ ſententia ad valvas eccleſiarum appenſa. Idem ordo an. 1740. a Philippo V. Hiſpaniarum, & an. 1743. a Ioanne Portugalliæ rege graviſſimis pœnis prohibitus eſt: an. 1741. in Italia Florentiæ, Parmæ, & ab aliis Ducibus, in Maltha item ſacræ Inquiſitioni hæreticæ pravitatis traditus excutiendus. An. 1751. prodiit Bulla Benedicti XIV. a nobis deſcripta: an. 1764. a Maria Thereſia Imp. ordo idem fuit proſcriptus, an. 1781. Neapoli a Ferdinando V. diſſipatus ac mulctatus: an. 1785. a Duce Venetiarum prohibitus, magiſtro in exilium miſſo: eodem anno ſeveriſſime in Bavaria iuſſu Caroli Theodori proceſſum eſt

contra

contra ordinem Illuminatorum, quos vocant, eodem anno cum Minervalibus etiam a Iosepho II. Imp. repressos: contra quos, ut meminimus, Monachii anno præterito inquisitio instituta fuit, ac testium memoratorum depositio facta. Dum hæc scribo, iussu electoris Palatini Bavariæ Ducis ad absterrendos quosque ab eiusmodi, ut in præfamine appellantur, epidemicis sectis, institutis ad decipiendos incautos, emungendas pecunias, atque pervertendam obscurandamque veritatem ac mores corrumpendos potius, quam emendandos, quod præseferunt, in lucem prodeunt autographa ordinis illuminatorum, nunc primum Landishuti an. 1786. in domo consiliarii regim. Zwack detecta. Quæ quidem dum obiter lustro, nam ut pervolverem grandibus inanibus referta, a me impetrare non potui, fugitivo tantum oculo notavi passim ingens illud partium suarum ac sociorum fortunas & existimationem iuvandi studium & contentionem, communem ipsis cum liberis murariis; tum præter arrogatum societati ius vitæ necisque, irrestrictam item iuratamque ordini obedientiam cum omnimoda cæteroquin conscientiæ libertate ad Atheismum usque, dum p. 118. liber quidam, qui Amstelodami an. 1784. prodiit, commendatur, quo palam adstruitur Materialismus & Atheismus; ita, ut, prout aperte dicitur p. 133. Athei potius in ordinem suscipiantur, quam superstitiosi, quos vocant, qui aliquo religionis cultu obstricti sunt: potiusque velint admittendos, qui nullum Deum credunt, quam qui iratum vindicem malorum: siquidem Atheismus ex impia sententia delectationem suam ac felicitatem unice in vita sociali statuat &c. p. 134. Quæ a nobis non abs re memorantur, cum p. 315. emissarii etiam Friburgum Brisgoiæ urbem Nigræ Silvæ conterminam destinentur, ubi hactenus brevique a tempore admissa semel liberorum murariorum societate facile ad ulteriora fieri excessum proclive est, pronumque, ut cancri instar, in tanto sese dilatandi multiplicandique studio ac contentione, serpat mali contagio. Etsi vero imperator in litteris patentibus de ordine liberorum murariorum ignarum se arcanorum ordinis ac incuriosum ludicrarum histrioniarum professus, ludibrio exposuit; novissimus nihilominus scriptor Viennensis, socius quondam ordinis, licentiam illam imprimendi, tolerantiam religionum, ac reformationem religionis &c. huius ordinis occultis moliminibus palam tribuere haud est veritus; ausa etiam est scelesta manus in ipsis ad Deum principis precibus tolerantiam usque ad Atheismum supponere.

Nec variæ illæ defecerunt penitus classes sodalitatum spuriarum, quas memoravimus, & ex iis fratres roseæ crucis, socios magnæ lucis, steriles

SECULUM XVIII.

les nuptias chymicas actitantes. Observare adhuc licet alchymistas mendicos, corruptæ phantasiæ magosophos, brutos sidereorum, terraqueorum, subterraqueorum spirituum evocatores, cultores mundi lucidi, ignei, abyssum, profundum rimantes, ima ruspantes, lapidem philosophicum consectantes: Theosophos asophos, deliros Bœhmii, Paracelsi, aliorumque mysticorum sectatores, illiteratos arcanorum hieroglyphicorum scrutatores, ac stolidos, vix sui ipsorum conscios, illotis manibus sesemet mysteriis initiantes, mente sana captos, & sensibus. Utque compendio omnia complectar, ostentat seculum hoc luminosum alchymistas chymiæ expertes, magosophos materialistas, Sadducæos, & Herodianos; irreligiosos religiosi cultus statores, & arbitros magisterii ecclesiastici expertes: veræ religionis ac ecclesiæ haud magis quam vitæ religiosæ studiosos.

Monasterium Schuttern.

XXXVI. Iam supra, ut ad nos redeamus, distinximus duas patriæ nostræ, Galliæ ad Rhenum propinquæ, epochas seculo hoc XVIII. quarum altera a dimidio seculo ob fœdus Galliæ cum Austria felix post pacem Aquisgranensem decurrit, monasteriis Nigra-Silvanis Rheno propinquis imprimis fausta.

Turbulenta maxime tempora expertus est Iacobus II. abbas Schutteranus, quem iam superiore libro laudavimus germanum fratrem Romani abbatis San-Blasiani, calamitosis belli temporibus adhuc erepti e vivis ante finem seculi præteriti, quæ fratrem suum Iacobum abbatem Schutteranum manserunt ineunte hoc sec. XVIII. qui in necrologio Schutterano placidissime obdormisse dicitur die sexto Octobris anni 1708. *vix ulli prædecessorum suorum secundus, ætatis suæ 53. mense uno & 23. diebus, natus Engæ in Hegovia 13. Aug. 1655. in abbatem electus 13. Ian. 1688. Qui monasterium iniquissimis etiam belli temporibus de novo construxit, nullis debitis relictis. Disciplinæ fuit strenuus zelator non tantum, sed & reformator: solers omnium artium cultor non vana ex curiositate, sed ut in omnibus glorificetur Deus. Monachorum numerum valde deficientem ad usque fere 30. adimplevit. Cuius dilectissimi Patris mors non solum filiis, sed & inimicis, si quos habuisset, fuisset deplorabilis.*

Successori suo Placido II. de Hinderer placidiora fuerunt post pacem redditam tempora, quibus immortuus est an. 1727. fruitusque etiam eius successor Franciscus Munzer primis regiminis annis. Sustinuit tamen postea bellum non diuturnum an. 1733. gravius vero exarsit post mortem Caroli VI. ab an. 1741. quo bello an. 1744. urbs Friburgensis a Gal-

a Gallis obsessa & capta fuit. Pace deinde reddita gaudere potuisset monasterium Schutteranum, ac pacate degere, nisi turbas intestinas ab ipsis rebellibus subditis sustinuisset. Frustra in iis dirimendis Franciscus abbas lassatus, mortuus an. 1753. eas componendas successori Carolo Vogel reliquit, qui nihil non egit ad conciliandam sibi cum suis intestinam pacem. Anno 1770. pacis publicæ arrham in suis muris solemni pompa Mariam Antoniam Austriacam Ludovico tunc Delphino sponsam accurrentem excepit. Quæ maritum an. 1775. renunciatum regem an. 1778. filia, an. 1781. vero filio, regnum adeo Galliarum Delphino hærede beavit, in spem perennaturi fœderis, ad pacificandum utrumque Rheni litus. Senio iam gravis Carolus dignitate ultro se abdicavit, successorem nactus an. 1786. die 27. Iunii P. Placidum Bacheberlein, Oberkirchensem ex Ortenavia, ac Præpositum in Wipperskirch haud procul Friburgo Brisgoviæ; quem boni superi diu sospitem servent atque incolumem. SECULUM XVIII.

XXXVII. Monasterii Gengenbacensis abbatem præstantissimum Augustinum Muller Wila in Turgovia Helvetiæ, ditionis principalis monasterii San-Gallensis oriundum, a puero vero inter pietatis & doctrinæ exercitia in monasterio Gengenbacensi enutritum, iam laudavimus libro superiore anno 1696. in abbatem electum, insignem litterarum litteratorumque amatorem & cultorem; qui in rebus gerendis dexterrimus, consiliis & opera non suo solum Argentinensi ordinario, sed episcopo etiam Tullensi de *Camiliis* in arduis negotiis præsto fuit; oblatam tamen non semel a Cardinali de Furstenberg episcopo Argentoratensi vicariatus & officialiatus dignitatem ex hac parte Rheni invicta humilitate recusavit: uti hæc aliaque eius præclare gesta, virtutes, ingeniique dotes insignes, (quas inter bellorum primum turbas æque, ac postea reddita pace, ad an. 1726. usque, quo pie in Domino, ut vixit, obiit pastor optimus, demonstravit) in eius laudem prosequitur anonymus chronista ex suis testis oculatus in spicilegio eccles. apud Lunigium (T. III. p. 293. *Teutschen Reichsarchiv.*) ubi etiam legitur confirmatio privilegiorum imperialis monasterii sui, eidem abbati an. 1712. a Carolo VI. imp. data. Gengenbach.

Successorem habuit Paulum Seger Gengenbacensem, meritis haud imparem, qui studio disciplinæ monasticæ & litterarum a gentili suo Blasio III. abbate S. Blasii ex congregatione San-Blasiana Priorem postulavit P. Bonifacium Moyses (qui redux per plures deinde annos Subprio-

SECULUM XVIII.

rem egit apud suos) professorem vero Meinradum Troger, inde accitum professorem philosophiæ in academia Salisburgensi & postea abbatem S. Blasii, ut postea videbimus.

Mortuo Paulo an. 1743. in abbatia successit Benedictus Riescher Manheimensis, qui cum aliis sodalibus studiis theologicis in monasterio S. Blasii operam navaverat; præstantioris ingenii, quam moderati consilii vir, cui non semper eventus in selectu litteratorum, quos ex suis excoluit, respondit. Instar vero omnium fuit indefessi vir laboris P. Augustinus Dornblüt, pluribus in lucem editis operibus clarus, quæ recensentur in appendice tomi tertii hist. liter. Ord. S. Bened. p. 657. ad an. 1754. quo adhuc vixit in suo monasterio venerabilis senex, continuis laboribus litterariis intentus.

Anno 1763. Benedictus abbas, abdicato munere successorem salutavit Iacobum Mariam Trautwein hodieque, utinam diu, sospitem, abbatem optime de suo monasterio meritum ac merentem.

Ettenheim-münster.

XXXVIII. Monasterium Ettenheimense ineunte hoc seculo sub Mauro abbate eiusdem ac suus antecessor Franciscus patriæ Rosacensis, sed ex gremio monasterii an. 1686. electo, undique pressum inter sacrum & saxum hæsit. *Illato* (narrationem suam concludit doctissimus P. Bernardus Muggius Ettonianus ad an. 1702 Argentinæ tunc studentium fratrum monachorum superior) *an. 1702. ab imperatore Alsatiæ bello contra Galliarum regem, eandem occupantem, Landavio arce a cæsareanis de facto conclusa & coarctata, dum male sibi metuunt Argentinenses, ne forte obsidione cingantur, & nos quamdiu ibidem subsistere concedatur, incertum habeamus, huius materiæ scriptioni coacti sumus imponere finem anno* 1702. 19. *Iunii.*

Fatis cedenti an. 1704. Mauro abbati successit Paulus Vogler eiusdem patriæ ac familiæ cum Romano abbate S. Blasii & Iacobo Schutterano, quem paulo ante memoravimus.

Paulus etiam brevi fatiscens, totque ac tantis succumbens malis, quibus deprimebatur cum suo monasterio, quinto regiminis anno defunctus 1710. abbatiam Io. Baptistæ, Friburgi ex spectabili Ekiorum familia oriundo, reliquit, cum adhuc omnia armis perstreperent, nec ab hoste tantum, sed etiam ab episcopo Argentoratensi sæpius bona monasterii occuparentur, lite inter episcopum & Austriæ anterioris status de territorio pendente; cumque utraque pars impensis monasterii ius suum prosequeretur, atque collegium prælatorum anterioris Austriæ in partes

collecta-

collectarum traheret, quas episcopus sibi vendicabat, primo adhuc fundationis titulo, etsi præter fundationem Ruthardi & decimas in præfectura Ettenheimensi ab Ettone acceptas, vix aliquid residui esset monasterio, præter ea, quæ in aliis ditionibus possidet titulo donationis, emptionis vel permutationis. Commodo causæ episcopi accidit, quod Austriaci collectas de bonis monasterii in ditionibus tantum Austriacis expeterent, titulo Landsassiatus posthabito, quem adeoque Argentoratensis tanto magis magisque urgebat; abbas vero non minus strenue, favente etiam aliquando cancellaria aulica Austriaca, rem suam apud consilium aulicum agebat Viennæ, ibi an. 1740. defunctus, dum eodem adhuc anno rem placide cum episcopo transegit. Eidem post mortem subrogatus abbas fuit Augustinus Dornblüt, cognominis viri doctissimi, quem mox laudavimus Gengenbacensem monachum, ex fratre nepos. SECULUM XVIII.

Abbas hic Augustinus pacificus musas fovit in suo monasterio, inter cæteros duos nutriens fratres germanos doctissimos, Germanum & Gallum Cartierios, multis editis operibus claros, ex quibus ille Prior, hic Subprior sui monasterii defunctus est. Gallum iuniorem aliquando Ettenhemii venerati sumus, dum Germanus senior iam an. 1749. mortem oppetiit, multis adhuc MSS. relictis operibus, quæ uti etiam Galli fratris a P. Ziegelbaur recensentur in hist. litter. a) O. S. B. Hæc inter præcipua sunt Biblia sacra, succinctis SS. Patrum & aliorum probatorum scripturæ interpretum commentariis illustrata, unacum nova eaque excultiore, nec non ad sensum scripturæ magis accommoda versione Germanica concinnata a theologis Ettonianis sub directione F. Germani Cartier. Antecessoris sui vestigia in regimine sui monasterii hodie laudatissime premit Landelinus Fluem Schutteranus, cui ille an. 1774. resignavit abbatiam, non diu superstes, mortuus an. 1775.

a) P. IV. p. 705.

XXXIX. Habuit monasterium S. Trudperti seculo hoc XVIII. post Augustinum Sengler, cuius iam libro superiore meminimus, duos insignes abbates ex Ettenheim oriundos fratres, primum Franciscum Herrman, qui Augustino successit an. 1731. & defunctus an. 1737. abbatiam regendam reliquit fratri suo Cœlestino Herrman utriusque iuris doctori, in monasterio vero professori theologiæ, quam etiam scholasticam edidit, abbas vero Ideam boni principis an. 1740. Monasterium S. Trudperti.

Monasterium suum postquam e fundamentis novum extruxit, mortuus an. 1749. Columbanum Blonsche Radolfizellensem successorem habuit, qui exemplum boni præsulis, pater filiorum amorque fuit an.

 1757.

SECULUM XVIII. 1757. defunctus, succedente Paulo Ehrhart, qui abbatiam an. 1780. resignavit, assuetus in Tonselon secedere, ubi hodieque superstes successorem habet Columbanum Christian ex Riedlingen oriundum, cui prospera quæque, commissoque monasterio proficua & salutaria ex animo precamur.

S. Blasii. XL. Augustinum Finck patria Wolfacensem, a puero in scholis San-Blasianis educatum, an. 1695. Romano suffectum monasterii & congregationis San-Blasianæ abbatem iam superiore libro laudavimus, qui placidissimi cum esset ingenii, plerisque regiminis sui annis impacatissima expertus est tempora, armis omnia undique perstrepentibus, ita ut ob bellum Gallicum an. 1703. iterumque an. 1713. quo obsessum a Gallis, captumque fuit Friburgum Brisgoiæ, in Helvetiam ei cum suis exulandum fuerit; ubi tamen etiam belli interea temporis flamma exarsit, in ipsa quoque Nigra Silva inquietis Hauensteinensibus rusticis monasterii quietem turbantibus, sed tunc brevi auctoritate cæsarea repressis. Interim nihil prætermisit pientissimus providentissimusque abbas, quod ad statum monasterii congregationisque suæ ornandum facere potuisset, in cura animarum præcipue, institutis etiam novis parochiis, disciplina item monastica, ac re litteraria, ut eius rei fama alio delata, e suis ad alia monasteria viri idonei expostularentur P. Io. Bapt. Elverenz magister novitiorum ad amplissimum Fuldense monasterium a. 1716. iamque a. 1709. P. Fintanus Saal & Ludovicus ab Eggs professores Schutteram, P. Romanus Sedelmayer Salisburgum an. 1708. ubi an. 1714. Secretarii academici munus adeptus, collectanea pro conscribenda historia academiæ Salisburg. sedula fecit, cum iam an. 1711. *origines gentis Harrachianæ* edidisset, ex qua tunc Franc. Antonius archiepiscopus erat Salisburgensis, cui Philosophum suum Porphyrium dedicavit.

Mortuus an. 1720. Augustinus abbas successorem habuit Blasium Bender Gengenbaco oriundum, qui iam a viginti annis causas utilitatesque publicas & suæ congregationis in aula cæsarea curaverat, tribus imperatoribus Leopoldo, Iosepho & Carolo VI. admodum charus: quem etiam Leopoldus filio Iosepho dedit sacellanum, castra ad Rhenum sequenti, irruptione in Alsatiam facta an. 1702. obsesso Landavio. Benedictionem abbatialem an. 1721. in festo S. Blasii accepit a principe episcopo Io. Francisco, a quo iam prius pretiosum calicem, ob navatam in aula cæsarea operam acceperat, passim aliis ob insignia præstita officia muneribus auctus, a Iosepho principe abbate S. Galli singulari donatus an. 1721. charta, nomen insuper inter benefactores & confratres necrologio

logio

logio inscriptum: *ut in memoria aeterna apud nos vivat, & quod nostris meritis deest, totius posteritatis suffragiis & piis operibus suppleatur.* A Carolo VI. an. 1725. minister plenipotentiarius ad Helvetos missus, ad eos renovato Mediolanensi foedere, arctius serenissimae domui Austriacae constringendos. Quae res dum in peroptato cursu esset, ipse praematura morte praereptus est an. 1727. magno apud omnes sui desiderio relicto, suos imprimis, apud quos etiamnum vivit in suis statutis pro re monastica & familiari, singulis officialibus, tam religiosis quam secularibus, accurate instructis per litteras. Nihil vero antiquius habuit re litteraria studioque eruditionis, quod ei potissimum debetur hactenus excultum, bibliotheca tunc selectis instructa libris, atque methodo optima studiorum accepta a sodalibus San-Maurensibus ad S. Germanum de Pratis Parisiis, misso illuc inter alios P. Marquardo Herrgott; ubi primum specimen eius opera editum comparuit *vetus disciplina monastica.*

Redux ex Gallia P. Herrgott dum varia meditatur ad historiam sacram & profanam patriam, San-Blasiani monasterii praesertim, a Francisco II. abbate, qui Blasio III. successit an. 1727. & statibus Brisgoiae negotiorum publicorum causa ad aulam caesaream legatus, favente ibi admodum Carolo VI. primo *Genealogiam diplomaticam Augustae gentis Habsburgicae an.* 1735. edidit; ab imperatore consiliarius & historiographus caesareus renunciatus, ibidem postea ingens *monumentorum Austriacorum* opus, quod nulli secundum maximi quique orbis principes hactenus habent, coepit, editis Viennae duobus voluminibus de sigillis; redux vero in patriam studiose prosecutus opus, Friburgi Brisgoiae *Numothecae Austriacae* duobus voluminibus, totidemque *Pinacothecae*, singula regali in forma, senescens socium sibi adscivit P. Rustenum Heer, qui post mortem Herrgotti an. 1763. ipse etiam consiliarius & historiographus caesareus, dum Taphographiae Austriacae insudat, operi immortuus est an. 1769. proximo post conflagrationem monasterii, quod novum e fundamentis Franciscus an. 1728. excitare coeperat, & inter maximos rebellium rusticorum Hauensteinensium, homagium abbati detrectantium tumultus, bella etiam Gallica nihilominus ante mortem adhuc perfecit, quam an. 1747. oppetiit, cum praeterito an. 1746. axioma principis S. R. I. a Francisco I. imp. (quem an. 1745. Francofordiae coronatum, reducem cum augusta coniuge M. Theresia Ulmae salutaverat) recepisset, quo iam titulo passim antecessores superioribus seculis in chartis caesareis honorati leguntur.

Brevissimum post Francisci mortem fuit regimen Coelestini Vogler,

SECULUM XVIII.

qui 9. Augusti an. 1747. electus 24. Aprilis an. 1749. defunctus est piissimus abbas, successorem nactus Menradum Troger, mortuum an. 1764. cuius iam supra meminimus insignis professoris domi, Gengenbaci atque etiam publici philosophiæ in academia Salisburgensi. Postulatus iterum Salisburgum fuerat ad docendam theologiam; sed eo ad maiora domi destinato, in eius locum P. Romanus Endel missus est ad eam academiam, cuius historiam, consilio a P. Romano Sedelmaier cœpto, collectaneisque relictis, iam an. 1728. ediderat P. Stanislaus Wilperz, in coadcervandis monumentis pro historia San-Blasiana diligentissimus; unde mihi in rebus domesticis nulla pene difficultas fuit ad hanc, quæ præ manibus est, historiam Nigræ Silvæ, quam novo insigni thesauro ornandi occasionem præbuit perficienda a me, S. Blasii electo post mortem Meinradi an. 1764. abbate, suscepta Taphographia Austriaca, translatis Habsburgo-Austriacorum principum eorumque coniugum cadaveribus ex ecclesia cathedrali Basileensi & monasterio Königsfeldensi in Helvetia ad conditorium novum monasterii S. Blasii, qualem ibidem sepulcri locum sec. XI. habuit familia comitum de Rheinfelden, ex augusta Lotharingiæ Ducum prosapia: quæ, eiusdem ex Ethicone a Ducum Alsatiæ stirpe originis cum Habsburgica, iterato deinceps matrimonio augustæ genti Habsburgicæ coniuncta fuit, ut suo loco ac singulari etiam libro explicavi, effossis anno primum 1776. ossibus in sacello S. Nicolai iam diruto, recondendisque cum Habsburgicis in ecclesia nova, quæ post conflagrationem an. 1768. veteris, cum ipsis monasterii aliisque plerisque ædibus iam singulari Dei providentissimi benignitate recens e fundamentis surrexit, ritu solemni an. 1783. die 21. Sept. a Maximiliano episc. Constantiensi a) consecrata, ac sanctificata variis variorum sanctorum cumprimis patriorum Germaniæ reliquiis, quas inter Nigræ Silvæ apostolorum & patronorum SS. Pirminii ac Fridolini munificentia Augustæ M. Theresiæ donavit, alia aliis sacra symbola conferentibus optimis patronis & amicis.

Ac quidem nutu eiusdem Augustæ M. Theresiæ Eminent. Card. Miggazius Viennensis metropolita præter reliquias S. Io. Nepomuceni, quas quondam Carolus VI. in suo sacro thesauro apud se servaverat, ex cathedralis ecclesiæ S. Stephani sacrario quoque contulit iam dictas reliquias S. Fridolini primi Nigræ Silvæ apostoli, SS. Gervasii & Protasii, nec non S. Morandi monasterii sui nominis Ord. S. Bened. in Alsatia, primi abbatis. Sunt hæ ex sacris illis reliquiis, quas summo studio, & religione ex

his

a) De festiva octo dierum celebritate huius dedicationis prostat liber singularis inscriptus: Feierlichkeit des in dem Fürstl. Stift St. Blasien auf dem Schwarzwald eingeweihten neuen Tempels.

his ipsis nostris plagis sibi comparavit archidux Rudolphus IV. pro basilica S. Stephani Viennæ a se exstructa. Non me latent, quæ Mediolanenses contra translationem SS. MM. Gervasii & Protasii Brisacum in medium afferunt, ut in plerisque huiusmodi translationibus corporum sanctorum apud Catholicos ex ipsa venerationis magnitudine motas novimus controversias, plerumque forte facile componendas, si divisæ per loca admittantur reliquiæ. Nos nunc quod attinet, non equidem me vadem præstem historiæ, prout a sequioris ævi scriptoribus refertur translatio Brisacensis; sed qui res Fridericorum I. & II. Hohenstaufiorum secum contulerit, quas Mediolani post medium seculum XII. dum a Friderico I. an. 1162. Mediolanum (servatis ecclesiis S. Mariæ, S. Mauritii & S. Ambrosii, ubi corpora SS. Gervasii & Protasii erant recondita) excisum est, & deinceps Brisaci gesserunt, reliquias SS. Gervasii & Protasii depositas Brisaci facile largietur. Quarum pars dum ecclesiæ San-Blasianæ infertur, non possum mihi a verbis temperare, quæ S. Ambrosius se fecisse in earum inventione ad sororem suam perscribit a). Cæterum id præprimis studuimus, ut reliquias sanctorum ex locis, ubi sepulti fuerunt, nancisceremur: quod etiam in reliquiis SS. Fridolini & Morandi consecuti sumus, ut mox indicavimus. Sic quoque Mediolano reliquias S. Caroli Borromæi obtinuimus ab archiepiscopo & Cardinali Ottobonelli iterato munere, dum prior donatio facta iam venerabili senecioni memoria excidisset. Moguntia vero opera amicissimi D. Würthwein officialis tunc Moguntini, accepimus sacra lipsana S. Ferrutii M. S. Lulli successoris

a) Gratias tibi Domine Iesu, quod hoc tempore tales nobis Sanctorum Martyrum Spiritus excitasti, quo ecclesia tua præsidia maiora desiderat. Cognoscant omnes, quales ego propugnatores requiram, qui propugnare possint, impugnare non soleant. Hos ego adquisivi tibi, plebs sancta, qui prosint omnibus, nemini noceant. Tales ego ambio defensores, tales milites habeo: hoc est, non seculi milites, sed milites Christi. Nullam de talibus invidiam timeo, quorum quo maiora, eo tutiora patrocinia sunt. Horum etiam illis ipsis, qui mihi eos invident, opto præsidia. Veniant ergo & videant stipatores meos; talibus me armis ambiri non nego. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine domini Dei nostri magnificabimur.

Elisæum scripturæ divinæ series refert, cum ab exercitu Syrorum esset obsessus, dixisse timenti servulo, ne timeret: quia plures, inquit, pro nobis sunt, quam contra nos; & ut hoc probaret, petiisse, ut oculi Giezi aperirentur: quibus ille apertis, innumeros adesse vidit prophetæ exercitus angelorum. Nos etsi eos videre non possumus, sentimus tamen. Erant clausi isti oculi, quamdiu obruta sanctorum corpora delitescebant. Aperuit oculos nostros Dominus, vidimus auxilia, quibus sumus sæpe defensi. Non videbamus hæc, sed habebamus tamen. Itaque trepidantibus nobis quasi dixerit Dominus: adspicite quantos vobis martyres dederim: ita reseratis oculis gloriam Domini speculamur, quæ est martyrum passione præterita, & operatione præsens. Evasimus, fratres, non mediocrem pudoris sarcinam: patronos habebamus, & nesciebamus. Invenimus unum hoc, quo videamur præstare maioribus. Sanctorum martyrum cognitionem, quam illi amiserunt, nos adepti sumus. S. Ambros. *T. II. opp. p. 876. n. 10. 11.*

Seculum XVIII.

ſoris S. Bonifacii, & S. Willigiſi: indidemque S. Eliſabethæ viduæ Ludovici Landgravii Haſſiæ & Thuringiæ. Proſpero hoc animati ſucceſſu, non minus felici nos ad alios quoque ſacrorum Germaniæ præſules ſupplices convertimus. Salisburgo præter reliquias SS. MM. Chryſanthi, Dariæ, Hermetis & Vincentii, etiam S. Martini Turonenſis ex iis, quæ Salisburgum delatæ ſunt multis ante ſeculis, quam ab Hugonotis ſacrum corpus combureretur, S. Amandi, & Virgilii epiſcoporum ſacra reportavimus lipſana. Conſtantia accepimus SS. MM. Felicis & Regulæ, Pelagii, & Fidelis Capucini. S. Conradi ep. Conſtant. & B. V. Eliſabethæ bonæ: Eichſtadio SS. Willibaldi ep. Wunibaldi abb. & Walburgæ V. prolium S. Richardi, quibus iunctæ fuerunt reliquiæ S. Deochari abb. Haſenriedenſis. Sic certatim alii viciniores epiſcopi novam eccleſiam San-Blaſ. huiuſmodi ſacris cimeliis ditare ſtuduerunt: Friſingenſis reliquiis S. Corbiniani epiſcopi, Genevenſis S. Franciſci Saleſii, & S. Franciſcæ de Chantal; Spirenſis S. Stephani P. & M. & S. Guidonis abb. de cuius translatione Spiram locuti ſumus T. I. p. 214. Herbipolenſis SS. Kiliani & ſociorum nec non SS. Henrici Imp. & Kunigundæ ſponſæ eius. Quid vero Ordinis Benedictini aſſeclæ primores in Germania? Quam illi maxime promti ad ornandam eccleſiam S Blaſii ſuas ſymbolas haſce ſacratas contulerunt! Epiſcopus ac princeps Fuldenſis reliquias S. Bonifacii M. Germaniæ apoſtoli & S. Sturmii primi abbatis Fuldenſis a S. Bonifacio conſtituti: princeps abbas Campidonenſis S. Honorii, San-Gallenſis SS. Ottmari abb. & Notgeri monachi: Diſſertinenſis S. Adelgotti epiſc. Curienſis & abb. Diſſert. SS. Placidi & Sigeberti MM. Einſidlenſis S. Meinradi M. Murenſis S. Urſuli M. San-Emeranenſis S. Emerani ep. & M. S. Wolfgangi ep. Sic monaſterium S. Petri Salisburg. S. Ruperti ep. Salisburgenſis, Petershuſanum S. Gebhardi ep. Conſtantienſis: San-Ulricianum Auguſtæ Vindel. SS. Ulrici, & Simperti epiſcoporum Auguſtanorum; Rhenaugienſe S. Fintani eremitæ, San-Trudpertinum S. Trudperti M. S. Iacobi monaſterium Ord. S. Bened. Herbipoli S. Macarii primi abb. Tegernſeenſe S. Quirini M. Engelbergenſe B. Nicolai de Flue. Vicina collegiata eccleſia in Zurzach haud immemor aviti Benedictini inſtituti ſui ex S. Verenæ V. & M. reliquiis a furore Zwingliano ſuperſtitibus particulam contulit; inclyta item Solodorenſis in Helvetia reſpublica ex reliquiis, quas poſſidet SS. Urſi & Victoris legionis Thebeanæ. Superſtites extinctæ Societatis Ieſu alumni in id incubuere, ut nullius eorum, quotquot ex ſuo ordine ſanctorum albo ſunt adſcripti, reliquiæ deſiderarentur in eccleſia San-Blaſiana. Vicina demum urbs Friburgenſis in Briſgoia patronorum etiam ſuorum SS. Lamberti ep. & Alexan-

dri

dri M. concives nos suos participes esse voluerunt. Sic opportune dixeris, *ubi fuerit corpus πτῶμα*, cadaver in cineres redactæ ecclesiæ, *ibi congregantur & aquilæ*, quas SS. Patres aliique expositores S. scripturæ communi calculo sanctos in sublime ad Dei visionem intuitivam elatos interpretantur: renovataque, ut aquilæ redivivæ, ecclesiæ San-Blasianæ iuventus. SECULUM XVIII.

XLI. Dimidium fere ante seculum (post initia currentis huius XVIII.) antequam principale monasterium S. Blasii an. 1768. in cineres redigeretur, eidem horribili fato succubuit congregationis San-Blasianæ cella ex iis, quæ supersunt, antiquior, cœnobium monialium Berovìense, cum ecclesia reliquisque ædibus combustum. Nihil non egit devotissimus abbas Augustinus, ut sacra ibi, monialesque interea temporis per varia dispersæ monasteria, claustro suo iterum restituerentur tanta celeritate, ut ecclesia a Conrado Gaist suffraganeo Constantiensi die 17. Iunii an. 1715. consecraretur, monasterium vero ita instrueretur, ut moniales a seculi tumultu omnino semotæ, atque ab omni consortio hominum secularium alienæ in clausura degerent, neque posthac ulli monialium extra monasterii limen pedem efferre integrum esset, quod ad exhortationem pii abbatis sponte sua ac promtissime acceptarunt moniales, exemplo accensæ Agnetis quondam in Berau, cuius lapidi sepulcrali hodieque medio in choro ante altare supremum insculpta leguntur hæc verba: *Agnes in clausura*. Pari pietate inductæ moniales an. 1771. sese perpetuæ adorationi SSmi. altaris sacramenti devoverunt. Eiusdemque congregationis Cellæ.

Congregationi porro San-Blasianæ, quæ sec. XVI. per Lutheranismum varias cellas amiserat, nova seculo hoc XVIII. incrementa accesserunt, unitis an. 1724. tribus monasteriis Guilielmitarum Sionensi, Mengensi & Oberriedensi, cuius postremi utpote in Nigra Silva siti, suis locis, per decursum seculorum mentionem iniecimus inde a seculo decimo tertio, quo etiam duo reliqua sunt fundata. Et quidem Sionense prope muros oppidi Clingnoviensis in Helvetia haud procul a Rheno, Nigræ Silvæ contermina, incunabula sua debet nobilibus de Clingen præpotentis olim in vicinia nostra, atque inter Helvetes familiæ. Aream vero ad construendum oppidum Ulrico nobili de Clingen concessit Arnoldus I. abbas S. Blasii an. 1240. ut suo loco indicavimus. Walterus Ulrici filius unacum Sophia uxore monasterium Sionense, a se dotatum, fratribus Ordinis S. Guilielmi eremitæ commisit an. 1269. uti ex charta fundationis & necrologio monasterii constat. Rudolpho episcopo Constant. ex comitibus de Habsburg, annuente an. 1282 inter ipsos muros oppidi Mengensis concessa a magistratu area oratorium sur-

SECULUM XVIII.

rexit. Fridericus vero cognomento pulcher archidux Austriæ ac demum Romanorum rex ecclesiam parochialem S. Martini cum proventibus ad sustentationem eremitarum S. Guilielmi elargitus est an. 1304. Incorporationem singulorum congregationi San-Blasianæ Benedictus XIII. an. 1725, bulla pontificia ratihabuit post decretum cæsareum diplomaque Caroli VI. anni præteriti 1724. die 3. Iulii, cantonum quoque Turegiensis, Bernensis & Glaronensis ceu advocatorum monasterii Sionensis die 26. Iulii an. 1724. Io. Francisco ep. Constantiensi ea singula pactis cum monasterio S. Blasii includente die 16. Martii an. 1725. post confirmationem iam anno præterito etiam a capitulo cathedrali datam.

Cura animarum.

XLII. Novis etiam incrementis in congregatione San-Blasiana, tum in terris Austriacis, cum etiam ditione Imperiali, novarum parochiarum erectione instauratur cura pastoralis, quam a suis incunabulis monachi S. Blasii laboribus primum apostolicis per abdita Nigræ Silvæ exercuerunt; atque indefesso semper hactenus sunt prosecuti studio, remotis obstaculis, quæ identidem obiecta sunt monachis curam animarum obeuntibus. Meminimus jam Sec. XI. T. I. p. 311. apologiæ, quam Bernaldus seu Bernoldus presbyter S. Blasii (sub nomine Bertoldi Constantiensis in orbe litterato cognitus) pro monachis hanc in rem scripsit, ob oculos posito discrimine antiquiorum illorum monachorum laicorum ab iis, qui deinceps ab ecclesia in clerum sunt assumti, *quum*, ait uno veluti peremtorio usus argumento, *ecclesiasticos ordines habeant, quis inficiari potest, quia eorundem graduum officia, quum iubeantur, exercere valeant? præsertim quum in perceptione consecrationis nihil distent a clericis. Aut ergo ecclesiasticos gradus illis penitus adimitis, aut administrationem eorumdem graduum eis intercludere non potestis.* Singulariter autem institutum hoc statum congregationis San-Blasianæ illo abhinc tempore (seculo nimirum XI. quo brevi mirum in modum excrevit atque Nigram Silvam egressa per alias etiam regiones ampliata est) a plerisque aliis cœtibus monasticis distinctum reddidit, eiusmodi quidem, ut principale S. Blasiii in Nigra Silva monasterium seminarii instar semper fuerit, in quo ad curam animarum instituuntur religiosi, a primis veluti unguiculis seu tyrocinio mox in novitiatu assuefacti, ut e suggestu publica specimina sacræ eloquentiæ dent, continuato semper hoc exercitio dum theologicis illis ac canonicis disciplinis imbuuntur, quibus ad sacerdotale ac pastorale efformari ac instrui necesse est munus; atque interim parochos, qui munus hoc in ecclesia exercent, auscultant, quando cathechizant, aut concionantur, ita vero ut, cum primum tyrones hi ordi-

nem

nem diaconatus assecuti sunt, utrumque etiam ipsi iam exerceant: catechesin nimirum privatos inter parietes cum familiaribus, concionandi autem officium publice e sacro in ecclesia suggestu, ad hoc studiose efformati privatim a Censore, cuius subsunt disciplinæ, publico in conventu perorantes pridie sermonem, quem coram populo deinde sunt habituri. Facti deinceps sacerdotes, omnium disciplinarum adminicularium emenso cursu, antea quam quidquam aliud, ac quod memoravimus, curæ animarum exercere ipsis liceat, in collationibus, quas cônferentias vocant practicas saluberrime institui solitas, atque hodie imprimis ob summariam tantum theologiæ pastoralis & moralis institutionem necessarias, respondentium subeunt munus ad quæstiones propositas ex quibusvis ad officium pastorale facientibus materiis casibusque practicis cum suis circumstantiis, quæ quovis modo contingere queant: quo nihil ad comparandam summe necessariam prudentiam pastoralem expeditius conducibiliusque est, tam reliquo omni officio ac functionibus pastoralibus, quam sacro tribunali imprimis confessionis, ad quod instructi prorsus accedere debent iuvenes quivis sacerdotes, incerti, quos & quales pœnitentiæ casus primo statim sese oblaturi sint aditu. Nec nisi in hac conferentiarum palæstra diutius exercitati ad confessiones excipiendas admittuntur sacerdotes, pedetentim etiam ad alia munia parochialia admissi in subsidium ad ægrotos, & moribundos, catechizandum & prædicandum & quæ sunt alia, donec post nonnullos, ut fert capacitas, annos filialis quædam e monasterio statis diebus excurrendo committatur, vicario modo sub oculis ac directione omnimoda superiorum veteranorum administranda cum socio. Exponuntur post hæc iam maturescentes sacerdotes, veluti ephebos paullatim egressi, plerumque in exteriores conventus, aliaque loca, ubi plures sunt, qui aut parochialia exercent, aut ingens confitentium est concursus.

Neque vero iam satis superque idonei censentur omni hoc tyrocinio viri Patres nostri, qui gurgite tam alto proprio suo marte natent: adiunguntur iam deinceps veterano parocho rurali, ipsi quidem sub illius moderamine filiali ecclesiæ præfecti, tum etiam in præsentaneum subsidium ætate profectis iam ac senectute pressis, ipsi etiam aliquando hoc solatio usuri, postquam iam ætate maturi annorum ad minus quadraginta facti parochi consenuerint: siquidem in munere pastorali maior sacerdotum nostrorum emoritur pars; aut certe in ultimam usque senectutem id sustinere eis licet adscititiorum illorum, quos diximus, opera sustentatis. Singuli vero senes cum iunioribus id solatii habent, ut ne illud

SECULUM XVIII.

locum habere possit: *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Ipsis vero fidelibus parochianis imprimis hoc opportunum est, ut uno forte absente, aut quavis demum ratione impedito, incommode maleque habenti alter præsto sit ad officia. Sic Prov. XVIII. 19. *frater qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma* dicta est Salomoni, atque id etiam, quod regulares attinet, lege ecclesiastica cautum est, ubicumque id locus & occasio permittit.

Monasteria Wittembergiæ abolita.

XLIII. Vidimus superiore libro, monasteria Nigra-Silvana Wirtembergiæ aliquando restituta iterum excidisse sub Protestantibus principibus: quod nunc potestas catholici ducis restricta retractare non valet. Abbatiæ seculo addictæ quos habent iam prælatos, sunt uxorati consiliarii ducis nati, primariumque statum ducatus repræsentant. Alii in loco abbatiæ resident scholis præfecti, alii fere extra Nigram Silvam: ubi nempe amplitudine & frequentia hominum locum idoneum non habent, appellati ideo prælati designati, in Alpersbach veluti, ad S. Georgium, Hirsaugiæ, Herrenalb a).

a) *Vid. Acta historico-eccles. nostri temporis T. VI. p. 305.*

Plerumque Prælati alicui consistorio sunt addicti, aut Superintendentes, quales quatuor generales sunt per ducatum, alii speciales. Inter generales Superintendentias, per Decanatus distributas, Bebenhusana potissimum per Nigram Silvam distenditur, complectens novem Decanatus Balingen, Freudenstat, Hornberg, Herrenberg, Lustenau, Sulz, Tübingen, Tuttlingen & Wildberg. Inter Decanatus Superintendentiæ Maulbrunensis undecim sunt, etiam nonnulli Nigrasilvani e. g. Calw & Wildbaad.

Abbas Hirsaugiensis est hodie Io. Christoph. Knaus prof. & rector gymnasii illustris in Stuttgard; abbas in Alpersbach Io. Christoph. Schmidlin secundarius consiliarius consistorialis & assessor apud selectum statuum senatum. Carol. Frider. Iäger abbas S. Georgii Superintendens specialis & parochus urbis Canstadiensis. Georg. David Leusler abbas in Herrenalb specialis Superintendens & parochus oppidi Vayhingen. Christoph. Friderico Sartori abbati Lorchensi procancellario academiæ Tübing. successit præterito anno I. Fr. Lebret, quem non multo ante Stuttgardiæ salutavimus præfectum Ducalis bibliothecæ, quam, ut cum primoribus comparari facile possit, quotidianis augmentis instruit Serenissimus Dux ullis nec impensis, nec operæ parcens, domi forisque frequentibus eam in rem per regiones susceptis itineribus pro novis librorum accessionibus ad ornandam hanc spartam in præsidium novæ, quam

Tubin-

Tubingensi æmulam Stuttgardiæ instituit academiam, ad quam undique gentium concurrunt ephebi, non una generis nobilitate instructi, instruendique in omnibus liberalium artium & scientiarum disciplinis ad sacra usque, non plus ultra, adyta. SECULUM XVIII.

XLIV. Inter monasteria Wirtembergiæ Benedictina nomen S. Georgii retinent exules Villingæ monachi cum suo abbate. Michaelem Glüker eius nominis III. iam laudavimus superiore libro, electum an. 1690. tam fortunatum, ut quadraginta tribus, quibus præfuit, annis præter ecclesiam & monasterium exstructa rem familiarem mirum in modum auxerit, perinde ac Hieronymus Schue Villinganus, Michaelis an. 1733. successor, eximius disciplinæ regularis & studiorum promotor, quæ publica habent in scholis Benedictini iam soli ex decreto aulæ Viennensis, obtento sub Hieronymi successore Cœlestino Wahl Ochsenhusano an. 1757. electo, musageta præcipuo, qui cum suis laudabilissime præfuisset, an. 1778. paralysi insanabili correptus, libere resignavit, successorem nactus Anselmum Schababerle Marchio-Badensem, electum 9. Febr. eius anni, cuius præclare absque dubio gerenda seri posteri celebrent. S. Georgii.

XLV. Monasterium S. Petri (cuius dirissima fata prosecuti sumus libro superiore ex repetita conflagratione, aliisque bellorum iniuriis) vix restitutum, iam iterum sub abbate Mauro Hess Crozingano, qui an. 1699. Paulo Pastori successit, an. 1713. bello Gallico quarta iam vice expilatum fuit fugatis monachis, qui dum aliquamdiu per Nigram Silvam errarunt circa monasterium S. Blasii, cui simile fatum imminebat, perpessumque eodem adhuc anno monasterium S. Trudperti fuit mense Novembri, postea per Helvetiam dispersi, in monasterio Rhenaugiensi, compluresque Nigrasilvani alii, consuetum perfugium repererunt, ex monasterio etiam Schutterano. S. Petri.

His inter alios ex monasterio S. Petri accessit religiosus frater Benedictus Wulpertz, qui post Maurum abbatem mortuum an. 1719. & huius successorem Ulricum Burgi an. 1739. abbas renunciatus, iterum an. 1744. exul fuit Rhenaugiæ, & quidem cum P. Philippo Iacobo Steyrer (præter alios decem monachos) qui hodie præest monasterio S. Petri dignissimus præsul iam ab an. 1749. quo dedicata est monasterii S. Ulrici (quod fuit olim congregationis Cluniac. uti memoravimus, sec. XVI. monasterio S. Petri unitum) nova ecclesia, sub antecessore cum ipso monasterio ædificata, Priore tunc ipso hoc Philippo Iacobo,

SECULUM XVIII.

qui monasterium suum S. Petri, a se extructum, copiosa supellectili litteraria, ut alia silentio præteream, instruxit, ipse viva bibliotheca, scriptorque diligentissimus, annalium etiam sui monasterii, & restaurator mausolæi suorum fundatorum Zaringiæ ducum.

Horum epitaphia a Philippo Iacobo eorum monumentis eleganti opere in choro ecclesiæ, ab Ulrico abbate hoc etiamnum seculo extructæ, apposita par est hic adscribere, quippe qui fuerunt benigni, præter morem plerumque aliorum, monasterii etiam S. Blasii advocati. Ad cornu evangelii

Sta
Viator
Et lege quæ legisse non
pœnitebit.
In
Huius muri fornice conditi
quiescunt
Monasterii S. Petri in Silva Nigra
Fundatores & Dotatores
BERTHOLDUS II.
Dux Zaringensis, Filius Bertholdi I. Frater Hermanni I.
Satoris Marchionum Badensium &, Gebhardi III.
Episcopi Constant.
Qui
Monasterium illud a Patre suo
Wilae in Wirtembergia ad radices Teccii montis
Anno MLXXIII. conditum
Anno MXCIII. huc transtulit
Fundavit & dotavit.
Obiit
Prid. Id. Aprilis anno MCXI.
AGNES.
Eiusdem Bertholdi II. Coniux, Filia
Rudolphi Sueviae Ducis & Comitis Rhenofeldensis
Obiit
XIV. Calend. Ian. eiusd. anni.
CONRADUS.
Dux Zaringensis Rector Burgundiae
Filius Bertholdi II. frater Bertholdi III.
Conditor Basilicae B. V. M.
Friburgi Brisg.

Obiit

Obiit
VI. Id. Ian. anno MCLII.
CLEMENTIA.
Eius uxor filia Godofredi
Comitis Namurcensis
Obiit
V. Cal. Ian. anno MCLIX.
BERTHOLDUS IV.
Dux Zaringensis Rector Burgundiae
Filius Conradi
Conditor Friburgii Nuithoniae
Obiit
VI. Id. Sept. MCLXXXVI.
Horum omnium ossa Ulricus Abbas ex veteri
Ecclesia in novam huc transtulit
Prid. Non. Octob. anno MDCCXXVII.
Monumentum autem hoc novum Philippus Iacobus Abbas
Gratitudinis ergo
Posuit
Cal. Aug. anno MDCCLXVIII.
Tu iam viator
Piis manibus Fundatorum nostrorum
Bene precare
Vade & Vale.

Ad cornu epistolæ

Heic quoque
Viator
Paulisper pedem fige
Et lege.
In
Huius muri testudine
Conditi iacent
BERTHOLDUS III.
Dux Zaringensis filius natu maior Bertholdi II.
Frater Conradi.
Hic
Postquam Friburgum Brisgoiae
Condidit, Molshemii in Alsatia
Occubuit
Et in Capitulo Monasterii huius

Ante

SECULUM XVIII.

Ante ſedem Abbatis
Sepultus eſt
X. Cal. Mart. anno MCXXII.
BERTHOLDUS ET RUDOLPHUS
Filii Bertholdi II. fratres Bertholdi III. & Conradi
Ducum, in adoleſcentia defuncti.
CONRADUS.
Filius Conradi & frater Bertholdi IV. Ducum
In pueritia
mortuus.
RUDOLPHUS
Epiſcopus Leodienſis filius Conradi, Bertholdi IV. frater
Qui
Caput S. Lamberti E. & M. Friburgum Briſg. tranſtulit,
Et ex Syriaca expeditione redux Herderae prope
Friburgum obiit, ſepultuſque eſt ad S. Petrum
Nonis Aug. anno MCXC.
Horum oſſa Ulricus Abbas huc tranſtulit
Prid. Non. Oct. anno MDCCXXVII.
Abbas vero Philippus Iacobus ſepulchrum
Eorum
Novo hoc monumento
Grata mente condecoravit
Cal. Aug. anno MDCCLXVIII.
Tu vero
Viator
dic
Requieſcant in pace
Iterumque vale.

Monaſterii S. Petri iura advocatiæ an. 1626. a fratribus Erneſto & Philippo marchionibus Badenſibus archiduci Ferdinando vendita, atque a Iodoco tunc abbate redemta, hactenuſque iure pignoratitio a monaſterio poſſeſſa Philippus Iacobus emta vindicavit eidem ſuo monaſterio cum præfectura vicinarum vallium Eſcha, Iba & Gor an. 1780.

Alba dominarum.

XLVI. Graviſſima hodieque implicitum eſt controverſia cum marchione Badenſi monaſterium Ord. S. Bened. a fluvio Alba (ad quem etiam ſitum fuit Gotteſavienſe monaſterium, dudum abolitum) dictum Alba Dominarum, non confundendum cum cognomine S. Mariæ ad pœnitentes

tentes in urbe Moguntina. Huius controversiæ ob iura advocatica & territoriale felicem amicumque exitum sperabatur obtentura hodierna abbatissa M. Antonia de Beroldingen, ad gubernaculum assumta an. 1775. succedens M. Abundantiæ de Stotzing, hæcque M. Gertrudi de Ichterheim mortuæ an. 1761. postquam ab an. 1715. quo Annæ Mariæ de Greith successit, monasterio præfuisset. SECULUM XVIII.

XLVII. Unum hodie, quod ad Nigram Silvam revocari queat, Ordinis Cistercienfis superest monasterium Tennenbacense in Brisgoia, ubi Placido abbati, quem superiore libro commemoravimus, successit Martinus Staiger vel Steger Villinganus, & per huius cessionem, ut habet Gallia christiana an. 1719. Antonius Metz Unterbaldingensis, huicque Leopoldus Muntzer germanus Francisci supra memorati abbatis Schutterani frater. Mortuus Leopoldus an. 1754. successorem habuit Benedictum Stoecklin Brisacensem, hicque anno 1765. Maurum Berier, quo libere an. 1782. resignante, pedum abbatiale suscepit Carolus Caspar Reuth, qui unacum Marquardo Kreuther, Marquardi Herrgott ex sorore nepote studia sacratiora religiosus frater in monasterio S. Blasii absolvit, ea intentione a Benedicto Stoecklin abbate missus, ut, quod passim etiam ab aliis monasteriis a multis abhinc annis factum, missis scholasticis tricis, severiora utilioraque in suo deinceps monasterio docerent promoverentque studia. Tennenbach.

XLVIII. Habet enimvero monasterium Tennenbacense sub sua cura complura eiusdem Ordinis Cistercienfis cœnobia monialium per Sueviam & Nigram Silvam, atque inter hæc illustre Guntersthalense, quod mœniis Friburgensis urbis in Brisgoia propinquum hoc etiam sec. XVIII. dimidio fere non potuit non gravissimis infestationibus esse expositum. Ac primum quidem id experta est M. Francisca de Gramont difficillimis temporibus ab an. 1694. abbatissa, cum vix ultimis regiminis sui annis respirare posset, pace an. 1714. post captam an. 1713. urbem Friburgum reddita; qua vero semper fruita fuit M. Rosa de Neveu ab an. 1716. quo in locum M. Franciscæ suffecta est, usque ad an. 1728. quo defuncta eundem reliquit M. Franciscæ Caietanæ a Zur-Thannen, oriundæ ex Friburgo Helvetiorum in Uchtlandia, quæ brevi illo annorum 1733. & sequentis bello Gallico non impedita, ecclesiam & monasterium e fundamentis extruxit, & post obsidionem Friburgensem an. 1744. pace reddita 1748. fruita est usque ad mortem an. 1770. quando ei M. Francisca de Thurn successit. Guntherst-thal.

SECULUM XVIII.

Fridenwiler.

XLIX. Monasterium in Fridenwiler uti ad finem vergente præterito, ita etiam seculo hoc XVIII. præter communes patriæ calamitates, varias domesticas per incendia est perpessum sub M. Anna Röttlerin abbatissa iam inde anno 1687. usque ad an. 1723. quo defuncta est anno ætatis octogesimo octavo. Huic succedens M. Ursula Guglin de Rothenburg altero mox an. 1725. experta est conflagrationem monasterii sui; cumque alias plerasque moniales necesse esset ad alia transmittere monasteria, ipsa cum paucis sociabus domo paupere, quæ superfuit, contenta, eo rem perduxit, ut & cæteras ad novum monasterium an. 1729. revocare potuerit, ecclesia vero an. 1731. consecrari a suffraganeo Constantiensi I. Franc. Antonio de Sirgenstein. Defuncta vero an. 1736. restauratrice, quæ adhuc deerant, restituit M. Iosepha Buckeisin per triginta tres regiminis annos, mortua an. 1769. succedente ei M. Benedicta de Thurn.

Neidingen.

L. In monasterio in Neidingen, cui an. 1699. M. Antonia Iolin patria Constantiensis præfecta abbatissa postquam viginti annorum spatio ecclesiam monasterium & confessarii ædes e fundamentis erexisset, anno demum 1727. abbatiam resignavit M. Catherinæ Gebhartin canonice die 28. Martii electæ & an. 1731. a Constantio abb. Salemitano solemni ritu benedictæ, an. 1755. defunctæ M. Frobenia Muthensturmin ex Benfelden succedente eodem anno, dum mox sequenti an. 1756. die 6. May scelestissima manus incendit hospitium & horrea, præsentissimo monasterii periculo, quod singulari B. V. Mariæ tutela, cuius imago hodieque maximo cultu in ecclesia celebratur, conservatum fuit, anno 1761. item dum vicina stabula ac horrea iterum in cineres essent redacta fulmine, quod anno sequenti brutum turrim ecclesiæ incessit. Mortuæ an. 1766. tot terroribus concussæ successit M. Hildegardis Schwabin a Germano fratre Anselmo II. abbate Salem. an. 1767. benedicta, cui an. 1774. mortuæ M. Afra Deuering successit. Seculo hoc XVIII. complures ex illustrissima gente Furstenbergica tumulo recepit conditorium gentilitium inde ab an. 1724. quo ibi sepultus est Antonius Maria Fridericus filius Maximiliani Francisci de Furstenberg lineæ Stuhlinganæ, an. 1747. Carolus Augustus filius Ludovici Augusti Egonis eiusdem lineæ, an. 1755. Io. Nepomucenus, an. 1759. Maria Anna Iosepha, an. 1761. Carolus Alexander, an. 1771. Carolus Egon singulæ proles Iosephi Wenceslai principis ditionum imperialium in Donaueschingen; coniux M. Iosepha nata comitissa de Fridberg-Trauchburg defuncta a. 1782. eidem conditorio illata fuit post Iosepham Mariam Philippinam Philippi

lippi Mariæ Iosephi principis de Furstenberg lineæ Bohemicæ filiam mortuam an. 1780. SECULUM XVIII.

LI. Institutum non solum sanctimonialium, qui cum Maria ad pedes Domini sedent, sed etiam Carthusianorum, Camaldulensium & aliorum eremitarum ordo & vivendi ratio, quæ contemplativa dicitur, maximos hodie habet adversarios. Carthusia Friburgensis.

In Nigra Silva nostra una est Carthusia Friburgensis; quæ cum ultra dimidium huius seculi eam venerationem & existimationem conservasset, quam præteritis proxime seculis etiam in orbe litterario sibi conciliarat; disciplinaque regularis floreret sub Prioribus Georgio Hentger, qui ex carthusia Molshemensi in Alsatia Prior an. 1694. evocatus, vita functus an. 1711. Brunonem Bürgin, & an. 1742. Benedictum Krayser, utrumque Friburgi natum, successores habuit; ultimis postremi huius Prioris annis primisque eius successoris P. Athanasii Kolb, dum res familiaris profectum quendam singularem nacta mentiretur, concuti cœpit; quibus malis dum prospicere quibusvis modis ac viis conatur solertissimus P. Prior, res tamen semper in deterius ruit, intestina paucorum, status sui pertæsorum, monachorum factione; ita ut iam an. 1776. actum de carthusia hac insigni crederetur, uti in act. histor. eccles. a) Vinariensibus legere est, falso tunc rumore sparso, veluti tamen fatidico. Iam enim decreto cæsareo, an. 1782. cum aliis eiuscemodi monasteriis aboleri iubetur carthusia Friburgensis.

a) T. III. p. 549.

LII. Classicum cecinere seculo hoc scriptores quidam eius sententiæ, quam iam S. Augustinus notavit in aureo de moribus ecclesiæ libro: *Videntur nonnullis monachi res humanas plus, quam oportet deseruisse, non intelligentibus, quantum nobis animus in orationibus prosit & vita ad exemplum.* Aliud foret, si suapte staret res humana, nec divinis regeretur consiliis, neque locus esset consiliis illis, quæ vocantur evangelica, data a Christo, & hacterus in ecclesia catholica sollicite custodita in statu regulari, ab illo præsertim tempore, quo in concilio Augustodunensi an. 670. dum ad regnum Francicum etiam pertinuit Alemannia, atque adeo Nigra Silva nostra, provisum in hanc sententiam fuit; *Si regularis vigeat observantia, & numerus monachorum Deo propitio augebitur, & mundus per eorum orationes omnibus carebit contagiis.* Erant tunc difficillima illa irruptionum barbaricarum secula, quibus sibi S. Gregorius M. unicum contra calamitates publicas præsidium collocarat in ancillis Dei, quas tunc fuisse memorat Romæ 3000. *quia*, ait, b) *si ipsæ non essent, nullus nostrum iam per tot annos in hoc loco subsistere inter Longobardorum*

Status & disciplina regularis.

b) Lib. VII. Reg. epist. 26. p. 872.

SECULUM XVIII.

dorum gladios potuiſſet. Dum Moyſes in oratione extentas habebat manus, ſuſtentatas etiam laſſatas a fratre Aaron & Hur, vincebant Iſraelitæ; quod exemplum non inepte ad inſtituta monaſtica applicatur, in quibus alii res huius vitæ curant, ut cæteri cæteræque eo intentius divinis vacare poſſint rebus, veluti ad pedes Domini Maria: contra quam dum Dominum a) interpellat ſoror Martha, *quæ ſatagebat circa frequens miniſterium*, occupata quidem in miniſterio Domini: *Domine non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi, ut me adiuvet!* reſponſum tulit: *Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima. Porro unum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Hanc ſibi partem elegiſſe, nemo hactenus in eccleſia catholica dubitavit, quibus felicitas ſtatus, religioſi obtigit in cœlibatu iuxta apoſtolum I. ad Cor VII. 20. 24. ubi, poſtquam iterato dixiſſet: *Unusquiſque, in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat:* &: *Unusquiſque in quo vocatus eſt, in hoc permaneat apud Deum*, mox ſubiungens quidem: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo &c.* poſtea tamen utrumque comparans ſtatum matrimonii & continentiæ: *Qui ſine uxore eſt*, inquit, *ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat, quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem veſtram dico: non ut laqueum vobis iniiciam, ſed ad id, quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat, ſine impedimento Dominum obſecrandi.*

a) Luc. X. 40.

Hoc imprimis ſecundum ſpiritum perinde ac litteram complet inſtitutum perpetuæ adorationis SSmi. altaris ſacramenti ad inſtar veluti monachorum veterum Græcorum, quos accœmetas ſeu inſomnes vocabant, quod olim etiam inſtitutum in Ordine S. Benedicti habuit aſſeclas, qui ſeſe in diverſos choros dividentes, mutuo ſibi ſuccedentes orationem continuabant inceſſanter, ut nullum diei aut noctis momentum vacaret a divinis laudibus. Inſtitutum hoc, ritu fineque ſanctiſſimo cœptum, iterum a monialibus perpetuæ adorationis, ut ſuperiore iam libro memoravimus, primum apud celeberrimum Portus regii monaſterium prope Pariſios poſt initia ſec. XVII. poſt medium vero eiuſdem ſeculi propagatum in ſuburbio S. Germani & alibi, paulatim nobis propinquius, non ultra Vogeſum tamen oppoſitoſque trans Rhenum montanis Nigræ Silvæ noſtræ ſaltus Lotharingicos præterito ſeculo pertigit; hoc autem demum

ſeculo

seculo iam vergente in cœnobio monialium Beroviensi congregationis San-Blasianæ susceptum est, prout iam fuerat confirmatum ab Innocentio XI. an. 1676. a Clemente vero XI. an. 1705. postquam regula S. Benedicti, ad hunc sanctissimum ritum accomodata, edita esset Romæ, in Germanicam linguam translata a P. Columbano Luz Elchlingano monacho Ord. S. Bened. congreg. Suevicæ S. Spiritus per diœcesin Augustanam. SECULUM XVIII.

Præter hanc in Germania nostra, post Bursfeldensem pene abolitam, vigent congregationes Bavarica SS. Angelorum custodum, Suevica altera S. Iosephi, in Nigram Silvam nostram per diœcesim Constantiensem excurrens, perinde ac Alsatica per Argentoratensis diœcesis partem cis Rhenanam; Helvetica S. Mariæ an. 1702. solemni ritu iubilæum celebravit in principali monasterio S. Galli. Celebrantur vero in omnibus huiusmodi congregationibus stati conventus, capitula & visitationes ad conservandam integram & illibatam disciplinam regularem, aut collapsam iuxta præscriptum concilii Tridentini restaurandam, prout necessarium esse censuit Sess. XXV. non ignorans, *quantum ex monasteriis pie institutis, & recte administratis in ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur, quo facilius & maturius, ubi collapsa est vetus & regularis disciplina, instauretur, & constantius, ubi conservata est, perseveret &c.*

Uti vero corpus non exuunt, qui a seculo exeunt vitam regularem professi (quos nos Germani promiscue, etiam clero seculari addictos, appellamus *Geistliche, Spirituales*) ideo angelos nos non esse profitemur, homines labiles perinde ac alii omnis conditionis & status, qui eliminandi forent, si ob vitia & corruptelam, etiam subinde late grassantem, id faciendum foret: quam ob rem homines nos eandem hanc etiam nobis indulgentiam expostulamus. *Monachi falsi sunt*, ut cum S. Augustino loquar a), *& nos novimus tales; sed non periit fraternitas pia propter eos; qui profitentur, quod non sunt: tam sunt enim monachi falsi, quam & clerici falsi & fideles falsi.*

a) In Psalm. CXXXII.

Id vero nemo facile inficietur, in monasteriis religionem conservari integriorem, vitamque institui ad evangelicam perfectionem virtutesque prosequendas aptiorem, & securiorem ad salutem consequendam, atque ab obstaculis, quæ caro, mundus & dæmon continuo ingerunt, remotiorem, non præceptis solum sed etiam consiliis evangelicis conformem, quorum sibi necessitatem sponte imponunt religiosi per vota solemnia, quibus Deo se devovent, intemerate servanda, nec sine sacrilegio violanda.

SECULUM XVIII.

Locus religioni huic inſtitutoque monaſtico eo aptior ſemper eſt habitus, quo a ſeculi tumultu remotior, qualem nos hactenus in *Nigra Silva Ordinis S. Benedicti colonia* ſumus proſecuti a prima ſua origine, aliundeque idem conſtat non ſolum de præcipuis Germaniæ noſtræ monaſteriis; verum id etiam de ampliſſimo Francorum regno id in ſua hiſtoria aſſertum ivit a). Legendre, noviſſimeque de Belgio imprimis Flandria De Nelis, culturam a monaſteriis a ſeculo VII. Bruxellis primum cœpiſſe oſtendit. (Vid. Memoires de l'academie Imperiale Royale de ſciences &c.)

a) *Hiſt. de France p.* 4.

Cura animarum.

LIII. Quod porro Mabillonius obſervavit, Germaniam Ordini S. Benedicti debere religionis cultum, id ſingulariter demonſtravi de Nigra Silva noſtra, dicique ac intelligi debet non ſolum de propagatione, ſed etiam conſervatione catholicæ religionis per potiſſimam Nigræ Silvæ partem, ubi ea hactenus præſervata fuit ab illo maxime tempore, quo a tot iam ſeculis communiter ſacerdotio etiam funguntur monachi, & ad curam animarum promiſcue exponuntur, ſuntque monaſteria veluti ſeminaria, in Germania præſertim, uti olim, ad diſſeminandam fidem ita deinceps ad eam, iam plantatam, fovendam, aut tuendam hodie imprimis, quando non ſolum fides catholica, ſed etiam religio chriſtiana univerſim periclitatur apud pleraſque hominum conditiones, iis exceptis fere, a quibus ratio ſtatus ſui Deo & religioni conſecrati expoſcit intemeratum eius ſtudium & cultum non ſolum apud ſemet, ſed & alios cura animarum commiſſa, quas vel in foro conſcientiæ interno ſacri tribunalis, vel etiam munere paſtorali dirigendas regendaſque ſuſcipiunt monachi non novitii, aut iuvenes, ſed maturi ætate & moribus, diuturna diſciplina exacti, moribus & ſcientia in theoria & praxi paulatim efformati, ac per gradus idonei redditi. Qui ſi poſtea tales ſe non prodant probentque, aut etiam alio quocumque demum modo exorbitent deficiantque, ſine aliqua difficultate revocantur ad monaſterium vel ad officium, multo utique promtius non inveſtiti, ſed ad nutum ſuperiorum amovibiles in Germania atque adeo Nigra Silva noſtra indultu pontificum & epiſcoporum, qui, ut non ſemel ex eorum præcipuorum ore audire licuit, plerumque monachis paſtoribus favent, gaudentque, etiamſi quandoque in curia aut per diœceſim reperire ſit, qui ſint aliter animati. Epiſcopi vero, dum conſiderant, ſe perinde genuiſſe filios clericos ſacerdotes quoſcumque ſive regulares ſive ſeculares uno eodemque charactere inſignitos, dumque æque omnes paterno proſequuntur affectu, filialem quoque eandem utrinque reverentiam

expoſcunt,

exposcunt, eademque officia; quod ipsum sibi etiam ab utroque ordine expostulat ecclesia ad sacras functiones circa corpus Christi verum & mysticum.

De dignitatibus hierarchicis non est, quod commemorem, quas sibi proprias potissimum illustres familiæ vindicant, olim ut etiamnum alicubi in Italia Benedictino nomine gloriati, ubi in regno Neapolitano & republica Veneta plures etiam archiepiscopales sedes tenent Benedictini, passim quoque hoc adhuc seculo ad purpuram Romanam assumti. Ex statu etiam religioso duos hoc seculo XVIII. numeramus pontifices maximos Benedictum XIII. & Clementem XIV. qui dum non suo, sed summorum principum instinctu & voluntate Iesuitarum ordinem abolevit, miraretur hodie, si revivisceret, longe aliter de reliquiis, ut salvæ sint, statui, iuxta parabolam evangelicam de patrefamilias operarios conducente.

Studia litterarum.

LIV. Uti vero *unicuique*, iuxta apostolum a), *datur manifestatio spiritus ad utilitatem: alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alii vero sermo scientiæ secundum eundem spiritum &c.* nullum est eruditionis sacræ caput, quod non fuerit excultum sec. XVIII. in Nigra Silva Benedictina, ut iam attigimus partim singillatim de monasteriis monachisque doctrina claris agentes, partim vero opera in lucem edita loquuntur in omni genere scientiarum, ducto exordio a verbo divino in sacra scriptura & traditione sacræ scripturæ interprete, prout eam nobis succincte exhibent in suis bibliis doctissimi Cartierii Ettenheimensesque sodales: scientiam vero sanctorum in ascesi christiana & religiosa inter alios tot nobis vulgatis libris exposuit P. Dornblüt Gengenbacensis.

a) I. Cor. *XII.* 8.

Præcipua ad interpretandas sacras scripturas subsidia in linguis orientalibus excoluerunt sodales PP. Fintanus Linder & Aemilianus Ussermann non tam editis grammaticis operibus ac etiamnum edendis Lexicis, quam viva voce concurrentibus undique ad monasterium S. Blasii diversi Ordinis religiosis, aliis vero in academiis Salisburgensi & Friburgensi eadem rudimenta earundem linguarum hermeneuticesque sacræ capientibus. Quæ aliæque partes studii theologici, prout a directore studii theologici Steph. Rautenstrauch abbate Brunaviensi O. S. B. Viennæ sunt ordinatæ, atque in systema redactæ, dici etiam possunt in Nigra Silva veluti præmansæ.

De iurisprudentia sacra nihil dicam, quæ est in aliam reducta formam a Rieggeris patre & filio, qui quidem non sunt ex nobis, ex Nigra tamen

SECULUM XVIII. tamen Silva oriundi Villingæ; ubi ſcholas publicas tenent Benedictini San-Georgiani, excepta theologica quidem facultate; ut tamen in officio contenti ſcholares melius quam alibi pietate chriſtiana imbuantur. Eſt hæc ac fuit ſemper, eritque parentum de ſalute prolis ſollicitorum cura & pium deſiderium, ut eam ſcholis clauſtralibus traderent a teneris annis imbuendam, ubi ad inſtillandum quovis modo pietatis devotionisque chriſtianæ ſenſum, paſſim noſtro adhuc ævo choro pſallentium ſtatis diebus & horis in toga etiam monaſtica adeſſe ſolebant, ac alicubi etiamnum ſunt.

Pars vero illa præcipua in cultu publico officioque divino a Benedictinis etiam Nigraſilvanis eſt illuſtrata, viaque complanata ex ardenti plurimorum voto pro reformandis, religioſiuſque ordinandis libris ad publicum officium divinum pertinentibus, breviario imprimis, ut vocant, ſuſcepto primum in Nigra Silva eiuſmodi, quo ſingulis hebdomadis iuxta regulæ S. Benedicti præſcriptum integrum pſalterium, per annum vero potiſſima S. ſcripturæ pars decurrit per ſingula, reſponſoria, antiphonas & lectiones præter ſelectiſſimas alias ex SS. Patribus, & ad hiſtoriæ veritatem quam exactiſſimas.

Hiſtoriæ porro vix ulla eſt pars, quæ non fuerit in Nigra Silva ſeculo hoc XVIII. exculta ſacra & profana, patria imprimis per Herrgottum, Heerium & alios, qui etiamnum eo in labore deſudant ad illuſtrandam patriæ hiſtoriam ſacram & profanam pro uſibus etiam academicis: eo vero potiſſimum conſilio, ut alii aliarum etiam provinciarum ampliſſimæ Germanicæ nationis ad idem opus præſtandum in ſuis regionibus exſtimulentur, quo per huiuſmodi accuratas hiſtorias ſingularum provinciarum via complanetur ad univerſalem Germaniæ ſacræ & profanæ hiſtoriam exquiſite & ſolide (quod unius aut etiam paucorum opus non eſt) conſcribendam: quo hic noſter collimat labor, hiſtoria item epiſcopatus Conſtantienſis, quam præ manibus habet ex meis P. Trudpertus Neugart, Brisgoiæ vero & aliarum anterioris Auſtriæ ditionum P. Franciſcus Kreutter Herrgotti ex ſorore nepos, pro uſu ſcholarum. Hiſtoria diœceſis Conſtantienſis, in qua ſitum eſt monaſterium S. Blaſii, iam parabatur antequam propoſitum dudum quidem in mente habitum, firmatum penitus eſſet, integram elucubrandi Germaniæ Sacræ periodum: cui iam ſedulo incumbitur, non apud nos tantum in congregatione S. Blaſii, ſed aliunde etiam invitatis ſociis, imploratiſque Mæcenatibus, & operariis ad conferendas ſymbolas, ac ſubſidia diplomatica imprimis pro ſolida, quam fieri poterit, rerum pertractatione maturato tamen

men consultius, quam accelerato opere, ne præcoci partu exspectationem falleremus, & emendationes ac supplementa demum submittere cogeremur.

Taceo alios litterarum in ordine nostro cultores, qui nunquam in Nigra Silva nostra defuerunt, cum alicubi etiam alia consilia caperentur de promovendis litterarum studiis. Coniunctis hoc viribus, intendebat societas litteraria Germano-Benedictina, qualem in historia rei literariæ Ord. S. Bened. adumbrat P. Magnoaldus Ziegelbaur: & postea de erigendo communi per Germaniam seminario ad excolenda instar Patrum congregationis S. Mauri studia. Iam etiam supra aperuerat Pauli abbatis Gengenbacensis in Nigra Silva consilium de collegio Germanico pro religiosis Benedictinis constituendo, alia item aliorum Benedictinorum per provincias varias præclara de litterarum studiis merita, conatus & labores nostro hoc perinde ac aliis retro seculis, ut nemini in orbe literario non peregrino clam est, passim publicis quoque testimoniis a Protestantibus præprimis assertum, gratanterque in suis scriptis agnitum. Locum unum affert pro mille P. Ziegelbauer ex conspectu rei literariæ Christoph. Heuman, ubi de nostra ætate profitetur, monachos quoque otio suo uti cæpisse ad strenue colendas litteras: maxime Benedictinos & Iesuitas de eruditionis palma inter se certasse.

Mox vero laudat imprimis Benedictinos, qui Patrum ecclesiæ editionibus adornandis immortalem laudem consecuti sint in Gallia, ubi nostri iam acerbe queruntur de retardari iussa solemni professione monastica ad annum ætatis vigesimum primum tantum, cum alibi gentium ad vigesimum quartum, aut quintum usque protendatur. Qua de re Card. Palavicinus actum in concilio Tridentino a) memorat, paratumque fuisse canonem, quo statuebatur, fas non esse, regularem professionem emitti ante annum decimum octavum, Bartholomæum de Martyribus vero archiepiscopum Bracharensem virum claustri peritum prævalide dehortatum esse Patres ab eo consilio, affirmando deteriorem plerumque fructum reddi cœnobiis ab iis, qui a teneris annis illic sati non fuerint, adeoque adhuc illæsi a vitiis laxioris libertatis; satius esse sancire, ut fas esset, Professionem emitti anno decimo sexto, ut factum.

a) *Hist. con. Trident. lib. XXIV. c. 6.*

LV. E re publica est, atque etiam nunc maxima agitur contentione, ut monasteria & monachi quam utilissimi sint statui politico; ad hunc vero obtinendum finem ea imprimis sunt adhibenda consilia, quæ commodis & utilitatibus utriusque quidem reipublicæ consentanea sunt, imprimis tamen sacræ; ad quam personæ quæque ecclesiasticæ & religiosæ

Status temporalis.

SECULUM XVIII.

giosæ pertinent, in statu etiam politico civitate donatæ. Nigram Silvam ipso hoc opere demonstravimus Ordinis S. Benedicti coloniam: Benedictino Ordini nempe Nigram Silvam in acceptis referre culturam soli, excisis silvis & lucis, petris disruptis terram fertilem redditam, adductis colonis, quorum ingenia & animas ad officia humanitatis & religionis excoluerunt. Cum ecce proxime elapsis seculis per principes a fide catholica deficientes magna Nigræ Silvæ parte emigrandum ipsis fuit iterato, postquam restituti fuissent seculo præterito pietate & potentia Austriacorum principum ac Imperatorum, qui pleraque monasteria in ditionibus protestantium sita addixerunt coniunxeruntque monasteriis earum gentium, apud quas illibata fuit avita religio catholica, & cum ea religio etiam monastica hactenus conservata ab illis, qui se Ecclesiæ membra esse gaudent, Ecclesiamque auscultant & venerantur, atque eidem consultum volunt in rebus ad religionem pertinentibus. Et siquidem sortem personarum Ecclesiæ singulariter addictarum augere nolint per legem amortizationis, quæ haud pridem in Nigra Silva catholica obtinere cœpit, saltem ne minuant sive in personis, sive in rebus, quas legitime possident, atque etiam ut suas legitime, ut quisque alius in republica, hactenus administrant, ordinant, dispensant: ne quid iuris aut rerum demendum existimetur communitati ecclesiasticæ, quæ ei sunt communes cum statu politico, in quo est membrum haud utique ignobile, hodieque restricta immunitate perinde onera reipublicæ portat, cur non & favoribus gaudeat?

Quando Petrus Christum interrogavit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Christus apud Lucam promisit centuplum in hac etiamnum vita cum persecutionibus. Experta est hoc semper Ecclesia, societatesque religiosæ, ubi abdicata quidem singulorum proprietate, res tamen in communi eodem, quo a quocunque alio cive reipublicæ, possidentur iure, sive donationibus inter vivos, sive per testamenta, instrumentis publicis firmata a summis etiam principibus, confirmatis titulis quibusvis fundationum, donationum, concambiorum seu permutationum, emptionum & quorumcunque aliorum contractuum, quibus suus semper in humana societate vigor fuit & integritas, ac esse debet, nisi omnia susque deque verti debeant in commercio vitaque humana: ubi suis cuique rebus uti fruique licet exceptis oneribus publicis & communibus, ut tamen salva & integra cuique sit rerum suarum proprietas atque etiam per summas potestates ab alienis invasoribus tuta, & inviolabilis per ipsam naturæ legem & gentium: quin lex Christi ul-

lum

lum suorum quocumque in statu bonorum temporalium incapacem statuat vel in communi, prout in communitatibus religiosis fit, legitime possidendorum, aut hactenus, forte iam per secula aut etiam mille & amplius annos possessorum. Siquidem vero pro lubitu per rerum vices, aut alium prætensum etiam meliorem usum seu propter abusum permutari rerum vices, vel rei proprietatem auferri par sit, non uni potius quam alteri civium hæc iniuria ferenda foret, communique periculo expositæ essent res singulæ singulorum, & cunctæ cunctorum. Quid vero si, ut sunt res humanæ, de gradu usus rerum vel abusus, maiori nempe aut minori abusu rerum statuendum esset inter varias hominum in republica conditiones & status utriusque ecclesiastici & politici; anne contra illos decernendum foret, qui in communitate eodem semper per sacratas leges præscripto ut potissimum & restricto victu, habituque communi necquicquam pretioso utuntur, nihilque ipsi proprietatis singuli habent, quod non dicam profundere & dilapidare, sed vel uti saltem pro suo lubitu queant, & non secundum regulam & leges communes ordinum singulorum, quæ sancta esse omnia & inoffensa palam est omnibus, & ad eum salutarem finem intenta, qui communis est nostrum christianorum omnium, ad quem aspiramus, non huius tantum vitæ caducæ in hoc mundo, sed æternæ in cœlesti patria, ut sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Amen.

O. A. M. D. G.

Corrigenda.

Pag. 8. lin. 2. *umus* leg. sumus
p. 12. lin. 10. *eiusque* leg. cuiusque.
p. 14. lin. 11. *sororis* leg. sorori.
ibid. lin. 12. *dominuum* leg. dominium.
p. 56. lin. 13. *pascurarum* leg. pascuarum.
p. 96. lin. 30. *lingneo* leg. ligneo.
p. 118. lin. 28. *anni* leg. annis.
p. 190. lin. 18. *proscripta* leg. proscripta.
p. 204. lin. 34. *sua* leg. sua.
p. 219. lin. 37. *usque* leg. usuque.
p. 240. lin. 27. *fundatare* leg. fundatore.
p. 288. lin. 6. *ommium* leg. omnium.
p. 307. lin. 22. *pia* leg. pias.
p. 320. lin: 35. *rerectorum* leg rectorum.
p. 402. lin. 26. *u* leg. ut.
p. 431. lin. 5. *abbatia* leg abbatiam.
p. 472. lin. 33. *& hic.* leg. passim.
p. 473. lin. 6. media add. inter.
ibid. lin. 11. *foruli* 2. leg. foruli z
p. 475. l. 26. *Reuschenius* leg. Preuschenius.
p. 476. lin. 9. *factam.* leg. facta.
ibid. lin. 13. *invictum* leg invictus.
p. 480. lin 25. post *filius* leg. Antonius.
p. 496. lin. 9. *actoritate* leg. auctoritate
p. 504. lin. 16. *eaqua* leg. eaque.
ibid. lin. 34. *qaam* leg quam.

Nuper detecti Cl. Peutchero laudato pag. 475. rudera Figulinae

Tab. III. ad Tom. II. pag. 472. etc



Digitized by Google

igitized by Google

image not available

Digitized by Google